Mosoria

2

3



Lom. Prof. Rom.


Neceſſe eſt impleri omnia quæ scripta ſũt in Psalmis de me Luc.
DEVS HOMO
Hoc eſt
VITA SERVATORIS NRI IESV CHRISTI
é libro psalmorum iuxta interpretationem Veterũ Patrũ, Sacrorũq; ſcriptorũ tũ Græcorũ, tũ Latinorũ excerpta, in ordine historiæ disposita, & annotationib' illuſtrata
á P. PHILIPPO MASSARIA PANORMIT.
Soc: IESV.
Camp. inu. et ſcul
Panor

DEVS HOMO
HOC EST
VITA SERVATORIS
NOSTRI IESV CHRISTI
è libro Psalmorum


IVXTA INTERPRETATIONEM VETERVM Patrum, sacrorumque Scriptorum tùm Græcorum, tùm Latinorum excerpta,


In ordinem historiæ disposita, & annotationibus illustrata


A P. PHILIPPO MASSARIA PANORMITANO
Societatis Iesu.

OPVSCVLVM

Omnibus sacrarum litterarum studiosis, diuinique verbi præconibus perutile, nec iniucundum.
Nunc primùm prodit.







PANORMI, excudebat Ioseph Bisagnius M. DC. LVI.
Impr. Abb. Gelos. V. G. C. S. V. *Impr. Reg. D. Petr. de Greg. Pr.*

DEVS HOMO
HOC EST
VITA SERVATORIS
NOSTRI IESV CHRISTI
é libro Psalmorum


IVXTA INTERPRETATIONEM VETERVM
Patrum, sacrorumque Scriptorum tùm Graecorum,
tùm Latinorum excerpta,

In ordinem historiae disposita, & annotationibus
illustrata

A P. PHILIPPO MASSARIA PANORMITANO
Societatis Iesu.

OPVSCVLVM

Omnibus sacrarum litterarum studiosis, diuinique verbi
praeconibus perutile, nec iniucundum.
Nunc primùm prodit.





PANORMI, excudebat Ioseph Bisagnus M. DC. LVI.
Imprimatur ... G. C. S. V. ... Imprimatur ... Greg. Th.

D. DOMINICO GRAFFEO

PRINCIPI PARTANNAE, &c.

PHILIPPVS MASSARIA SOCIET. IESV. P. F.



RODIT ab vno vix integro tandem anno Opella hæc in lucem tuo Nobilissime Princeps comitatis fulgore concepta, cum Partannæ meum collaudas desudandi consilium in Vita Seruatoris Nostri Iesu Christi è libro psalmorum iuxta veterum Patrum interpretationem excerpenda meam tuo imperio voluntatem impulisti, animum ingeniosis, eruditisque disceptationibus fecundasti, Tibi igitur lubentissime non seruiat, te suum nõ agnoscat Patronum quidquid ex te meum esse, quod satis quidẽ exiguum est, dignoscitur? atque id vna mihi tua dies quamuis in becilli, & graui morbo laborantis splendore perfecit, At multò maiora, vt meus hic qualiscumque labor te Mæcenate veneraretur, perficere potuissent! Quòd si eximias animi tui dotes, laudesque ingenij, ac senilem in rebus gerendis, Reque publica administranda solertem prudentiam, modestoque; ac seuero iubes imperio me præterire; ac patiare singularem tuam in nostram Societatem beneuolentiam, ac merita ab ingrata vindicem oblinione? nam præclarissima nobilissimæ familiæ tuæ decora, cũ sint Sole ipso clariora, mana scriptoris indigent, vel fecundissima luce. Mentior? at quis ille gentilitio in stemmate profulgens Gryphus à me est, quis non videat? ille enim toto ferme corpo-

re leonem, facie aquilam, eiusque pennas præfert. Quid ista nobilius. Quid illo præstantius? Gryphum tuum aurei velleris custode illo vigilantiorem inconniuentibus oculis excubias agere, acerrimum auri vigilem, Gemmarum Vindicem, quotquot illuc vel penetrare, vel irrumpere ausi fuerint longè propellere litteris, & veterum monumentis mandatum esse comperimus. Ad auream præclarissimi tui generis nobilitatem, non dicam exteri, vt ne leuissimè quidem obscurarent, sed ne vt ipsimet exornarentur è latere proximi, licuit vnquam penetrare? Ad te felicissime Princeps sexcentis ferme ab hinc annis per manus à parentibus in filios longo, rectoque ordine tradita peruenit, atque vt perueniret vel immaturo dulcissimi Parentis fato festinauit. Sic tibi, sic nobis, & Orbi incolumem Superi ad innumeros annos, vt omnium in votis est, D. Franciscum tuum amabilissimum puellũ ad tantam sanguinis tui gloriam propagandam amantissimè seruent.


Vnicus dumtaxat Gryphus et virium robore, & corporis dexteritate validos octo leones, aquilasque centum apud Indos dicitur superasse, adeo vt naturam quasi futurorum præscia in ipsomet Gryphi corpore confingendo deferenda olim trophæa de Leone, & Aquila videatur sustulisse; Vnus idemque è nobilissima tui nominis stirpe Auripon Graffeus Græcorum Imperatoris nepos Barbarorum fudit exercitus, hostium depressit audaciam, & Triquetræ Prouinciæ, parte Netina scilicet Valle, non vulgari sui nominis gloria expulsos contrucidauit. Quid? Mexicanus ille Rex Martiali suo in vexillo argenteumne tuum Gryphum voluit volitare, vt hostibus terrorem incuteret, mortem minitaretur? Regionum non me distantia ab ea deterret sententia, longè enim remotiores tua Orbis fines implet gloria, Barbarorum potius inuida retrahit superbia aliorum dedignans exornari triumphis: at tua iamdiu inuidiam gloria subegit. Hic est Auripon ille nobile tuæ familiæ decus, cuius in rebus gestis gloriã, in prælijs felicitatem nulla posterorum obliterabit obliuio; quem sanè posteri sua non indigni nobilitate excipient, quam quidem non modo non imminutam, sed adauctam omnes suspiciunt, dũ Rogerij, ac Villelmi strenuissimi Duces Graffeum nomen per exteras nationes victores duxere, longè, lateque disseminarunt. Testis Partanæ Dominatus à Rogerio Rege Ioanni facillimis moribus prædito perhonorificè collatus. Testis Rogerius ipse, qui in

celebri sua Regis inauguratione, inter primarios Regni Equites primariò Hugonem tuum desungi munere voluit. Quot è tuis Panormitana felicitas Prætores excepit, quot Mamertina nobilitas Strategos, quot Hierosolymitana dignitas præclaros Equites est amplexa.

Me verò, vt verum fatear, Gryphus ille tuus, vt te opusculo meo patronum optaret, mirum impulit in modum, vel ob id, quod cum opusculo illo quamdam videtur habere cognationē. Aquilam ille alatam, & Leonem præfefert: libellus iste Deus homo inscribitur: Aquila scilicet & Leo: Aquila Christus vt Deus, Leo vt homo: alarum prodigiosa vis descendens è sinu Patris Verbum, & hominem Deum ad ipsius Patris dexteram reuertentem trophæis nobilem signat, nec admirandam illam roboris virtutem, qua Leones, & Aquilas debellasse incomperto est, à nobis esse quisquam ambigat; sunt enim adulterinæ Aquilæ, quæ cum maxime sibi ipsis adspectare Solem videntur, atque illuminatas dici ambiunt, & haberi, cæca heresis caligine obuoluūtur, quas nostra Deus homo Aquila Dauidicis dilaniat morsibus: sunt & audacissimi, at imbelles adeò Leones, vt emortui iure despici possint felleum in ore mel amarissimam mortem, si degustare audeas, afferentes. Hosce Leo noster homo Deus victor de tribu Iuda Regij pastoris baculo malè excipit, & Giganteo gladio manus, pedesque obtruncatos discerpit. Quod si ille peruigil auri custos est, Tuque ò Præclarissime Princeps, aureum hunc tibi libellum, quod gemmam Christum aureis Sanctorum Patrum sententijs nobis expositum, & veluti expolitum detineat, habere digneris, Tuum erit aureum hoc opus tui Gryphi in morem custodire diligentius, seruare vigilantius.

Ex Panormitano Societatis Iesu Collegio. Idibus Nouembris Anno M. DC. LVI.

PRAEMONITIO
AD LECTOREM.



Miraris fortaſſe, candide Lector, quod in ſacrum tot ſapientum chorum, qui Chriſti Domini Seruatoris optimi vitam dulciſſimè concinnuere, mea itidem iniucunda vox perſtrepere ſit auſa. Quid enim de præclariſſimis Ieſu Domini geſtis afferre vnquam potuerim, quod in ſacris Euangelijs diuinè proditum non fuerit? aut qua noua tractandi ratione, eruditioneue celeberrimam hiſtoriam amænarem, quas à ſacrarum litterarum Commentatoribus non adhibitas fuiſſe animaduerterim? Non equidem inficior: quin vt id probè callebam, ita meæ mihi tenuitatis gnaro firmiſſimum idem argumentum fuit amicorum precibus obſiſtendi, qui ſuæ ipſorum magis humanitati, quam huius opellæ ſono blandientes, iam inde ad auras vt exiret, feſtinarunt, cum primùm intimis in ædibus audiuere, rati non illepidè ad eruditas aures peruenturum; quando nihil in hac Dei Hominis vita, niſi ad Regium Dauidis pſalterium inter veterum Patrum, ſacrorũue Scriptorum, ſeu Græcos, ſeu Latinos concentus in eumdem numerum belliſſimè cadentes me dicere perſpexerint. Quare quæ deuotioni indulgens meæ tacitus mihimetipſi intus canebam, alieno obſequens arbitrio volens nolens tandem foras proferre coactus ſum.

Atque vt ſuſcepti operis conſilium tibi penitus innoteſcat, apertis dicam verbis. Ex Dauidis pſalmis aliquos verſus excerpſi primùm, qui ſingulis reparationis noſtræ myſterijs congruerẽt: eoſdem deinde, vt vitæ ordo exigebat, diſpoſui in tabella, quam ſæpius in dies perlegens videbar non ſine ingenti animi voluptate gratiſſimæ narrationis carmen audire, & concinna tanti Vatis modulatione perfrui. Occurrebat interea alicuius è Patribus in eumdem verſum conceptuſne, an concentus? alij ſubinde addebatur alius, ob argutiem viuidumque dicendi modum neutiquam aſpernendus: ſuum cuique in choro locum aſſignaui ad har-

harmoniam æquabiliter disposito. Deinde nequa ob reconditũ sermonis sensum minus grata venirent, aut tenuia viderentur, ea nonnullis additamentis illustrare, & locupletare notis operæ pretium duxi; adeo vt sensim priori paginulæ præsens in rem nil tale cogitantis, aut intendentis manus succreuerit libellus diuinam Redemptoris historiam ab ipso conceptionis momento ad extremum humani generis iudicium complectens: in quo si eumdem psalmi versum ad diuersa salutis nostræ mysteria à Patribus deriuatum adduci perspexeris, id nimirum fœcunditati singularique diuinorum eloquiorum prærogatiuæ, quæ varios in dies sensus etiam à Spiritu S. intentos contemplanti parturiunt, ascribendum erit.

Illud quoque monuerim, in allegandis Patrum sententijs nullam me siue temporis, siue dignitatis, auctoritatisue rationem habuisse, sed ordinem alphabeticum maioris facilitatis gratia seruasse, citatis constantiori qua potui fide eorumdem libris. Vbi tamen nullus sententiæ locus affertur, illum esse existimes, in quo eiusdem, de quo agitur, psalmi explicatio a laudato Doctore continetur.

Ceterum opus habes volumine quidem paruum, eius, qui eidem concinnando nauauit operam, auctoritate minimum; at Sanctorum Patrum, veterumque Scriptorũ selectis conceptibus, ingeniosis dictis, iucundissimisque allegorijs planè non contemnendum, à sacro præsertim Oratore, vbi mysterium aliquod de Christi, aut Virginis matris vita pertractandum aggreditur: hauriet enim inde tum ad proponendum argumenta elegantissima, tum amplissima ad illustrandum ornamenta. Vale.

MARCELLVS

SPINELLVS PRAEPOSITVS PROVINCIALIS Societatis Iesu in Regno Siciliæ.

CVm librum, cui titulus est, DEVS HOMO, HOC EST VITA SERVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI E LIBRO PSALMORVM &c. à P. Philippo Massaria Societatis Iesu conscriptum, tres eiusdē Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint, potestate ab Admodum R. P. nostro Gosvuino Nichel Præposito Generali ad id nobis tradita, facultatem concedimus vt typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas dedimus. Messanæ die 7. Decembris 1655.

Marcellus Spinellus.



PErlegi opusculum, quod inscribitur, Deus Homo; hoc est Vita Seruatoris nostri Iesu Christi è libro psalmorū &c. à P. Philippo Massaria Societatis nostrę cōscriptum; nihilque in eo offendi, quod Orthodoxæ fidei, bonisue moribus aduersaretur: quin potiùs tamquam ingeniosè excogitatum, concinnè dispositum, miraque eruditione refertum valde sum admiratus: Vnde dignum prorsus existimo, quod bono publico typis mandetur.

Hieronymus Lachiana è Societate Iesu Deputatus.

INDEX PARAGRAPHORVM,

quæ in hoc opere continentur.

Vo-

2 Cogitauerunt consilium, quod non potuerunt stabilire ps. 20.12.
p. 98.

§. 32. *Ingreditur Hierosolymam sub specie triumphi, clamantibus turbis, Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.*

1 Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem ps. 8.2.

2 O Domine saluum me fac, ò domine benè prosperare; benedictus qui venit in nomine Domini ps. 117.25.26. p. 101.

§. 33. *Negotiatores de templo eijcit, & acclamatur à pueris.*

1 Zelus domus tuæ comedit me ps. 68. 10.

2 Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem ps. 8.3. p. 103.

§. 34. *Pascha facit cum discipulis suis dicens Desiderio desideraui, &c.*

1 Desiderium cordis eius tribuisti ei ps. 20.3. p. 105.

§. 35. *Admirabile corporis, & sanguinis sui sacramentum instituit.*

1 Tu es Sacerdos in æternum secundũ ordinẽ Melchisedech ps. 109. 4.

2 Parasti in conspectu meo mensam ps. 22. 5.

3 Panem cęli dedit eis, panem Angelorũ mãducauit homo ps. 77.26.

4 Cibauit eos ex adipe frumenti ps. 80.16.

5 Escam dedit timẽtibus se ps. 110.5.

6 Edent pauperes, & saturabuntur, &c. ps. 21. 27.

7 Manducauerunt, & adorauerũt omnes pingues terræ ps. 21.30.

8 Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius ps. 64. 10.

9 Et calix meus inebrians, quam præclara est! ps. 22.5. p. 105.

§. 36. *Proditur à discipulo.*

1 Et si ingrediebatur, vt videret, vana loquebatur, cor eius congregauit iniquitatem sibi: egrediebatur foras, & loquebatur in idipsũ &c. ps. 40. 7. & seqq.

§. 37. *De proditione Iudæ conqueritur.*

1 Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos magnificauit super me supplãtationem ps. 40. 10.

2 Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq; & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset; abscondissem me forsitan ab eo: Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. ps. 54. à v. 13.
p. 119.

§. 38. *Egreditur oraturus trans torrentem cedron.*

1 De torrente in via bibet ps. 109.7.
p. 124.

§. 39. *Capit pauere, tedere, mæstus esse.*

1 Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me: timor, & tremor venerunt super me ps. 54. 5. & 9.

2 Factum est cor meum tamquam ceră liquescens ps. 21. 15.

3 Quare tristis es anima mea? ps. 42.5

Cir-

§. 47.

§. 47. *Negat Petrus, Hominem se nosse.*

1 Dereliquit me virtus mea, & lumē oculorum meorum & ipsum non est mecum ps. 37. 11.
2 Extraneus factus sū fratribus meis ps. 68. 9. p. 141

§. 48. *Conuersus Iesus respicit Petrū & in lacrimas soluit.*

1 Imperfectum meum viderunt oculi tui ps. 138. 16.
2 Montes sicut cera fluxerunt à facie domini ps. 96. 5. p. 142.

§. 49. *Pilato sistitur, & in multis per calumniam accusatur.*

1 Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt ps. 37. 12.
2 Qui quærebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur ps. 37. 13.
3 Surgentes testes iniqui quæ ignorabam, interrogabant me ps. 34. 11.
4 Dum commouerentur pedes mei, super me magna locuti sūt ps. 37. 17.
5 Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi ps. 26.
6 Scrutati sunt iniquitates, defecerūt scrutantes scrutinio ps. 63. 7. p. 243.

§. 50. *Insons tacet, & querelis ac criminationibus non respondet.*

1 Lingua mea adhæsit faucibus meis ps. [illegible]
2 Posuerunt [illegible] in [illegible]

bi; traditus sum, & non egrediebar ps. 87. 9. & 10.
3 Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum: Et factus sum tamquam homo non audiens, & nō habens in ore suo redargutiones. ps. 37. 14. & 16. p. 145.

§. 51. *Flagris ceditur ad columnam, conculcatur, & flocci penditur.*

1 Fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis ps. 72. 14.
2 Congregata sunt super me flagella, & ignoraui ps. 34. 15.
3 Miserere mei Deus, quoniā conculcauit me homo, conculcauerunt me inimici mei tota die ps. 55. 1.
4 Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem ps. 37. 7. p. 151.

§. 52. *Pretium à Iuda redditum non admittunt Principes Sacerdotum.*

1 Veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere. p. 154.

§. 53. *Proiectis in templo argenteis proditor laqueo se suspendit.*

1 Veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio, quam abscondit, comprehendat eum, & in laqueum cadat in ipsum ps. 34. 8. p. 154.

§. 54. *Petunt Pontifices, & Ministri, vt crucifigatur, traditurque Dominus voluntati eorum.*

1 Exacuerunt [illegible] linguas suas, sicut [illegible]

§. 64. *Irridetur ab astantibus.*

1 Omnes videntes me deriserũt me, locuti sunt labijs, & mouerunt caput: sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum; quoniam vult eum ps. 21. 8. & 9.
2 Opprobria exprobrãtium tibi ceciderunt super me ps. 68. 10.
3 Exarserunt sicut ignis in spinis ps. 117. 12.
4 Et ego factus sum opprobrium illis; viderunt me; & mouerunt capita sua ps. 108. 25.
5 Factus sum tamquam vas perditũ, quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu ps. 30. 14. p.117.

§. 65. *Queritur, se à Deo patre desertum.*

1 Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? ps. 21. 2. p.179.

§. 66. *Spiritum commendat Patri.*

1 Clamaui ad te Domine, tota die expandi ad te manus meas ps. 87. 10.
2 In manus tuas commendo spiritũ meum ps. 30. 6. p.182.

§. 67. *Moritur, & ad mortem ipsius tenebræ factæ sunt super vniuersã terram.*

1 Fecit lunam in tempore, sol cognouit occasum suum ps. 103. 19.
2 Sol cognouit occasum suum; posuisti tenebras, & facta est nox Ibid.
3 Ego sum vermis, & non homo ps. 21. 7. p.183.

§. 68. *Clamans expirat, & terra contremescit.*

1 Dedit vocem suam Altissimus, & mota est terra ps. 17. 14.
2 Commota est, & contremuit terra ps. 17. 8. p.185.

§. 69. *A milite lancea confoditur.*

1 Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam ps. 127. 19. p.186.

§. 70. *E Cruce depositus cum aromatibus sepelitur.*

1 Et in puluerem mortis deduxisti me ps. 21. 16.
2 Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis &c. ps. 87. 7. p.189.

§. 71. *Inani studio, cassoque labore sepulchrum muniunt signantes lapidem cum custodibus.*

1 Cogitauerunt consilium, quod nõ potuerunt stabilire ps. 20. 21. p.190.

§. 72. *Non putrescit in sepulchro.*

1 Non dabis sanctum tuum videre corruptionem ps. 15. 10.
2 Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in coruptionem. ps. 29. 10.
3 Eripe me de luto, vt non infigar: ps. 68. 15. p.190.

§. 73. *Descendit cum potestate ad inferos.*

1 Et in puluerem mortis deduxisti me

2 Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara; exurgam diluculo ps. 56. 9.
3 Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia ps. 29. 6.
4 A custodia matutina vsque ad noctem speret Israel in domino ps. 129. 6. p. 216.

§. 79. *Milites custodes sepulchri sublatum à discipulis Dominum mentiuntur.*

1 Locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur ps. 37. 13.
2 In multitudine virtutis tuæ mécientur tibi inimici tui ps. 65. 3. p. 223.

§. 80. *Augustiore post resurrectionem specie apparet.*

1 Dominus regnauit, decorem induit ps. 91. 1.
2 Confessionem, & decorem induisti amictus lumine sicut vestimento ps. 103. 2. p. 223.

§. 81. *Dubitant primùm discipuli de resurrectione Domini.*

1 Oculi mei languerunt præ inopia ps. 67. 10.
2 Genua mea infirmata sunt à ieiunio ps. 208. 24. p. 225.

§. 82. *A Virgine Matre, Iosepho, ac discipulis adoratur.*

1 Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ; & lumen ps. 148. 3. p. 226.

§. 83. *Thomas cicatrices palpat, & credit.*

1 In die tribulationis meæ Deum exiquisiui manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus ps. 76. 2. p. 227.

§. 84. *Accessione gentium ad fidem datam sibi omnem potestatem docet in cælo, & in terra.*

1 Eripe me de contradictionibus populi, constituens me in caput gétium ps. 17. 44.
2 Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctũ eius ps. 2, 6.
3 Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam &c. ps. 28.
4 Regnabit Deus super gétes; Deus sedet super sedem sanctam suam ps. 46. 9.
5 Timebunt gêtes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam ps. 101. 16.
6 Omnes gentes seruient ei ps. 71. 21. p. 228.

§. 85. *Instituit discipulos suos per dies 40. apparens eis, & loquens de regno Dei.*

1 Narrabo nomen tuum fratribus meis ps. 11. 23. p. 231.

§. 86. *Fertur sublimis in cælum.*

1 Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua ps. 102. 5.
2 Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ ps. 46. 6.

1 Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum ps. 32. 6.

2 Liquefacta est terra, & omnes, qui habitant in ea: ergo confirmaui columnas eius ps. 74. 4.

3 Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa ps. 67. 12. p. 253.

§. 95. *Confirmati iam ad prædicandum vbique euangelium proficiscuntur.*

1 Multitudo sonitus aquarum, vocē dederunt nubes ps. 76. 28.

2 In omnem terram exiuit sonus eorum ps. 18. 5.

3 Eleuauerunt flumina, Domine, eleuauerunt flumina vocem suam ps. 92. 3.

4 Transferentur montes in cor maris ps. 45. 3.

5 Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis ps. 44. 6.

6 Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suā vsque ad vesperā ps. 103. 23.

7 Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, &c. ps. 8. 3. p. 257.

§. 97. *Venientis iterum in gloria Patris sui cum Angelis suis ad iudicium apparatus.*

1 Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius: Illuxerunt fulgura eius orbi terræ ps. 96. 3. & 4.

2 Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida ps. 49. 4.

3 Vidit, & commota est terra: Montes, sicut cera, fluxerūt à facie Domini: à facie Domini omnis terra: Annunciauerunt cæli iustitiam eius, & viderūt omnes populi gloriam eius ps. 96. 4. 5. & 6.

4 Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum ps. 109. 3. p. 264.

§. 98. *Sedet Iudex pro tribunali, assidentibus vnàque secum iudicantibus Apostolis.*

1 Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuā filio Regis, ps. 71. 1.

2 Deus manifestè veniet, & non silebit ps. 49. 3.

3 Aduocabit cælū desursum, & terram discernere populum suum ps. 49. 4.

4 Exaltationes Dei in gutture eorū, & gladij ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, &c. ps. 149. à v. 6.

5 Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum ps. 140. 6.

6 Surge Domine iudica causam tuā ps. 81. 8.

7 Cūm accepero tempus, ego iustitias iudicabo ps. 143.

8 Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua ps. 95. 13. Et iterum.
Iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iustitia ps. 9. 9.

9 Iustitia, & iudicium correctio sedis eius ps. 96. 2.

10 Ecce dabit voci suæ vocem virtutis ps. 67. 35.

11 Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis monti-

bus,

FINIS.

SYLLABVS

PRISCORVM PATRVM, SACRORVMQVE

Interpretum, quorum ſententiæ, & auctoritates afferuntur.

Albertus M.
D. Ambroſius
D. Amedeus
D. Anaſtaſius Sinaita
D. Andreas Cretenſis
Anonymus
D. Anſelmus
D. Arnoldus Carnotenſis
D. Athanaſius
Auctor imperfecti
D. Auguſtinus
D. Baſilius
Beda
D. Bernardus
D. *Bruno Epiſc.*
D. Bruno Carthuſ.
D. Chromatius
D. Cyprianus
D. Cyrillus Alex.
D. Cyrillus Hieroſol.
Didymus
Dionifius Carthuſ.
D. Eligius
D. Epiphanius
Euſebius
D. Fulgentius
D. Gaudentius
Genebrardus
D. Gregorius M.
D. Gregotius Nazianz.
D. Gregorius Nyſs.
Guerricus Ab.
Hesychius
D. Hieronymus
D. Hilarius
D. Hildephonſus
Hugo Card.
Innocentius III.
D. Ioannes Chryſoſt.
D. Ioannes Damaſc.
D. Laurentius Iuſtin.
D. Leo PP.
D. Maximus
Nicephorus
Origenes
D. Paſchaſius
D. Petrus Chryſol.
B. Petrus Damiani
Rupertus Ab.
Tertullianus
Theodoretus
Theodorus Antiochenus
Theodorus Heracleota
Theophanes Cerameus.

VITA SERVATORIS

NOSTRI IESV CHRISTI
è Libro Psalmorum

IVXTA INTERPRETATIONEM veterum Patrum, Sacrorumque Scriptorum, tum Græcorum, tum Latinorum excerpta, in ordinem historiæ disposita, & Annotationibus illustrata.

DIuus *Ambros. præfat. in psalmos.* Quod alij annunciauerunt per ænigmata, huic soli (*Dauid*) palam, atque apertè videtur esse promissum, vt Dominus Iesus ex eius semine nasceretur, sicut dixit ad eum Dominus, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. In psalmis itaque nobis non solum nascitur Iesus, sed etiam salutarem illam suscipit passionem, quiescit, resurgit, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris: id quod nemo præsumpserat hominum dicere, hoc solus hic Propheta annunciauit. *ps. 131, 11.*

S. Hilarius in prol. ad psal. Non est ambigendum ea, quæ in Psalmis dicta sunt, secundum Euangelicam prædicationem intelligi oportere, vt ex quacumque licet persona prophetiæ Spiritus sit loquutus, tamen totum illud ad cognitionem aduentus Domini nostri Iesu Christi, & corporationis, & passionis, & regni, & resurrectionis nostræ gloriam virtutemque referatur: *Et post nonnulla*: Sunt enim vniuersa allegoricis, & typicis contexta virtutibus, per quæ omnia vnigeniti filij Dei in corpore, & gignendi, & patiendi, & moriendi, & resurgendi, & in æternum conglorificatis sibi, qui in eum crediderint, regnandi, & ceteros iudicandi Sacramenta panduntur.

Tertullianus aduer. Praxeam c. 11. Omnes penè psalmi Christi personam sustinent: Filium ad Patrem, idest Christum ad Deum verba facientem repræsentant.

DESIDERIVM PATRVM SVSPIRANTIVM CHRISTI IN CARNE PRAESENTIAM.

§. I.

1 Inclina cælos tuos, & descende ps. 143. 5.
2 Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime ps. 44. 4.
3 Fiat manus tua, vt saluet me ps. 118. 173.
4 Et salutare tuum da nobis ps. 84. 8.
5 Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos: Deus conuerte nos; & ostende faciem tuā, & salui erimus ps. 74. 3. & 4.
6 Anima mea turbata est valde, sed tu Domine vsquequo? Conuertere Domine, &c. ps. 6. 4. & 5.
7 Emitte lucem tuam, & veritatem tuam ps. 42. 3.
8 Emitte manum tuam de alto ps. 143. 7.

1 D*amian. serm. 60. In vigilia natalis Domini:* Citharista noster iā dormitauerat prę tædio, & in ipsū Deū tacitis* obligationibus totā culpā modis flebilibus intorquebat. Tu vero, inquit, repulisti, & despexisti, distulisti Christum tuum. De flebili quoque ad imperatiuum diuersus est exagitante impatientia, quæ impudentiæ, & frontuositatis mater est, Qui sedes super Cherubim manifestare. Et quid tamdiu dominatrici sedens in cathedra circumuallantibus, & laudantibus Angelis non respicis super filios hominum, quos absorbuit, & obsorduit iniquitas per Adam quidem commissa, sed à te permissa? Memorare quæ mea substantia ad tuæ substantiæ similitudinem fabricata; quia etsi omnis viuens vanitas est, in imagine tamen tua pertransiens vanitas esse non potest. Numquid ita vanè constituisti filios hominum, de quibus dicis, Deliciæ meæ esse cum filijs hominum, vt eos verteret, & diuerteret à te malignus ille deceptor, qui decipere, nisi te permittente, non potuit? Inclina cælos tuos, & descende, & illos misericordes oculos miseris inflecte peccantibus, vt saltem non in perpetuum obliuiscaris nos.

ps. 88. 39. — *al. litigationibus.* — *ps. 79. 2.* — *ps. 88. 48.* — *Prou. 8. 31.*

D. Greg. M. in cap. 8. Cant. initio. In veteri lege Ecclesia posita Christum exoptabat, & expectabat, & in secreto Patris manentem foras venire per carnem ad humanos oculos non mediocriter cupiebat: vnde & Dauid desiderans dicebat, Exurge, & ne repellas in finem; & alibi, Inclina cælos tuos, & descende.

ps. 43. 23.

2. D.

2. *D. Ambrof. ferm.* 17. *in pf.* 118. *ad illa verba Greſſus meos dirige :* Per femur inſigne generationis agnouimus iuxta illud, Accingere gladium tuum circum femur potentiſſime : quo ſignificatur, quod filius Dei, cum ſemetipſum exinaniſſet, Verbi ſit accinctus diuinitate, & generatione calceatus humana prodiret ex Virgine omnibus daturus ſalutem.

D. Baſilius Putamus hoc ad Dei Verbum tropicè referri, vt carni coniungatur, quod eſt vehemens, & penetrabilius omni gladio ancipiti pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus cōpagum quoque, & medullarum, diſcretor meditationum, cogitationumque cordis : quoniam femur ſignum eſt eius humanæ genealogiæ. Ipſæ, inquit Scriptura, egredientes animæ ex femore Iacob : Vt itaque vita, & via, & panis, & vitis, & vera lux, & alia multa dominus noſter Ieſus Chriſtus nominatur, ſic & gladius diuidens partem animæ ſenſitiuæ, & motus concupiſcentiæ perimens. Deinde quoniam Deus Verbum carnis debilitati ſeſe coniuncturus erat, pulchrè additur, potentiſſime : quoniam maximæ potentiæ demonſtrationem habet, poſſe Deum in natura eſſe humana ; non enim cæli, & terræ globus, & maris, & aeris, & maximorum elementorum generatio, & ſi quid ſupra mundum intelligitur, adeo Domini Verbi potentiam oſtendunt, quantum Incarnationis myſterium, ac virtus, & ad humilitatem vſque debilitatemque noſtram deſcenſus manifeſtant. *Gē. 46. 26.*

D. Hieron. Per gladium Verbum, per femur Incarnatio : Accingit homo gladium ad pugnandum ; ſed accingere gladium potentiſſime, ac ſi dicat Propheta : Tu Chriſte indue carnem, pugna contra diabolum, & libera genus humanum de inferno: accingere gladio, verbo prædicationis, qui diuiſit filium à patre, filiam à matre, nurum à ſocru. Circa femur tuum, ſuper carnem aſſumptam : potentiſſimè, non ſegniter, neque leuiter, ſed viriliter. *Matt.* 10. 35.

3. *D. Ambr. ſer.* 22. *in pſ.* 118. *Fiat manus tua, &c.* Aduentum Domini videtur orare ; quia manus Dei Chriſtus eſt : ipſum legimus dexteram Dei, de quā ſupra ait, Dextera domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. Cur ergo hic manum dixit ? niſi forte non ſolum propter diuerſitatem gratiæ, quā Scriptores non prætermittere ſolent, ſed etiam propter quamdam proprietatem manuum dictum eſt ; vt ibi dextera dicatur, vbi ſcribitur, quod exaltauit cum virtute ; hic manus, vbi intelligi oporteat, quod cum humilitate ſeruauit ? *pſ.* 117. 16.

Diuus Amedeus Lauſanenſis Epiſcopus hom. 4. *de Laudibus Virginis non longe ab initio :* Fiat manus tua, vt ſaluet me : Manus quippe Dei Vnigenitus Patris appellatur, per quem fecit ſecula: Hæc manus facta, quando incarnata, non ſolum nullum vulnus

Is. 53. 4. infixit, verum atteſtãte Propheta, languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Planè manus iſta plena remedijs, plena medicinis ſanauit omnem languorem, morbos expulit, & mortuos ſuſcitauit: inferni clauſtra diſſipauit, & ſpiritum caritatis ſuorum cordibus infudit: manus iſta ſoluit compeditos, illu-
Ps. 145. 7. minat cæcos, erigit eliſos, dirigit iuſtos, cuſtodit aduenas, pupillum, & viduam ſuſcepit, &c.

D. Greg. hom. 2. in Ezech. Manus, vel brachium Domini Filius dicitur, quia per ipſum omnia facta ſunt: de quo etiam pſalmiſta ait, Fiat manus tua, vt ſaluum me faciat: manus quippe Dei, quæ per diuinitatem non eſt facta, ſed genita, per humanitatem facta eſt, vt humani generis vulnera ſanaret.

4. *D. Ambroſ. lib. 3. de fide c. 3. expendens illud Iſaiæ c. 9. 6. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*: Diſtingue, *inquit*, ſingulorum momenta verborum, Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis: Et ſi ex Patre natus, non tamen nobis natus, ſed datus eſt; quia non filius propter nos, ſed nos propter filium; neque enim nobis natus eſt, qui, & ante nos natus eſt, & totius eſt conditor creaturæ; neque nunc primum naſcitur, qui erat ſemper, & erat in principio; ſed illud, quod non erat, nobis naſcitur, hoc eſt Puer ex Virgine, corpus ex Maria; hoc enim poſt nos, illud ante nos. Alij ſic habent: Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, hoc eſt, qui erat Filius Dei, hic ex Maria puer natus eſt nobis; & datus eſt nobis. Qui datus ſit, audi Prophetam dicentem, Et ſalutare tuum da nobis: quod enim ſupra nos eſt, datur;
Rom. 5. 5. quod de cælo eſt, datur: ſicut alibi de Spiritu legimus, quod Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.

D. Aug. Et ſalutare tuum da nobis: Da nobis Chriſtum tuum: nouerimus Chriſtum tuum; videamus Chriſtum Deum, non quomodo illum viderunt Iudæi, & crucifixerunt, ſed quomodo vident illum Angeli, & gaudent.

5. *D. Aug. ſerm. 20. de temp.* Venit ad faciem tuam, ò homo, quia tu ad eius faciem peruenire non poteras; & qui erat inuiſibilis factus pro tua redemptione viſibilis venit à tuis Patribus poſtulatus. Audi vocem clamantis, Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.

D. Bruno Carth. Oſtende faciem tuam, ideſt filium, qui facies tua congruè dicitur, eò quòd per eum cognoſceris, ſicut totus per faciem homo cognoſcitur: ac ſi dicat: Filium tuum, qui ſecundũ quod Deus eſt inuiſibilis, fac incarnari, & ſic eum hominem factum viſibilem oſtende.

D. Cyrillus in cat. apud Corderium: Faciem autem Patris nomi-

minat filium; est enim imago, & figura substantiæ eius, & in ipso coque solo Dei, ac Patris pulchritudo apparet. Heb. 1. 3.

Hesychius in cat. apud eumdem: Propheta hunc sermonem in progressu reddit manifestiorem declarans, quomodo, & quam ob causam venturus esset Christus: nos enim sumus causa aduentus eius, vt nos conuerteret, atque emendaret: modus autem apparitionis manifestus est, vt facie ad faciem ipsum videamus, non aliter vtique saluandi, nisi hanc faciem nobis manifestauerit.

6. *D. Chrysologus serm.* 45. Inter Dei præcepta, & cordis passiones, inter virtutes, & vitia, inter aduersa, & prospera, inter pœnas, & præmia, inter vitam, & mortem stans in acie, bella sustinens, suscipiens vulnera, rarò stans, succumbens sensu, turbatur anima, turbatur valdè; quia carnis impedita ponderibus priúsquam ad virtutes veniat, vitiorum fit ante captiua. Hæc bella describit Apostolus, cum dicit, Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: & alibi, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati. Allegans ergo B. Propheta has infirmitates, hæc bella, has animorum turbationes Deum tali voce cōuenit: Et tu Domine vsquequo? hoc est, quousque pateris? quousque dissimulas? quousque non subuenis? quousque dissipari opus tuum, deleri imaginem tuam, tuam tibi creaturam perire permittis? Vbi est Christus tuus toties nunciatus per legem, per nos, per prophetas multifariè repromissus? Veniat, veniat, priusquam, pereunte seculo, in seculo non inueniat, quid resaluet: veniat, veniat, vt carnem reparet, innouet animam, ipsam naturam in cælestem commutet substantiam; Veniat, vt peccatum tollat, mortem deleat, destruat infernum, vitam reddat, donet cælum, ne amplius terrena labes possit in nobis inuenire, quod perdat. Hoc autem petere prophetam, sequens sermo demonstrat: Conuertere Domine; Homo Deo, reus iudici, addictus sic loquitur cognitori? Conuertere Domine: homo peccat, & Deus conuertitur? Ita fratres: quia iuxta prophetam Iste peccata nostra pro nobis portat, & pro nobis dolet: & B. Ioannes; Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi: Suscepit peccatum, vt peccatum tolleret, non haberet: Conuertere Domine: vnde? vbi? De Deo in hominem, de domino in seruum, de iudice in patrē, vt pium conuersio te demonstret, quem potestas terribilem comminatur. Gal. 5. 17. Rom. 7. 23. Is. 53. 4. Io. 1. 29.

7. *Albertus M.* Emitte lucem tuam, quæ de se ipsa dicit, Ego sum lux mundi, & veritatem tuam, quæ de se ipsa dicit, Ego sū via, veritas, & vita: Lux, quia irradiabat mundo exterioribus miraculorum, & virtutum operibus; Veritas; quia instruebat in- Io. 8. 12. Ioa. 14. 6.

te-

terius: lux, quæ omnibus corporibus melior est, quantum ad humanitatem; veritas quantum ad diuinitatem. Emitte lucem, &
1.Cor.4.5. illuminet abscondita; & veritatem tuam, vt reddat, declarata veritate, secundum merita.

D. Cyrillus Alex. lib 1. in Io. c. 2. Prophetiæ commotus spiritu, quo futura præuidebat beatus ille Psalmista, quoniam non aliter humanum posse saluari genus, quam per apparentiam filij Dei cognoscebat; idcirco mitti ad nos illum, qui solus à seruitute in libertatem posset nos vindicare, orabat ad Deum, ac Patrem dicens, Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Quænam vero ista sit tam lux, quam veritas, ipsum audi filium, Ego sũ, inquit, lux, & ego sum veritas.

8. *D. Hilarius:* Sed et ex alto manus Domini emittitur: manum autem Dei Dominum nostrum Iesum Christnm significari in spiritu, non obscura est doctrina; per eum enim facta sunt omnia, & scriptum legimus manus, inquit, mea auxiliabitur ei, quia per
Ps.88.22. filium Dei homo assumptus laqueis mortis, & iudicio iniquæ dãnationis per gloriam resurrectionis eripitur.

ANNOTATIONES.

1 INclina *Cælos tuos, & descende:* Inclina cælos tuos, decet enim vt tecum vna in comitatu cælestes quoque ciues descẽdant; tibique eidem in terris, quandocunque se feret occasio, præsto sint, ac famulentur. D. Hilarius, *qui descendit*, inquit, *Dominus inclinato cælo suo, non corporali motu, vt declinatum, descendente eo, Cælum sit, sed per corporalem significationem spiritalis sensus instruitur, vt cum Deo somnus, vigilia, memoria, obliuio, discessus, & accessus ascribitur; quia secundum meritorum nostrorum differentiam, vnicuique nostrum, aut dormiens, aut vigilans, aut immemor, aut recordans, aut desit, aut adsit. Atque ita inclinatum descendente eo Cælum est, quia cum descendente eo ad assumendum hominem famulatus Cælestis astiterit; cum Maria euangelizatur, cum pastores æthereum cætum vident, atque audiunt; cum post tentationem Diaboli, Angeli ministrant, cum ipse totus in forma licet serui, tamen in paterna Maiestatis virtute se gessit: sic inclinatur Cælum, cum ad terras Cælestium honor, virtusque deducitur.* Inclinatio ista cælorum, & Verbi Dei descensus in terram inclinatam quodammodo ipsius Maiestatem denotat, seu potius exinanitionem, vt loquitur Apostolus, forma
Phil.2.7. serui suscepta. Inclina cælos tuos, & descende, vt summa imis, terrena cęlestibus iungantur, fœdusque inter se ineant, te præsertim auctore, per quem complacuit Patri conciliare omnia pa-

cificans per sanguinem crucis, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Hesychius. *Inclina cælos tuos, tamquam vas quoddam, vt effundant inclinati quod optimum in ipsis est, Dei scilicet filium per carnis dispensationem in vterum Virginis*: vnde de huiusmodi effusione canit Ecclesia, *Melliflui facti sunt cæli*; Et Christus ipse de se per Dauid, *Sicut aqua effusus sum*: quem locum allegans D. Bern. serm. 15. in Cant. *effusa est*, inquit, *plenitudo diuinitatis habitans in terra corporaliter, vt de illa plenitudine omnes, qui corpus mortis gestamus, caperemus.* Inclina cælos tuos, &c. figuratè, idest Angelos, qui cęlos incolũt; signãter verò Gabrielé, qui nuncius à Deo missus ad Virginem est, vt eam de diuino reparationis humanæ consilio, & Verbi in ipsius vterum descensu pro salute hominum edoceret. Hieronymus. Col. 1. 20. Hugo Car. Ps. 21. 15. Luc. 1. 26

3. *Fiat manus tua.*] Verbum Dei quemadmodum Patris brachium dicitur, quia à Patre, tanquam brachium à corpore, illi consubstantiale procedit; vt vult D. Aug. serm. contra Arrianos; & quia cuncta per ipsum Pater operatur, de quo Propheta ait, *Et brachium Domini cui reuelatum est?* vt docet D. Greg. lib. 27. mor. c. 10. ita easdem ob causas manus quoque, & dextera eiusdẽ Patris appellatur in sacris litteris. Quoniam verò manus ad significandam interdum potestatem, siue fortitudinem, ac virtutem sumitur, vt aduertit D. Aug. in illud psalmi 72. *Tenuisti manũ dexteram meam; dicimus enim quemquam habere in manu, quod in sua ipsius habet potestate: vnde diabolus de Iob Deo. Mitte manum tuam, & tolle quod habet, hoc est da potestatem: & alibi Mors & vita in manibus, hoc est in potestate, lingua; neque enim lingua manus habet. In potestate autem lingua mors, & vita; siquidem ex ore tuo iustificaberis, & ex ore tuo condemnaberis.* Quoniam inquam, per manum quandoque potestas, seu fortitudo, & virtus exprimitur; Filius, qui Dei Patris manus est, eiusdem quoque virtus dicitur: vnde Apostolus, *Ipsis autem Iudæis, atque gentibus Christum prædicamus Dei virtutem, & sapientiam*: Et Dauid, *Exaltare*, inquit, *Domine in virtute tua*: quẽ locum sic interpretatur Origenes in cat. apud Corderium, *Si virtus Dei Christus, dum exaltatur in virtute sua Dominus, in Christo exaltatur.* Pulchrè autem manum hanc Patris in Moysi manu figuratam agnoscit Petr. Damiani in serm. de S. Columba, vbi afferens verba illa Dei ad Moysen, *Mitte manum tuam in sinum tuum, &c. Quid hoc loco*, inquit, *per manum Moysi designatur, nisi filius Dei? vnde dicitur in psalmo, Fiat manus tua, vt saluet me, ac si diceret, Fiat ille, per quem facta sunt omnia, vt dum ille creatur, creatura à reatus sui contagio liberetur: Hac manus in si-* Is. 53. 1. Iob. 1. 11. Prou. 18. 21. Matt. 12. 37. 1. Cor. 1. 24. Ps. 20. 14. Ex. 4. 6.

Io. 1. 18. nu Dei Patris est, sicut Ioannes Baptista dicit, Filius, qui est in sinu Patris, ipse narrauit: Sed manus hæc, cum de sinu prolata est, hoc est cum per mysterium Incarnationis apparuit; peccatorem eum, & tamquam sceleris lepra perfusum is: vnde præcesserat,
Is. 53. 4. populus æstimauit; vnde dicit Isaias, Et nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum: Sed manus hæc, cum in sinum rediit, lepram prorsus amisit; quia Redemptor noster postquam ad Patrem, calcato mortis imperio, rediit, iam in fine sæculi non peccator homo, sed verè Deus, & homo Iudæis omnibus apparebit; scriptum quippe est, quia si fuerit numerus filio-
Rom. 9. 27 rum Israel, sicut arena maris, reliquiæ saluæ erunt.

5. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.*] Facies Dei nonnunquam pro conspectu, & præsentia ipsius accipitur: vnde in libro Iob *Egressusque est Satan à facie Domini*, & D. Aug. enarrat. in
c. 1. 12. ps. 104. *Quæ est*, inquit, *facies Domini, nisi præsentia Dei? Sicut facies venti, & facies ignis: dictum est enim sicut stipulam ante*
ps. 82. 14. *faciem venti, & sicut fluit cera à facie ignis, & multa alia ponit*
ps. 67. 3. *Scriptura, nihil aliud, quam earum præsentiam volens intelligi, quarum nominat faciem.* Interdum vero pro eiusdem notitia sumitur: *Quid per faciem*, inquit Greg. lib. 1. hom. 3. in Ezech. *nisi notitia? per faciem quippe vnusquisque cognoscitur*, & lib. 24. mor. c. 7. *Quia per faciem quemlibet agnoscimus, non immerito cognitionem Dei faciem eius vocamus: vnde Iacob postquam cum Angelo locutus est, ait, Vidi dominum facie ad faciem, ac si di-*
Gen. 32. 30 *ceret, Cognoui dominum, quia me cognoscere ipse dignatus est.* Verum hic plerique ex Patribus Dei faciem ipsum Dei vnigenitum intelligunt, siquidem & per ipsum Deus Pater cognoscitur;
Col. 1. 15. est enim *imago Dei, & figura substantiæ eius*; & in eodem Dei Patris ipsius species, & pulchritudo resplendet; *quia splendor est*
Heb. 1. 3. *gloriæ.* Et quamuis *inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur*, vt ait Apostolus; secus tamen per Filium, & in
Rom. 1. 20 Filio; secus vero per hominem, ceterasue res creatas rationis expertes agnoscitur: siquidem hæ non sunt Dei imagò, sed vestigium quoddam ipsius; homo autem ad imaginem, & similitudinẽ Dei dicitur factus; quibus verbis solum innuitur accessus quidam ad diuinæ rationem imaginis, non omnimoda imaginis perfectio. Ex quo fit, vt per hominem, resque alias creatas imperfectè, & subobscurè; perfectè autem, & tamquam de facie per Filium, & in Filio cognoscatur: Vnde cupienti Philippo ostendi sibi Patrem respondit Dominus Iesus, *Philippe, qui videt me, videt & Pa-*
Io. 14. 9. *trem meum.* Audiatur D. August. lib. de essentia diuinitatis *Imago Dei Patris inuisibilis vnigenitus est filius eius, de quo Apostolus ait, qui est imago Dei inuisibilis: aliter namque est imago Dei Patris*

tris in Filio suo, quem non aliunde, sed ex semetipso, hoc est ex substantia sua per omnia sibi similem genuit, & aequalem; aliter vero est in anima hominis, quam non ex se, idest de substantia sua, sicut plerique haeretici opinati sunt, genuit, sed ex nihilo creauit: sicut aliter est imago cuiusdam Regis in filio eius, quem ex semetipso genuit sibi similem, idest homo hominem; aliter vero in annulo eius, siue in cera imago eius expressa, quae non est hoc quod ipse, sicut filius, qui naturaliter est hoc, quod est Pater.

Audiatur & D. Paschasius lib. 1. de Spiritu Sancto contra Macedonium cap. 5. qui allegans illud ps. 50. Ne proijcias me à facie tua, & spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. *Filius*; inquit, *sicut imago patris, ita & facies Patris accipitur, & ideo legimus, Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Et iterum, quò ibo à* Io. 14. 9.
spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Aduerte in fide perfecta ps. 138. 7.
confessionis mysterium Trinitatis. Propheta ad Patrem loquitur, faciem Patris librum Patris profitetur; nec non diffusum per omnia Spiritum Sanctum profitetur. De filio ad Moysen etiam loquitur Dominus, Facies mea praecedet te: quod nomen, idest facies, & ad vnitatis substantiam, & ad aeternitatem pertinet maiestatis. Exod. 33.
Quod autem minorem putant, quia natus est; quid est Deum de 14.
Deo natum, nisi ex Deo naturaliter extitisse? Sed dicis: si ex illo est, iunior est. Ecce brachium ex corpore, & facies de capite suo nascitur; nec tamen faciem minorem capite suo, vel brachium corpore suo constat esse posterius. Si ergo vllum caput antiquius vnquam fuit, tunc asserere praesume, antiquiorem esse Patrem ab imagine sua, quae in Christi perfecta similitudine, & aequalitate consistit. Ita ergo nescit filius vel potestate, vel tempore à Patre discerni, sicut facies tempore à capite separari, vel capite suo nequaquam potest iunior inueniri.

ANNVIT DEVS VOTIS, AC PRECIBVS PATRVM.

§. II.

1 *Respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum* ps. 101. 18.

2 *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus: ponam in salutari, fiducialiter agam in eo ps. 11. 6.*

3 *Prospexit de excelso sancto suo, Dominus de Caelo in terram aspexit psal. 101. 20.*

1 D. *Bruno Carth.* Respexit non arrogantiam superbientium Iudæorum, qui in lege gloriabantur credentes per eā iustificari, sed in orationem humilium, Patriarcharum scilicet, Prophetarum, & aliorum fidelium, qui Spiritu Sancto pleni, eius aduentum in carne credebant, sperabant, & desiderabant; & in suis orationibus humiliter requirebant, vt ad reparandam humanam naturam in mundum veniret, mortis vincula solueret, & vitæ aditum, quem primi parentis culpa clauserat, aperiret, di-
Is. 64. 1. centes, Vtinam dirumperes cælos, & descenderes! Emitte agnū,
Is. 16. 1. Domine, dominatorem terræ: Mitte, domine, quem missurus es:
Ex. 4. 13. Domine inclina cælos tuos, & descende. Veniens veni, & no-
ps. 143. 5. li tardare: Ostende nobis misericordiam tuam, & salutare tuum
ps. 39. 18. da nobis, & his similia. In istarum itaque orationem respexit, &
ps. 84. 18. non spreuit precem eorum; quia eum, in quem credebant, quem sperabant, & quem in suis orationibus cum tanto desiderio requirebant, misit, & eis, quod deprecabantur, indulsit.

D. Greg. in expos. ps. 5. penit. qui in ordine psalterij est 101. In humilium Deus orationem respexit, quando ad humanam naturam reformandam Filium in mundum misit: hoc enim iustorum requirebat oratio, hoc Prophetarum expectabat desiderium, vt ille in mundum veniret, qui & à diabolica seruitute hominem redimeret, & vitæ aditum, quem culpa obstruxerat, gratuito pietatis suæ munere reseraret. Hinc namque Isaias ait, clamabūt
Is. 19. 20. ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos: Ex quibus verbis liquido colligitur, quia in eorum respexit orationem, quibus in tribulatione clamantibus non solum Saluatorem contulit, sed etiam propugnatorem misit: Idem verò, qui fuit Saluator, fuit & propugnator; Saluator namque Dei filius est, de quo scriptum est per
Is. 35. 4. Prophetam, *Dominus ipse veniet, & saluabit nos*; vnde etiam Iesus, priusquam in vtero conciperetur, vocatus est ab Angelo. Nam quod propugnator sit, ipse ostendit, cum per prophetam ait, *Ego qui loquor iustitiam, & propugngnator sum ad saluan-*
Is. 63. 1. *dum*. Ex hoc preces non spreuit; quia eis quod deprecabantur, indulsit; si enim preces eorum spreuisset, nequaquam ad eos liberandos Filium misisset.

Innoc. III. in eundem ps. 5. penit. Respexit in orationem humilium, &c. Olim antiqui fideles, qui erant pauperes spiritu clamabant cum multo desiderio, & orabant, vt Christus veniret, & ædificaret Sion, idest Ecclesiam congregaret, dicentes ad Patrē,
Is. 16. 1. *Emitte agnum, domine, dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion*; in has orationes pauperum ipse respexit, cum de cælo descendit, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret, in

in vnum : & hoc faciens non spreuit precem eorum, sed misericorditer exandiuit.

2 *D. Aug. Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit dominus :* hoc autem ex persona Dei Patris accipiendum est; qui propter inopes, & pauperes, idest inopia, & paupertate bonorum spiritualium egentes, filium suũ dignatus est mittere : ponam in salutari : non dixit quid ponat, sed in salutari; in Christo accipiendum est secundum illud, quoniam *viderunt oculi mei salutare tuum*. Et ideo intelligitur in illo posuisse, quod ad miseriam inopum auferendam, & consolandum gemitum pauperum pertinet. fiducialirer agam in eo secundũ illud in Euangelio : *Erat enim docens eos tamquam potestatem habens*, non tamquam Scribæ eorum. *Luc.2.30.* *Mat.7.29.*

D.Bern. hom. 42. in Cant. sub finem ad illa verba, Cum esset Rex in accubitu suo, &c. Accubitus Regis sinus est Patris, quia semper in Patre filius : nec dubites, Regem hunc esse clementẽ, cui perennis accubitus est paternæ benignitatis diuersorium Meritò clamor humilium ascendit ad eum, cuius fons pietatis est mansio; cui familiaris suauitas, cui substantialis, vel potius consubstantialis lenitas est; cui ideo totum quod est, de Patre est, & nil prorsus in regia maiestate, nisi paternum, humilium trepidatio suspicetur : denique propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit dominus. *Can.1.13.*

D. Greg. in ps. 4. pænit. ad illa verba Redde mihi lætitiam, &c. Exurgere dicitur Deus Pater, cum Filium mittit, qui quasi iacere visus est, cum seruos misit : illi enim neminem saluare potuerunt, sed filius hominis venit quærere, & saluum facere quod perierat; ideoque perfectam, & manentem saluationem in eo se positurum astruit, & in eo fiducialiter se dicit agere, quem constat, nihil omnino peccati habuisse : qui enim grauium sibi conscius est delictorum, non potest fiducialiter agere, quia poterit eum vel ille, quem corripit, reprehenderẽ, vel cõscientia propria remordere : Redemptor verò noster eò liberè loqui potuit, quò nunquã peccati maculam ex natiuitate, vel etiam ex operatione contraxit : Vnde turbis Iudæorum, & Principibus Sacerdotum inuidentibus, & detrahentibus ipse dicebat, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Fiducialiter ergo agebat, quem in nullo conscientia accusabat : nam & de eo scriptum est, quod *erat docens tamquam potestatem habens*, & non sicut Scribæ, & Pharisæi. *Luc.19.10* *Io.8.46.* *Mat.7.29.*

D. Hieronymus Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, &c. Vox Patris est : Quis erat miser, nisi humanum genus in seculo, quod in istam miseriam venit, in qua gemebat in peccatis? & gemitus erat in inferno, qui in pænis habitabant ;

Nunc exurgam, hoc est mittam, filium meum, qui eos redimat, & illos, qui in miseria sunt in mundo, vel eos, qui in inferno commorantur: quod ita factum est: Misit Deus filium suum ad nos miseros, vt nos liberaret, & illius paupertate diuites essemus. Ponam in salutari: Dixit, in salutari, & non dixit, quid ponã: subauditur, salutem gentium: & adhuc, quid ponam? contra gemitum lætitiam, & contra paupertatem diuitias spirituales. Fiducialiter agam in eo: Vox Patris de filio: Cum fiducia omnia facio per eum; quia diuinitas firmauit humanitatem, vt scriptum est, liberè egit.

3 *Innoc. III. in expos. ps. 5. pœnit.* Prospexit de excelso sancto suo, &c. Christus est Sanctus Sanctorum; inter Sanctos excelsus: qui sanctus est Dei patris, sicut ipse dicit in psalmo. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, & ad ipsum dicitur in Euangelio. Scio quod Sanctus Dei sis: de hoc excelso sancto suo Dominus pater prospexit, id est generi humano prouidit, mittẽdo ipsum in mundum, vt genus humanum redimeret suo sanguine pretioso, vel prospexit ipse Christus de excelso sancto suo, id est de sublimitate suæ diuinæ naturæ, quæ non solum est sancta, sed sanctitas, quia nihil est in ea quod non sit sanctum. Vndè subdit exponens. Dominus de Cęlo id est de diuina natura prospexit in terram, id est ad humanam miseriam, vt miseros homines liberaret.

Ps. 15. 10. *Luc. 4. 34.*

ANNOTATIONES.

2 *PRopter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Deus pro vario in homines affectu figurata locutione nunc stare, nunc sedere, nunc etiam exurgere dicitur in scripturis. D. Chrysologus serm. 93. ad illud Lucæ de D. Maria Magdalena, vt cognouit quod accubuisset, *Non ad stantem*, inquit, *non ad sedentem audet venire peccatrix: Deus, cum stat, corripit; sedet cum iudicat; prostratis coniacet, cum recumbit.* Et verò cum stat, corripit: stantem enim vidit illum Stephanus Iudæorum perfidiam corripientem: stãtem quoque vidit eumdem Ioannes, de cuius throno procedebant fulgura, voces, & tonitrua. Sedet autem, cum iudicat, *Sedisti*, inquit Psalmista, *super thronum, qui iudicas iustitiam*; & apud Matthæum *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes, &c.* Veteres in portis vrbiũ ad iudicandum sedere consueuisse monet Beda in Prouerbia Salomonis ad illud cap. vlt. *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum Senatoribus terræ: Veteres*, inquit, *in portis sedere ad iudicandum*

Luc. 7. 37. *Act. 7. 55.* *Ap. 4. 3.* *Ps. 9. 5.* *Matt. 25. 9*

dum solebant, vt venientes ad ciuitatem aliunde paratum continuo responsum iudicantis acciperent; & ne rusticos, vel pastores insolita vrbis ædificia stupefacerent, nec rursum pacem vrbis intrinsecam frequens litigantium frequentia fœdaret. Et D. Greg. lib. 21. mor. c. 14. *Mos apud veteres fuit, vt ad portam seniores sederent, qui certatim iurgia iudiciaria examinatione discernerent, quatenus vrbem, in qua concorditer oporteret viuere, discordes minimè intrarent; vnde, & per prophetam Dominus dicit, Constituite in porta iudicium.* Denique exurgit Dominus siue ad miserendum, *Tu exurgens misereberis Sion;* siue ad adiuuandum, *Exurge in adiutorium mibi,* & *Exurge domine adiuua nos, & libera nos.* Amos 5. 15. ps. 101. 14 ps. 34. 2. ps. 43. 26.

VERBVM DEI VERVM SE, VNICVMQVE PATRI SACRIFICIVM EXHIBET IN CARNE PRO SALVTE HOMINVM ASSVMENDA.

§. III.

1 *Annunciaui, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum: sacrificium, & oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi: holocaustum & pro peccato non postulasti: Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui ps. 30. à v. 6.*

1 D. *Ambros.* Quid euidentius, quam quod cum Euangelij sui munere nobis Iesus verus aduenit? Ipse locutus est, & innumeri credentium populi congregati sunt, qui vix singuli ante credebant. Ipse venit in carne, & cessauit sacrificium Iudæorum, cessauit oblatio pro peccato, quia peccatorum remissor aduenerat: non erat remedium necessarium legis, vbi legis auctor adstabat. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: Scriptum profectò de Christo est in principio veteris testamẽti, quod venturus esset; vt in redemptione hominum Dei Patris faceret voluntatem: subdit: scriptum est in capite libri, quod Abel iusti placuit hostia Deo, displicuit oblatio parricidæ: Nonne apertè significauit Dominus Iesus offerendum se esse pro nobis, vt in sua passione noui sacrificij gratiam consecraret, ritum populi parricidalis aboleret? Quid autem expressius, quam quod à S. Patriarcha oblatus est filius, & aries immolatus est? nonne apertè ostendit, hominis carnem, quæ omnibus terrenis est communis animantibus, non diuinitatem vnigeniti filij Dei obnoxiam futuram sacræ vulneri passionis? Scriptũ est in capite libri, Agnus Gen. 4. 4. 5 Gẽ. 22. 14. Ex. 12. 5.

sine

sine macula,, maturus, masculus, anniculus erit vobis, & occidet eum omnis Synagoga. Quis iste sit agnus, audistis dicentem
Io. 1. 29. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi: hic est, qui occisus est ab omni populo Iudæorum, quem adhuc hostili odio persequuntur. *Et post pauca*: Scriptum est etiam non solum in capite, sed in omni legis complexione venturum hominem ad conseruandum hominum genus, qui omnia vellet, quæ Deus vellet: vnde intelligis, quoniam diuinitatis eiusdem est, qui eiusdem est voluntatis; vnde etiam ad Sacrificium passionis voluntarius accessit, meritòque prædixit, voluntariè sacrificabo tibi.
Ps. 53. 8.

Idem Ambrosius in Epistolam ad Hebr. 10. Ablata sunt signa promittentia, quia exhibita est veritas promissa: ideo ait, Holocaustomata, sacrificia noluisti, corpus autem aptasti mihi, hoc est peccatum humani generis legalia sacrificia non potuerunt expiare; corpus autem aptasti mihi: Hoc ex persona dicitur eius, qui corpus suscepit nostræ mortalitatis, vt pro nobis haberet, quod offerret. Tunc dixi, Ecce venio: Dum tempus fuit, vt ablata essent signa, & veritas promissa veniret, Tunc dixi, Ecce venio. Ablata hæc, illa oblata; hæc impleta vbi sunt, sacrificia Iudæorum transierunt, & non sunt in Ecclesia Christi; quia venit ille, qui figurabatur illis sacrificijs, de quo in capite, siue in capitulo libri scriptum est: Cuius libri? vtique psalterij, vbi dicitur, Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via pecca-
Ps. 1. 1. torum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit; sed in lege domini voluntas eius: qui psalmus capitulum libri totius dicitur à quibusdam. Ideo Apostolus hic dicit, in capite libri scriptum est de me, vt facerem, Deus, voluntatem tuam: Hoc est quod in Euangelio dicitur, Non veni, inquit, facere voluntatē
Ioh. 6. 38. meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Aufert primum, vt sequens statuat, hoc est Euangelium, quod per Christum oblatum est, firmum statuat: in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi Iesu semel.

Idem quoque Ambros. in Apologia Dauid c. 17. Holocausta, & pro peccato non postulasti: Tunc dixi; Ecce venio: Idest non rapinam arbitratus esse me æqualem Deo. Ecce venio formam serui accipiens: venio in specie assumptionis humanæ, in veritate Crucis, in mortis humilitate obedientiam probaturus, vt inobedientia deleatur.

D. Basilius in scholijs ad ps. 39. Hanc itaque vocem Apostolus ad Christum refert, idque vehementer meritò: locus autem Apostoli est ad Hebr. c. 10. 5. vbi ait, Ideo ingrediens mundum dicit Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt: Tunc dixi,

Ecce

Ecce venio : in capite libri scriptum est de me, vt facerem Deus voluntatem tuam.

D. Chrysost. in expos. 2. ps. 39. à v. 5. aduentum incarnationẽque domini significari, ac prædici existimat. Multa, inquit Propheta, fecisti tu domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est, qui similis sit tibi. Non solum cælum, & terram, & alia Dei dicit opera, vel potius nec illæ tantum dicit; neque enim dicit, fecisti iudicia tua, sed fecisti, inquit, mirabilia tua: quænam sunt autem eius mirabilia? quod cum Deus esset, homo fieri dignatus est; quod cum esset opifex, luti, & figmenti formam suscepit. Testabitur autem versiculus, qui sequitur, Annunciaui, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum, quæcumque enim Ecclesia, quæ à prophetis didicit, enunciauerit, vel ipsa etiam locuta fuerit per prophetas, numerum tamen longè superat, & dictum non inuenitur, quandoquidem ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; sed nec Christi decreta, nec eius miracula possumus recensere: id autem testatur Ioannes Theologus dicens post multa, quæ de eo narrauit miracula, sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si singillatim scribantur ne ipsum quidem mundum existimo contenturum libros, qui essent scribendi. Sacrificium, & oblationem noluisti: corpus autem perfecisti mihi. Quænam sacrificia, & quasnam oblationes noluisti? legales videlicet; eas enim & si ad tempus propter cordis Iudæorum duritiam constituit, vt inutiles tamen, & quæ vmbram haberent superuacaneam, cum venisset veritas, noluit; & ideo dixit per Isaiæ prophetiam, Holocausta arietum, & adipẽ agnorum, & sanguinem taurorum, & hircorum nolo. Quæ est autem veritas, quam pro vmbra volebat? Christi sacrificium, & propterea dicit, Corpus autem perfecisti mihi, significans carnem Domini, quam ex Sanctissima, & Deipara Maria perfecit. Vel etiam aures perfecisti mihi; ita enim habent libri psalmorum, qui ex hebræis scripti sunt: obedientiam autem per aures significat, quoniam melior est obedientia, quam sacrificium; Christus autem eam pro nobis adeo pulchrè exercuit, vt Paulus dicat, Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortẽ autem crucis. Holocaustum & pro peccato non postulasti: Tunc dixi: Ecce venio. Quando enim quæ ex lege fiebant holocausta, & pro peccato sacrificia exprobauit, tunc dixit Christus, Ecce venio. Vel id dicens ex persona Ecclesiæ; tunc enim populus gẽtium occurrit ad salutem: vel ex propria persona; quoniam tunc Christus tamquam agnus venit, vt pro nobis sacrificaretur. In capite libri scriptum est de me. Hæc Christus, si de se ipso quidem dicit, intelliges caput libri Euangelium, & multo magis v-

1. Cor. 13. 9.

Io. vlt. v. 25.

Is. 1. 15.

1. Reg. 15. 22.

Phil. 2. 8.

nius-

niuſcuiuſque Euangelij prooemium, quandoquidem ſolemus capita nominare initia: quid ergo de ſeipſo ſcriptum eſt in principio
Io. 1.1. libri Euangelici? In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; quibus cum alia adiunxiſſet Theologus, adiunxit, Et Verbum caro factum eſt, & habitauit
Ib.14. in nobis, vniuerſam Christi auctoritatem, & humanæ ſuſceptæ naturæ œconomiam, quantum audiri poterat, exponens. Quod ſi caput libri dicit de Eccleſia, dicit forte huius libri pſalmorum prooemium, in quo beatum dicit eum, qui non ambulat in conſilio impiorum, nec ſtat in via peccatorum, nec ſedet in cathedra peſtilentiæ Iudæorum, ſed ſtat ſecus riuos aquarum, nempe fontes baptiſmatis, apertè autem ſignificauit populum Eccleſiæ. Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui. Patris, & filij vna eſt, & eadem voluntas, & ideo dicebat Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui me miſit. Quo circa iure hic Dei voluntatem, nempe Patris ſe voluiſſe dicit, ipſam propriam per hoc voluntatem appellans.

D. Cirillus Alex. lib. 4. in Euang. Io. c. 12. initio: Non poterat mors aliter deſtrui, & mortis princeps deponi, niſi Chriſtus ſeipſum in redemptionem pro nobis tradidiſſet; propterea in pſalmis immaculatam quaſi hoſtiam Patri ſe offerens ait ſacrificiũ, & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi, holocauſta, & pro peccato tibi non placuerunt; tunc dixi: Ecce venio: In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui. Nam quoniam taurorum, hircorumque ſanguis, & iuuencarum cinis ad peccatorum ablutionem non ſufficiebat, nec brutorum vnquam animalium cædes mortem potuit deijcere, ipſe Chriſtus, ipſe inquam vnus pœnas pro omnibus luit; liuore namque ipſius ſanati ſumus, & delicta noſtra ipſe
Iſ. 53. 5. corpore ſuo in lignum tulit: crucifixus autem pro omnibus, vt morte vnius in ipſo omnes viuamus; non enim fuit amplius poſſibile à morte, atque interitu vitam noſtram detineri.

D. Hieron. Sacrificium, & oblationes noluiſti, &c. Aperte hæc Apoſtolus declarat, quod adueniente Domino ceſſauerint ſacri-
Heb. 10. 5. ficia Iudæorum: Impoſſibile eſt, inquit, ſanguine hircorum, aut taurorum auferri peccata: ideo ingrediens in mundum dicit, Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: holocauſtum, & pro peccato non tibi placuit, niſi me ipſum pro totius mundi delicto tibi ſacrificium exhiberem. Tunc dixi, &c. quia ſacrificia, & ceremonias Iudæorum, & ſabbata, & ſuperſtitiones Legis veteris, ſpiritualis Euangelij religione mutaſti; propterea lætus in mundum venio, & de me ſcribitur, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Ver-

Verbum. Tunc dixi, Ecce venio, vt assumam carnem, in qua patiar. In capite libri scriptum est de me. Capue libri testamenti veteris tale sumit exordium, In principio fecit. Deus cælum, & terram idest in Christo Domino: Hoc mysterium, & Ioannes cernens sic Euangelium inchoauit, In principio, inquit, erat Verbum, & Verbum erat Deus! Nam & ipse interrogantibus Iudæis, quis esset, respondit, Principium. Caput ergo libri intellige principium, quod est Christus Iesus, qui in hoc libri capite nunciatus est. Vt faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui. Descendi enim de coelo, non vt faciam voluntatem meam, sed tuam, Pater: non voluntas est carnis, sed Patris, vt pro vita hominum moriar. *Io.1.1.* *Io.8.25.*

Petrus Damiani serm. 45. qui est de Nat. Virginis. Impossibile erat, vt brutorum carnes animalium sanctificarent animas hominum, & irrationalis hostia ratione vtentium sufficeret abolere peccata: Vnde ex persona Filij ad Patrem per psalmistam dicitur, sacrificium, & oblationem noluisti; holocausta etiam pro delicto non postulasti: Tunc dixi, Ecce venio. Oportebat ergo, vt rationalis hostia fieret, quæ naturam rationabilem expiaret: sed peccator aliquis homo, sicut indignus erat, vt sacrificium offerret, sic etiam nihilominus vt ipse sacrificium fieret. Quid igitur Sacerdos noster faceret? quò se verteret? quod redemptionis nostræ consilium inueniret? *Infra*: Considerate fratres mei diligenter; considerate ineffabilis viscera pietatis; perpendite immensum, & inæstimabile pondus diuinæ caritatis: quia enim in rebus inueniri non poterat pretium nostræ redemptionis, redemptor noster semetipsum obtulit Patri pro nobis hostiam in odorem suauitatis, sic ipse factus est Sacerdos, & sacrificium, ipse redēptor, & pretium. Vnde rectè per Paulum dicitur, Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cælis factus, qui non habet quotidie necessitatem, &c. *Heb.7.26.*

Rupertus lib. 4. in psalmos cap. 5. Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi: in capite libri scriptum est de me; vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui. Noluisti, *ait*, sacrificium, & oblationem, quæ præcipiebatur in lege offerri; aures autem, idest intellectum, vt solus intelligerem, cur ea nolles, quid tu velles, perfecisti mihi. Tunc dixi, Ecce venio. Ecce incarnatus sum, paratus, vt faciam voluntatem tuam; sicuti in capite libri scriptum est, idest sicut in sapientia tua personaliter mihi vnita dispositum est.

Idem Rupertus lib. 1. in Ionam c. 3. Holocaustum, & pro peccato non postulasti: tunc dixi, ecce venio: Et sensus est: Cum

ego intelligerem, quod illa de brutis animalibus sacrificia nolles; quod nullus ex omnibus Iustis de peccato ad plenum satisfaceret; tunc dixi, Ecce venio, sciens sine dubio futurum esse, quod satisfacerem pro omnibus, & clamantem exaudires me.

ANNOTATIONES.

1 TUnc dixi, Ecce venio. Quamobrem Verbum Dei, non autem Pater, aut Spiritus S. reparandi sibi hominis prouinciam susciperet, & ad eiusdem redemptionem vltro se offerret, accingeretque, satis congruentes, minimèque vulgares rationes afferuntur à Patribus. Prima est, vt sicut per Verbum facta sunt omnia, ita per idem Verbum omnia in reparatione hominis reficerentur; est enim homo secundum aliquid omnis creatura; quia omnis creaturæ aliquid habet, vt rectè ad illud Marci, *prædicate Euangelium omni creaturæ* notauit D. Greg. hom. 29. in Euang. *habet namque esse commune cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus; intelligere cum angelis*: quin etiam idem homo mysticè ex eodem Greg. lib. 10. Mor. c. 10. & cælum est, & infernus, & terra, & mare: Cælum quidem, cùm iam per desiderium summis inhæret; infernus autem, cùm tentationum suarum caligine perturbatus in infimis iacet; terra vero, quia in bono opere fixæ spei vbertate fructificat; mare denique, quia in quibusdam trepidus quatitur, & aura suæ mutabilitatis agitatur. Cum ergo omnis creatura eo, quo diximus, modo sit homo, congruum sanè fuit, vt omnia, quæ per Verbum facta sunt, per idē Verbum simul cum homine instaurato innouarentur, perficerenturque. Similis est ratio, quam affert Innoc. III. serm. 1. in aduent. Domini, quærens enim, Cum tres sint, qui testimonium dant in cælo, Pater, & Verbum, & Spiritus S. cur Pater ipse non venit, aut Spiritum Sanctum non misit? cur potius Filium destinauit? respondet tandem, ita disposuisse altitudinem diuini consilij, vt Deus, qui in sapientia sua mundum creauerat secundum illud Omnia in sapientia fecit Deus, ipse mundum in eadem sapientia recrearet. Secunda ratio: Quoniam Filius Dei imago est Patris; homo autem factus ad imaginem Dei; debuit is, qui ad imaginē quam in se culpa corruperat, ab eo, qui est imago, iterum signari, & in pristinam formam, splendoremque reduci. Ita D. Ambros. ser. 10. in ps. 118. *Homo, inquit, non est imago Dei, sed ad similitudinem factus: alius est imago Dei inuisibilis, primogenitus vniuersæ creaturæ, per quem facta sunt omnia: ille non ad imaginem, sed imago, tu non imago, sed ad imaginem. Habes ergo in tua substantia aliquid de imagine, & similitudine Dei, quod*

sit

Mar. 16. 14.

1. Io. 5. 7.

ps. 103. 24.

sit diuinæ simile imagini; propterea imago ad eum, qui est ad imaginem, venit; & quærit imago eum, qui est ad similitudinem sui, vt iterum signet, vt iterum conformet; quia amisisti, quod accepisti. Idem docet Orig. hom. 1. in Gen. ad illa verba *Fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum, Oportet*, inquit, *nos videre quæ est imago Dei, & perquirere, ad cuius imaginis similitudinem homo factus est: non enim dixit, quia fecit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, sed ad imaginem Dei fecit illum: quæ est ergo alia imago Dei, ad cuius imaginis similitudinem factus est homo, nisi Saluator noster, qui est primogenitus omnis creaturæ, de quo scriptum est, quia sit splendor æterni luminis, & figura expressa substantiæ Dei, quia & ipse de se dicit, Ego in Patre, & Pater in me, & qui videt me, videt & Patrem? sicut enim qui viderit imaginem alicuius, videt eum, cuius imago est, ita & per Verbum Dei, quæ est imago Dei, Deum quis videt: & ita verum erit, quod dixit: qui videt me, videt & Patrem. Ad huius ergo imaginis similitudinem homo factus est, & propterea Saluator noster, qui est imago Dei, misericordia motus pro homine, qui ad eius similitudinem factus fuerat, videns, eum deposita sua imagine maligni imaginem induxisse, ipse motus misericordia imagine hominis assumpta, venit ad eum, sicut Apostolus contestatur dicēs, Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualē Deo, sed exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo.* Sed multò expressius D. Athan. de Incarnat. Verbi, *quid igitur*, ait, *Deo conueniebat, vt faceret, nisi vt exemplar imaginis renouaret, vt per id denuo ipsum homines cognoscerent? Id autem quomodo confici potuit, nisi ipsa imago Dei Saluator noster Christus superueniret? Ergo Verbum ipsum aduenit, vt imago Patris, quò hominem, qui ad imaginem figuratus erat, recuperaret. Vt enim forma aliqua in tabulis depicta, sordibusque aliunde superiniectis obliterata instaurari nequit, nisi eius præsentia adhibeatur, ad cuius speciem primitùs tabula depicta fuit; eodē modo vndecumque ille bonus Patris filius, imago, & character Patris, ad regiones nostras profectus est, vt hominem ad sui similitudinem factum denuo reficeret, & perditum condonationem peccatorum recuperaret.* Tertiam rationem affert D. Bern. serm. 1. de adu. Domini, vbi hæc habet, *Quid sibi vult, quod è tribus personis, quas in summa Trinitate credimus, confitemur, & adoramus, non Pater, non Spiritus S. aduenit, sed Filius? neque enim sine altissimo Trinitatis consilio factum est, vt filius adueniret; & si consideremus exilij nostri causam, fortassis aduertere possumus, vel ex parte, quam congruum fuerit à filio nos maximè liberari. Lucifer enim ille, qui manè oriebatur pro eo quod altissimi similitudinem*

Gen. 1.27.

Heb. 1.3.

Io. 14.10.

Phil. 2.6.

 vsur-

vsurpare tentauit, & rapinam arbitratus est esse se aqualem Deo
Rom. 12. 19. *(quod vtique filij est) precipitatus illicò corruit, quoniam Zelauit pro filio Pater, & opere dixisse videtur, Mibi vindicta, ego retri-*
Luc. 10. 18 *buam: Continuò videbam Sathanam, tamquam fulgur, caden- tem de cælo: Corruens de cælo, & protinus inuidens homini, quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem suadens, vt lignum vetitum gustans fieret, sicut Deus sciens bonum, & malum. Nec dissimulat iniuriam Filij Pater, sed continuò, & in ipsum hominem vindictam retribuit, & aggrauat super nos manum suã; omnes enim in Adam peccauimus, & sententiam damnationis ac-*
Rom. 5. 12. *cepimus omnes: Quid agat Filius videns pro se zelare Patrem, & nulli penitus parcere creaturæ? Ecce, inquit, occasione mei creaturas suas Pater amittit: altitudinem meam primus Angelus affectauit, & populum, qui sibi crederet, habuit: sed continuò Patris zelus grauiter vindicauit in illum percutiens cum pariter cum omnibus suis plaga ineuitabili, castigationeque crudeli: Scientiam quoque, quæ nihilominus mea est, surripere homo voluit, & ne illi quidem misertus est, nec pepercit oculus: duas solum fecerat nobiles creaturas, Angelum videlicet atque hominem; sed ecce propter me Angelos perdidit multos, homines vniuersos: Ergo vt sciant, quia & ego diligo Patrem, per me recipiat, quos quodammodo propter me amisisse videtur: si propter me tempestas hæc orta est, ait Ionas,*
Ion. 1. 12. *tollite me, & mittite in mare. Omnes inuident mibi: Ecce venio, & talem eis exhibebo memetipsum, vt quisquis inuidere voluerit, quisquis gestierit imitari, fiat ei æmulatio ista in bonum:* Et post multa: *Venit non in initio, nec in medio temporis; sed in fine; nec incongruè factum est; sed verè sapienter disposuit sapientia, vt cũ magis esset necessarium, tunc primò fieret auxilium, prænos ad ingratitudinem Adæ filios non ignorans: verè enim aduesperascebat, & inclinata erat iam dies; recesserat paulominus sol iustitiæ, itaut exiguus nimis splendor eius, aut calor esset in terris: nam & lux diuinæ notitiæ parua admodum erat, & abundante iniquitate feruor refrigeuerat charitatis: iam non apparebat Angelus, non loquebatur propheta; cessabant veluti desperatione victi præ nimia vtique duritie hominum. At ego (ait Filius) Tunc dixi, Ecce venio: sic, dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu iter*
Sap. 18. 15 *peragéret, omnipotens sermo tuus, Domine, à regalibus sedibus venit.* Audire etiam iuuabit Innoc. III. rationem eamdem ad hunc modum serm. 1. in adu. Dom. per sequentem. *Porrò subtilior, & si secretior huius mixtionis est ratio, quam propheta nobis in-*
Ion. 1. 2. *sinuat, si propter me, inquit, orta est tempestas, mittite me in mare. Prima tempestas orta est in empyreo cælo. Secunda paradiso. Prima inter Angelos. Secunda inter homines. Prima nam-*

quę tempestas fuit tremor superbia, per quem Lucifer voluit ad æqualitatem Dei ascendere iuxta quod ait, Ascendam in cælum, & ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo. Sed volens ascendere cecidit secundum illud, quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? Secunda tempestas fuit ardor cupiditatis, per quem homo Dei scientiam concupiuit iuxta quod serpens illis promiserat, Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum; sed concupiscens alienum amisit proprium secundum illud, Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, &c. Hæc duo vitia sunt radix, & origo omnium malorum; omnium vitiorum; nã de superbia legitur, Initium peccati est superbia, de cupiditate dicit Apostolus, Radix omnium malorum est cupiditas. Verùm in sancta, & indiuidua Trinitate Patri attribuitur vnitas propter principium, Filiõ attribuitur æqualitas propter medium, Spiritui S. attribuitur connexio propter consortium. Prima ergo tempestas, quæ orta est inter Angelos propter Dei æqualitatem, ipsa est orta propter Filium, qui secundum Apostolum non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed in Trinitate Patri attribuitur potentia, Filio sapientia, Spiritui S. dilectio: Secunda ergo tempestas, quæ orta est inter homines propter Dei scientiam, ipsa quoque orta est propter Filium, qui secundum Apostolum est Dei virtus, & sapiẽtia. Porrò qui occasionem damni dat, & damnum dedisse videtur; ideoque verus Ionas, idest Christus, spiritualiter missus est in hoc mare magnum, & spatiosum, idest in mundum, in quo fuit absortus à ceto, idest sepultus in monumento iuxta quod ait, sicut fuit Ionas tribus diebus, & tribus noctibus in ventre ceti, ita filius hominis tribus diebus, & tribus noctibus erit in corde terræ. Hinc alibi dicit, Veni in altitudinem maris; & tempestas demersit me, vt sic repararet, quæ in cælis, & quæ in terris sunt, idest ruinam angelicam, & casum humanum. Denique quoniam homo, ac Filius Domini à Deo redemptus in eam dignitatem euehendus erat, vt Filius Dei nominaretur, & esset, consentaneum sanè fuit, vt Filius Dei per dispensationem carnis assumptæ fieret homo, & Filius hominis diceretur. Postremam hanc rationem tangit D. Athan. contra Apollinarem de natura suscepta ab Vnigenito Verbo dicens, *Ea ratione Filius Dei homo factus est, vt Filij hominis, hoc est Adæ, Filij Dei efficerentur: subditus ipse igitur matrem duntaxat habet in terris, & nos duntaxat Patrem habemus in cælo, atque de causa filium hominis seipsum appellat, vt homines Deum cælestem Patrem suum appellarent: quemadmodum igitur nos serui Dei Filij Dei effecti sumus, ita Dominus cælorum filius sui serui effectus est hoc est Adæ.* Et D. Chrysost. hom. 2. in Matt. *Cum verus, & dilectus filius sis sempiterni Dei, etiam filius Dauid esse dignatus est,*

Is. 14. 13.
Ibi. v. 12.
Gen. 3. 5.
Luc. 10. 30
Ecc. 10. 15
1. Tim. 6. 10.
Phil. 2. 6.
1. Cor. 1. 24.
Mat. 12. 40.
ps. 78. 3.

modo vt te filium faceret Dei; seruum Patrem habere dignatus est, vt tibi seruo Patrem faceret ipsum Deum.

Gal. 4.4.

MITTITVR A PATRE AD HOMINVM REDEMPTIONEM, AC SALVTEM IN PLENITVDINE TEMPORIS.

§. IV.

1 Misit Verbum suum, & sanauit eos ps. 106. 20.
2 Quid est homo, quod memor es eius; aut filius hominis, quoniam visitas eum? ps. 8. 5.
3 Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. ps. 101. 14.
4 A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius. ps. 18. 7.
5 Redemit eos de manu inimici, & de regionibus congregauit eos. ps. 106. 2.

1 D. Ambros. in expos. ps. 43. Intellexit enim, quod nemo perfectus medicus, nisi qui descendisset de cælo, de quo cognouerat dictum, Misit Verbum suum, & sanauit eos.

D. Aug. lib. de essentia diuinitatis longe ab initio, habetur to. 4. Verbum Dei est filius Dei Patris, per quod omnia facta sunt, de quo in psalmo, Verbo Domini cæli firmati sunt, & alibi, Misit Verbum suum, & sanauit eos. (ps. 32. 6.)

D. Basil. in scholijs ad ps. 106. Modum salutis docet, Deus enim Verbum homo factus, & missus vt homo (vt Deus enim circumscriptus est) omnis generis animarum vulnera sanauit, & corruptas cogitationes incolumes reddidit.

D. Bruno Episc. Misit Verbum suum, &c. Hoc autem de Saluatore nostro intelligitur, qui ad sanandas, & liberandas omnes gentes à Domino missus est.

Io. 1. 1. Mat. 4. 23. D. Hieron. Misit verbum suum, & sanauit eos, ipsum filium, qui in principio erat Verbum, qui in Euangelio sanat omnem languorem, & omnem infirmitatem.

Mat. 8. 8. D. Petr. Chrysol. serm. 102. ad illa verba Centurionis Dic verbo, & sanabitur puer meus. Impleuit illud, quod Propheta de Deo cecinit, Misit Verbum suum, & sanauit eos.

2 D. Ambrosius in caput 2. epist. ad Hebr. Quid est homo? Cum despectu pronunciandum est, idest fragilis, & caducus, Adæ sequax, qui in veteri sit peccato generali prauitate demulctus: huius

memor est Dominus, quando ei peccata dimittit, & misericordię suæ dona largitur. Aut filius hominis quoniam visitas eum? Huic iam voci assurgendum est, quod Dominum significat Saluatorem; quia non vt ceteri mortales ex duobus hominibus natus est, sed ex Spiritu S. & B. Mariæ semper Virginis vtero tamquam sponsus gloriosus de thalamo suo processit. Et considera, quod superius dixit, Memor es: subiecit autem, visitas: Memor fuit, cum Patriarchis de cælo misertus est: Visitauit, cum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Nam visitare dicitur, quando medicus ad infirmos ingreditur, quod in aduentu Domini reuera constat impletum.

3 *D. Brun. Carth.* Tu exurgens misereberis Sion, &c. Tu enim, qui diu visus es iacens, & salutem hominum negligens, exurgens ad saluationem misereberis Sion, idest parti Iudæorum saluandæ, remittendo ei peccata per pænitentiam, & fidem; quia iam venit tempus miserendi eius, tempus scilicet plenitudinis, quod ab æterno disposuisti, vt in eo eius Sion miserearis, quia venit, inquam, tempus miserendi. Hoc autem repetit ex nimia affectione saluationis eorum.

D. Greg. in expos. ps. 5. panit. Per Filium Deus exurrexit; quia qui antea non cognoscebatur; per eum in hominum notitiam venit. Vnde & Verbum Patris, & splendor dicitur; quia per eum & voluntas Dei agnoscitur, & ipsa diuinitatis essentia declaratur. Sion vero, idest Iudaici populi misertus est, quando de eorum progenie nasci voluit, & prius eos ad fidem vocauit. Tempus miserendi tempus plenitudinis intellige; quia iuxta Apostoli sententiam: Vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Quod verò ait, quia venit tempus, tempus nimirum gratiæ vult intelligi, de quo Dominus per Prophetam dixit, Tépore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te: quod exponens Apostolus ait, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. *Gal. 4. 4.* *Is. 49. 8.* *2. Cor. 6. 2*

Innoc. III. in expos. ps. 5. panit. Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi venit, & secundum aliam translationem repetit, quia venit tempus. Hæc repetitio confirmationem designat secundum quod Ioseph inquit ad Pharaonem, quod secundò vidisti ad eamdem rem pertinens somnium, firmitatis est indicium: vel repetitio ista exprimit desiderium, secundum quod alibi dicitur, Miserere mei Deus, miserere mei. Quia verò vniuersæ viæ Domini misericordiæ sunt, & veritas, propter quod ipse psalmista testatur; Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine, constat, quod misericordia, & iudicium conuenerunt; sed il- *Gen. 41. 32* *Ps. 56. 2.* *Ps. 24. 10.* *Ps. 100. 1.*

la

la manifesta, hæc autem occulta; ideoque bis dicit, quia venit tempus, quia tempus venit; quoniam Salomone testante tempus est omni rei, quæ sub cælo est: sed in primo misericordiam ponit, & exprimit dicens, Tempus miserendi venit, quia misericordia exiftit manifesta: in secundo verò, nec exprimit, nec ponit iustitiam, sed dicit simpliciter, quia venit tempus, quia iustitia erat occulta. Et infra: Tu ergo exurgens misereberis Sion, ac si diceret manifestius, Tu, qui videbaris tamdiu differendo dormire, nunc tandem exurgens, misereberis Sion: propter quod antiqui fideles clamabant, Exurge Domine, adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum, exurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem. Quia tempus miserendi eius: duo populi erant Iudaicus, & Gentilis; vtriusque in aduentu suo voluit Dominus misereri, vt duos diuersos parietes in vno angulari lapide copularet: & prius quidem misertus est Iudæorum; vnde præmittit, Tu exurgens misereberis Sion, ideft Iudææ, cuius metropolis erat Sion; postea vero misertus gentium; vnde subiungit, & timebunt gentes nomen tuum Domine: quod bene signatum est in pastoribus, qui cum essent Iudæi, prius de vicino venerunt ad vocem Angeli; & in Magis, qui cum essent gentiles, postea de longinquo venerunt ad signum stellæ: vtrique tamē ad eum, qui est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, in vno homine faciens pacem, pacem his, qui prope, & pacem his, qui longe. Et fortassis propter hos duos populos, quibus veniens est misertus prius dicit, quia venit tempus miserendi Iudæis, & postea dicit, quia venit tempus miserendi gentilibus.

Eccl. 3. 17. — *Psal. 43. 26.* — *Ibid. 23.* — *Eph. 2. 14.* — *Ibid. 17.*

4 *D. Amedeus hom. 3. de laud. Virg.* Exultauit, vt gigas ad currendam viam; à summo cæli egressio eius, & occursus eius, &c. A summo cælo egressio eius: Quid est à summo cælo? A Deo, qui est summa essentia, summum bonum, summa beatitudo. Summa essentia est, quæ nec loco circumscribitur, nec mutabilitate mouetur, nec tempore clauditur, sed omnia loca maiestatis immensitate circumscribit, omnia mutabilia mouet propria immobilitate, claudit cuncta tempora æternitatis infinitate. Summum bonum est eadem essentia: non ex alio essentia, ex alio bonum, non solum per dictam immensitatem, immutabilitatem, & æternitatem; verum etiam propter æternam largitatem creationis, quam parturiuit in tempore: & infinitam sapientiam, qua, antequam quidquam esset, cuncta disposuit; & amorem ineffabilem, quo opus suum complectebatur, antequam produceretur in creationem. Item summa beatitudo consistit in summo bono, suique adeptione efficit verè beatos; eius namque participatione vita æterna acquiritur, perfecta sapientia tribuitur, amoris plenitudo posside-

detur; vt plena ſinceritas ſit in æternitate vitæ, plena iucunditas in lumine ſapientiæ, plena ſuauitas in amoris dulcedine: Hæc de ſumma eſſentia, de ſummo bono, de ſumma beatitudine diximus, vt interluceret nobis ſummum cælum, de quo venit Chriſtus. Sed quia hoc ſummum cælum Pater, hoc ſummum cælum Verbum, hoc ſummum cælum Spiritus S. venit Chriſtus à Patre, venit etiam quodammodo à Verbo, venit à Spiritu S. qualiter autem venit à Patre, qui nunquam reliquit Patrem? qualiter à Verbo, qui numquam Verbum eſſe deſtitit? qualiter à Spiritu S. cum Spiritus S. à Patre, & ab ipſo procedat? Chriſtus venit à Patre, venit à Verbo, venit à Spiritu S. quando tota Trinitas conceptionem, & humanitatem illius operata eſt: nihil enim aliud fuit à ſumma Trinitate venire, quam operante eadem Trinitate cōcipi, & humanari: ideo dictum eſt, A ſummo cælo egreſſio eius. Venit etiam Vnigenitus à Patre, & à ſe ſecundum alterius modi intelligentiam; venit à Spiritu S. aliter tamen à Patre, & à ſe, aliter à Spiritu S. A Patre namque genitus æternaliter, ex matre prodijt genitus temporaliter; apud Patrem manens inuiſibiliter, & cum hominibus viſibiliter conuerſatus; hoc enim fuit illi egredi à Patre; quod tempora noſtra ſuſcipere, quod foris viſibiliter apparere, & fieri, quod ex Patris natura non erat: quod verò dictu mirabile eſt, iſte venit ab eo; à quo non recedebat, ab illo egrediens, in quo remanebat, vt ſine interuallo totus eſſet in æternitate, totus in tempore, totus inueniretur in Patre, quando totus in Virgine; totus in ſua, & Patris maieſtate, quando totus in noſtra humanitate. Si quæris, quomodo? collige veritatem ex imagine: Verbum in corde genitum aliquando integrè exit in voce, vt perfectè ad alios veniat, & totum in corde remaneat: ſic Verbum bonum de corde Patris eructatum, & in campum exijt, & Patrem non reliquit. Venit etiam Verbum à ſe, deſcenditque ſub ſe, quando caro factum eſt, & habitauit in nobis, quando ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens: Illa exinanitio eius deſcenſio fuit; ita tamen deſcendit, vt ſibi non deeſſet; ita caro factum eſt, vt Verbum eſſe non deſineret; nec minuit gloriam maieſtatis humanitatis aſſumptio. Sciendum quoque qualiter à Spiritu S. venerit, cum Spiritus S. ab illo procedat. Procedit quidem ab illo Spiritus S. æterna proceſſione; ſed ille natus ex Maria Virgine venit de Spiritu Sancto temporali conceptione: Nam quod Verbum de Spiritu S. venerit, ſic habes in Abacuc, *Ab. 3. 3.* Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de Monte Pharan: Per Auſtrum, in quo eſt vitalis calor, virtuſque genitiua, Spiritus S. deſignatur, qui confert vitæ nouitatem faciens oriri germina virtutum: & licet B. Hieronymus, quem ſequi cupimus, montem

Pharan Patrem appellarit; non incongruè tamen mōte Pharan idē Dominus significatur: Mons dicitur propter excellentiam caritatis; Pharan propter gratiarum diuisionem: Pharan quippe interpretatur diuisio, & Spiritus Domini dona sua singulis, prout vult diuidit. Venit ergo Deus ab Austro, quia de calore viuificante, & regenerante conceptus est: Venit de monte Pharan, quia de ineffabili celsitudine diuisionis charismatum emanante profluxit. Dic nobis Sancte Daniel, qualiter de hoc monte de-
Dan.2.34. scenderit: præcisus est, ait, de monte lapis sine manibus: quis lapis? lapis, quem reprobauerunt ædificantes; lapis Angularis;
1.*Pet*.2.7. lapis, in quo sunt septem oculi. Hic præcisus est de monte sine
Eph.2.20. manibus: quia virgo sacra suscepit eum non ab homine: neque
Ap.5.6. per hominem, sed de Spiritu Sancto.

D. Bernardus serm. 53. *in Cant.* Dicit de illo Dauid, quia posuit in Sole tabernaculum suum, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo; exultauit vt gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio eius. En quantum saltum dedit! à summo cælo ad terras: sanè enim non inuenio alibi, vbi in sole posuerit tabernaculum suum, idest in luce, & in manifesto suam dignatus est exhibere præsentiam ipse lucis inaccessibilis habitator, nisi vtique in terris. Denique in terris visus est, & cum hominibus con-
Bar.3. uersatus est: in terris, inquam, palam, quod est in sole, posuit tabernaculum suum, corpus videlicet, quod de Virginis corpore ad hoc sibi aptare dignatus est, vt in eo in se inuisibilis vide-
Luc.3.6. retur; & sic videret omnis caro salutare Dei.

Innoc. III. serm. in festo Annunc. A summo cælo egressio eius, &c. Hoc hodie impletum est, quando Verbum caro factum est, & & habitauit in nobis: Et infra: Hodie simul descendit, & ascendit; sed Deus descendit in hominem, & homo ascendit in Deo: Deus ergo descendit, homo ascendit; sed quia Christus Deus est, & homo, ipse descendit pariter, & ascendit.

Rupertus lib. 2. *in Cant. c.* 2. A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius: spatio annorum plusquam
Can. 2. 9. triginta duorum tantam exultando cucurrit viam saliens, atque transiliens tamquam caprea, siue hinnulus ceruorum: de cælo in vterum meum, de vtero meo in crucem, de cruce in sepulchrū, de sepulchro rursus in cælum.

Idem Rupertus de victoria Verbi Dei lib. 3. *c.* 15. Exultauit vt gigas ad currendam viam; à summo cælo egressio eius, quis enim alius gigas, per incarnationem de cælo descendit, & superato mortis imperio cum victoria in cælum ascendit, quod Psalmista prophetico spiritu cecinit, nisi Omnipotens sermo tuus, domine,
Sap.18.15 qui tunc de cælo à regalibus sedibus durus debellator prosiliuit in

ter-

terrā, & vsque ad cælum pertingebat in terra stans? Magnus vbique gigas; qui stās in terra vsque ad cælū pertingebat, quod Psalmista dixit de futuro prophetās, A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius: & quod sapiens ille dixit de præterito memorans: exiliens de cælo à regalibus sedibus in terrā prosiliuit, & vsque ad cælum attingebat stans in terra; eamdem vnius eiusdemque; qui & incarnatus venturus erat in mundum, & nondum incarnatus venerat super Aegyptum velocitatem pariter, & magnitudinem giganteam magnificè prædicant. Sap. 18. 15

5 *D. Bernard. epist. 191. circa med.* Non quærit redimi, qui se nescit captiuum; qui autem scierunt, clamauerūt ad Dominū, & Dominus exaudiuit eos, & redemit eos de manu inimici. Et vt intelligas hūc inimicū, qui sit, quos redemit, ait, de manu inimici; de regionibus cōgregauit eos. Sed primò quidē agnosce hunc cōgregatorē, de quo Caiphas prophetat in Euāgelio, quia Iesus moreretur pro gente; & qui narrat, sequitur dicēs nō tantū pro gēte, sed vt filios Dei, qui erāt dispersi, congregaret in vnum; quo erant dispersi? in omnes regiones: ergo quos redemit, de regionibus congregauit eos; non congregaret, nisi redimeret; erāt enim nō solū dispersi, sed & captiui: redemit, & congregauit. Redimit autem de manu inimici; nō dicit Inimicorum, sed Inimici: Inimicus vnus regiones multæ; siquidē nō de regione, sed de regionibus cōgregauit eos, à solis ortu, & occasu, ab Aquilone, & mari. Quis iste vnus tam potens Dominus, qui non vni præfuit regioni, sed omnibus? nō alius, arbitror, quam ille, qui ab alio Propheta dicitur absorbere fluuium, idest genus humanum; & non mirari; habere autē fiduciam, quòd & Iordanis, hoc est electio ipsa, influat, in os eius: Beati, qui sic influunt, vt effluant, sic intrant, vt exeant. Io. 11. 51. Iob 40. 18

A N N O T A T I O N E S.

1 **M**Isit Verbum suum, & sanauit eos. Non modo missum se à Patre in mundum, sed ratione humanæ naturæ; etiam à Spiritu Sancto ipsemet Filius Dei, colligitur ex Isaia, vt bene aduertit Rupertus lib. 1. in Zacchariam c. 2. vbi *Pulchrum hoc, inquit; & consideratione dignum, quia Propheta Filium, qui reuera Dominus exercituū est, misit Pater sine dubio Dominus exercituum; misit Spiritus S. veraciter Dominus exercituum: Duæ personæ Patris, & Spiritus S. vnā personā Filij miserunt: sic apud Isaiam, mysticè intellectum, ipse loquitur, & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius. Nimirum quando B. Virgo Maria nuncio ante Angelo, concepit hunc Filium Dominum exercituum, & Pater Dominus exercituum misit eum in vterū eiusdem Virginis: Pater quemadmodum ipse dixit: Eructauit cor meū verbum bonum; Spiritus S. quemadmodum Angelus ad Mariam; Spiritus S. ait, superueniet in te; & virtus altissimi obrumbabit tibi*. Dicitur Filius Is. 48. 16. Ps. 44. 1. Luc. 1. 35.

 mitti

mitti à Spiritu Sancto hic à Ruperto per communicationem Idiomatum, ſicuti dicitur Verbum Dei fuiſſe cruci affixum: cum proprie, vt homo, perſona Filij à Spiritu Sancto miſſa fuerit, non vt Verbum Patris, quia ſuperueniens in Virginem, humanam Christi naturam, efformando ſcilicet corpus, & ſanctiſſimã animam cœleſtibus ornatã gratijs, infundendo, in illius vtero præparauit. Chriſtumque vnxit, & ad euangelizandum miſit.

2 *Quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum*. Monet nos D. Ambroſij verba docẽtis in expoſit. huius verſiculi ad cap. 2. epiſt. ad Hebr. viſitationẽ propriè medicorũ eſſe, cũ ægros inuiſunt, *Viſitare, inquit dicitur, quãdo medicus ad infirmos ingreditur, vt filiũ Dei in ſuo ad terras aduẽtu Medicũ attẽdamus*. Cuius eximiã virtutẽ, atque peritiã paucis expreſſit D. Auguſt. ſerm. 59. de verb. Domini dicens, *Iacet toto orbe terrarum ab oriente vſque ad occidentẽ grandis ægrotus; ad ſanandum grandẽ ægrotum deſcendit omnipotẽs medicus*. Sed nec eiuſdẽ ſolertiam tacuit D. Anſelmus ad eũ, quẽ mox citabimus, Apoſtoli locũ, elegãti analogia in mediũ adducta, *Cum venerit, inquit, medicus volens ſibi famam comparare; infirmum quærit aliquem deſperatũ, & ipſum ſanat, & ſi pauperrimum inueniat, non ibi quærit mercedem, ſed commendat artẽ. Ita, & Chriſtus potentiã ſpecialis medicinæ ſpiritualis ſuæ oſtẽdit in Saulo, vt omnes deinceps noſſent, eũ ſanare poſſe cũ-*
1. Tim. 1. *ctas infirmitates cõfugientiũ ad ſe, quẽadmodũ Apoſtolus ipſe teſta-*
16. *tur ad Timotheũ ſcribẽs, ſed ideo miſericordiã cõſecutus ſum, vt in me primo oſtẽdat Chriſtus Ieſus omnẽ patientiã ad informationẽ* vel (vt legit D. Ambroſ.) *ad exẽplum eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam*. Et verò magnus idemque omnipotens medicus eſt, æſtimarique debet, vel ex eo; quod omnibus prorſus ſiue corporis, ſiue animi languoribus medetur; vel ex mirabili ſanè curandi modo, vel etiam ex integra ſatiſque perfecta, quam ægris tribuit, ſanitate. Nam quod omnes morbos curaret teſtatur, Matthæus Euangeliſta, *Et circuibat Ieſus totam Galilaam docens in*
c.4.23. *Synagogis eorum, & prædicans Euangelium, & ſanans omnem languorem, & infirmitatem in populo*. Teſtis etiam eſt Lucas d-
c.6.19. cens, *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. Vnde ſatis [illegible]
Mat.14. vel fimbriam veſtimenti eius tangere [illegible]
36. *ni fierent, à quacumque detinerent* [illegible]
Mar.6.56. te prædixiſſe videtur Dauid ill[illegible]
pſ.44.9. *& caſia à veſtimentis tui*[illegible]
no Carth. tribus hiſce [illegible] us
ijs, qui ad Chriſti v[illegible]
maca ſuſciperent: [illegible] an
ſed ipſa quoque ſ[illegible]

vnà cum corporis morbis latentes abditasque animorum ægritudines sanaret, ex ijs, quæ dixit paralitico, intelligere poteris, *Confide*, inquit, *fili, remittuntur tibi peccata tua*: Nam, vt ait Chrysost. hom. 30. in Matth. *quod peccata verè dimissa essent, subita curatione corporis, quasi certo quodam argumento, è vestigio confirmauit: quod vero corpus curatum erat, quoniam grabatum tulit, & abijt, dubitari non poterat.* Mat. 9.2.

Iam quod ad modum curandi facit, audiendus est D. August. serm. 19. de Sanctis, qui tertius est de Annunc. vbi hæc habet, *Solent medicinæ periti ægritudines, quas curandas suscipiunt, aliquando curare per contraria; aliquando per similia: Hoc fecit Dominus noster Iesus Christus sua paupertate nos ditans, sua humilitate nos subleuans, sua infirmitate nos sanans, sua morte nos viuificans. Simili ratione similia similibus apponuntur, cum secundum quantitatem vulnerum, vel tumorum mensuratur longitudo, vel latitudo epithematum: sic Scorpionum carnes oleo coctæ percussionibus medentur scorpionum; sic theriaca de serpentis carne cōfecta morsibus serpentinis occurrit, & potiones veneno infectas in potu sumpta expellit: At hanc similitudinem medicus noster mortē carnis nostræ de serpente venientem carnis suæ morte sanauit; & mors, quæ per lignum venit, per lignum superata est:* Et lib. 1. de doctr. Christ. c. 14. initio *Quemadmodum*, inquit, *medici cum obligant vulnera non incompositè, sed aptè id faciunt, vt vinculi vtilitatem quædam pulchritudo etiam sequatur: sic medicina sapientiæ per hominis susceptionem nostris est accommodata vulneribus, de quibusdam contrarijs curans, & de quibusdam similibus: sicut etiam ille, qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, sicut frigidum calido, vel humidum sicco, vel quid aliud huiusmodi: adhibet etiam quædam similia, sicut linteolum, vel rotundo vulneri rotundum, vel oblongum oblongo; ligaturamque ipsam non eamdem membris omnibus, sed similem similibus coaptat: Sic sapientia Dei seipsam exhibuit ad sanandum, ipsa medicus, ipsa medicina; quia ergo per* [illegible] *iam homo lapsus est, humilitatem adhibuit ad sanandum* [illegible] *is sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur; nos i*[illegible] *te malè* [illegible] *sumus, vt moreremur, Chri*[illegible] *immorta*[illegible] *vsus e*[illegible] *neremus; corrupte ani*[illegible] *e ingre*[illegible] *us, i*[illegible] *rpore fœmina processi*[illegible] *uero*[illegible] *liga*[illegible] *mbris, & vulneri*[illegible] *nbit*[illegible] *er f*[illegible] *ptor, per fœminam h*[illegible] *mo*[illegible] *s, n*[illegible] *os liberauit.* Hac-

[illegible] morborum nosse cau-
[illegible] uoque medendi ratio-
nem

nem seruari in primis à corporum animorumque nostrorum medico, docet S. Chrysost. hom. 8. de pœnit. vbi afferens illud Matt. 5. 28. Quicumque viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est eam in corde suo, subdit, *Non modo morbum, sed & morbi radicem euellit; radix enim adulterij concupiscentia impudica; quare non modo plectit adulterium, sed concupiscentiam, adulterij matrem: Sic & medici faciunt, non ad morbos instant solum, sed ad causas etiam tollendas: quamuis ægrotantem oculum viderint, prauum rheuma desuper à temporibus compescunt: sic & Christus facit*. Idem obseruat Cassianus lib. 6. qui est de spiritu fornicationis c. 12. vbi *Humani generis*, inquit, *creator, & conditor Deus opificij sui naturam præ omnibus emẽdationemque cognoscens illic curam adhibuit medicinæ, vnde causas morbi principaliter nouerat emanare: quicumque inquiens viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c. Petulantes oculos notans non tam eos arguit, quam illum interiorem sensum, qui officio eorum malè vtitur ad videndum. Cor namque est ægrum, & saucium libidinis telo, quod ad concupiscendum videt, beneficium intuitus sibimet à creatore concessum suo vitio ad prauorum ministeria contorquens, & in semetipso reconditum concupiscentiæ morbum contemplationis occasione producens: idcirco huic præcipitur salutare mandatum, cuius vitio pessimus languor visus occasione procedit: Non enim dicitur, omni custodia serua oculos tuos, quos vtique oportuit principaliter custodiri, si ex ipsis concupiscentiæ prodiret affectus; nihil enim amplius oculi, quam simplex animæ prabent visionis officium: sed dicit, Omni custodia serua cor tuum: illi potissimum imposita medicina, quod vbique abuti potest ad videndum oculorum ministerio*. Ita Cassianus. Idemque dicendum erit de ceteris animi vitijs, seu morbis: cum enim vt adulterij mater concupiscentia, ita quoque causa necis sit ira, & periurij occasio frequens nec necessarium iuramentum, ac ceterorum denique malorum radix cupiditas; propterea Dominus Iesus ab ira nos, & iurandi consuetudine auocat, ac bonorum terrenorum abrenunciationem suadet.

Ad hæc *Bonus medicus* (inquit Ambros. serm. 37. de quadrag. qui incipit: Si benè retinet.) *poculũ quod ægro daturus est, prior gustat, vt peritiam artis suæ ante in se ipse demonstret, & experimẽtum æger accipiens securus sit de poculo, securior de salute*: Ecquam medicus noster, vt ægrotanti homini animum faceret, medicinã non prælibauit? Audi Augustinum serm. 18. de verbis Domini: *Sanari non potes, nisi amarum calicem biberis, calicem tentationum, quibus abundat hæc vita, calicem tribulationum, angustiarum, passionum: Bibe, inquit, bibe, vt viuas: & ne responderet*

ei

ei languidus, non possum, non fero; non bibo, prior bibit medicus sanus, vt bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in tali poculo, quod ille non biberit? Si contumelia? prior audiuit, cum dæmones expelleret, Dæmonium habet, Et quod in Beelzebub eijcit dæmonia: vnde vt & ipse consolaretur ægros, ait, si patrem familias Beelzebub vocarunt, quanto magis domesticos eius? Si dolores amari sunt, ligatus, & flagellatus, & crucifixus est: si mors amara est, etiam mortuus est: si genus mortis exhorrescit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominiosius, quam mors crucis. Io.10. 20. Luc.11.15 Mat. 10. 25.

Verum modus ille curandi, suscipiendo in se morbum ipsum, & dolorem ægrotantis, qualis est? *Mirabile* (inquit Augustinus serm. 19. de Sanctis, qui est 3. de annunc. dominica non longe ab initio) *& incomparabile genus medicinæ, propter quam medicus voluit ægrotare, & ægrotos, quibus salutis remedium procurabat, sua decreuit infirmitate sanare.* Hùc respexit Isaias, cum ait, *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit:* suscipiendo enim dolores nostros curauit nos, & in sanitatem restituit; vnde subiecit, *& liuore eius sanati sumus.* Pulchrè Chrysol. serm. 50. initio *Christus venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes, humana quærere, præstare diuina; accipere iniurias, reddere dignitates; ferre tædia, referre sanitates: quia Medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit, & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatē* Quam bonus medicus Paulus! *Quis infirmatur,* inquit, *& ego non infirmor.* c.53. 4. v. 5. 2.Cor. 11. 29.

Denique admirabiliorem illam curandi rationem de se pharmaca, & medicamina conficiendi audi ex August. qui in explicat. ps. 63. ad illa verba Lætabitur iustus in Domino, *Expectate,* inquit, *consilium medici: quod non descendit de Cruce, quod occidi voluit, antidotum terit,* & serm. 4. de S. Stephano: *Quasi in vno Summo medico in medio constituto phrenetici circumquaque sæuiebant: pendebat ille; & sanabat, Pater, inquit, ignosce illis: pendebat, & tamen petebat, & non descendebat; quia de sanguine suo medicamentum phreneticis faciebat:* & serm. 9. de verb. Apostoli non lōge ab initio: *Illi perdita mente sæuiebant, & medici sanguinem sæuiendo fundebant; ille autem etiam de ipso sanguine suo ægrotis medicamenta faciebat:* Et post pauca: *Erant in ipso populo, à quo ipse medicus occidebatur, & in eius sanguine etiam ipsis antidotum parabatur: cum enim Dominus non solum sanguinem funderet, verum etiam ipsam suam mortem ad medicamenti confectionem impenderet, resurrexit ad demonstrandum resurrectionis exemplum.* Luc.23.34

Iamuero perfectæ sanitatis malè habentibus restitutæ documēta duo habemus: alterum in Socru Petri; alterum in Paralytico,

Mat.8.14. Luc. 4.39. De illa expendens Chrysol. serm. 18. quod ab Euangelistis Matthæo, & Luca narratur, dimissam scilicet à febri continuo surrexisse, & ad mensam ministrasse, *Et Christus*, inquit *mulieris indigebat obsequio, & mulieris prouectæ ætatis, senectutis summa, filijs aggrauatæ? Sic in domo Petri non erat vernula, non minister, non familiaris, non propinquus, certè non vxor, quæ matris obsequium præueniret, & ad summam Petrus ipse causas suæ verecundiæ non videbat, vt hoc anus, hoc socrus faceret, magistro discipulus quod debebat? Fratres, Christus ab illa humanum non exigebat obsequium, cui ministerium diuinitatis impenderat; sed ministrare illam ad indicium sanitatis admisit. Christus sic fugat morbos, vt vires pristinas mox reducat: vbi curat ars, infirmitatis residet lassitudo; vbi sanat virtus, ibi languor vestigium non relinquit*. Hæc de socru Petri Chrysologus, de paralytico autem idem serm. Mat. 9. 6. Luc. 5.24. 50. in fine, *dixit Paralytico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, &c. Deitatis suæ potentiam operis attestatione mõstrauit, dum dissipati corporis membra componit, neruos stringit, iungit ossa, complet viscera, format actus, & gressus, ad cursum suscitat in viuo cadauere iam sepultos. Tolle lectum tuum, hoc est porta portantem, omnes muta vices, vt quod est infirmitatis testimoniam, fit probatio sanitatis, vt lectus doloris tui sit mea curationis indicium; vt recepta fortitudinis magnitudinem ponderis asserat magnitudo*. Quod autem de Paralytico Chrysologus, idem de claudo mendicante ad portam templi Speciosam, quem apprehensa eius dextera in nomine Iesu Christi alleuauit Petrus, & protinus consolidatæ sunt bases eius, & plantæ, vt dicitur Actorum 3. 7. notauit August. serm. 26. de verb. Apost. nosque ad tãti miraculi considerationem inuitat his verbis: *Quanta velocitate res agitur, attendite: vix aures debilis sermo intrauerat iubentis, & continuo ius sanitatis erupit, & exclusa infirmitate vsui membra redduntur. Parum erat, quod dicebatur, in vsum claudus redisse, virtus ei cum sanitate restituitur: Non enim dixit, restituta sunt, sed consolidata sunt bases, tam abundantem recipiũt sanitatem, vt ferant laborem, Exiliens inquit, ambulabat: saltus frequenter etiam sanis grauis est: non senserunt illi pedes pigra remedia*. Quod si peccatorem non febribus æstuantem, non paralyticam, aut claudum, sed vulneribus saucium attenderimus, qualẽ Ps.37.6. se Dauid agnouit, cum diceret, Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, vel vt legit D. August. liuores mei. vbi liuores putridos maleolentia peccata intelligit; subdit enim *Habeat aliquis sanum olfactum animæ, sentit, quomodo puteant peccata*. Huiusmodi liuores tumentesq; plagas in anima quã benè curet cælestis noster medicus, egregie explicat D. Chrysost. hom. 3. de

pæ-

pœnitentia dicens, *Sic delet peccata Deus, vt neq; eorum vestigiū maneat: In corporibus quidem id non est ita; sed quamquam millies conetur medicus, tametsi vulneri medicinas addat, vulnus quidem euanescit, sæpeque in facie vulneratus quisque, atque vulnus quidem curauit, cicatrix verò remanet vulneris argumentum faciei deformitatem habens; atque si abolere contendat, mille medicus modis nequit; repugnat enim sibi natura infirmitas, artis, & medicinarum imbecillitas: Deus autem cum deleuerit peccata, sic delet, vt neque cicatrix, neque cicatricis superfit indicium, non vestigium quodquam, sed & cum sanitate decorem elargitur; post pœna liberationem, & iustitiam inserit.*

3 *Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.* Tempus hoc, quo motus misericordia Pater vnigenitum suum misit in mundum plenitudinem temporis appellat Apostolus; estque tempus illud, quod impletum est secundum prædinationem, & præfinitionem Dei. Hoc autem non debuit statim esse post casum primi hominis; oportuit enim hominem in libertate arbitrij sui relictum siue in lege naturali, siue post legem acceptam agnoscere infirmitatem suam, eaque cognita ad medicū clamare, & auxilium gratiæ quærere: neque item circa finem mūdi, quando refriguisset iam caritas; & abundante iniquitate, notitia, ac reuerentia Dei, morumque honestas abolita propè fuisset, vt benè D. Tho. 3. p. q. 1. a. 5. & 6. Sed in medio annorum iuxta vaticinium Prophetæ. Et vero debuit is, qui in Sanctissima Triade medius est inter Patrem, & Spiritum S. idemque mediator Dei, & hominum Iesus Christus, vt in medio terræ, atque adeo locorum, ita etiam temporum humanam salutem operari. Quod vtrumque satis expressit Abacuc c. 3. 1. vbi ait iuxta vulgatam, *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud*; iuxta verò versionem LXX. *In medio duorum animalium cognosceris.* Sanè ex hoc vaticinio nonnulli, vt refert S. Vincentius Ferrerius epist. ad Benedictum, in eam sententiam venère, vt dicerent, Christum media mundi ætate, seu in medio durationis ipsius cursu, carnem ex Virgine sumpsisse, adeo vt totidem planè exactèque post Verbi incarnationem futuri sint anni, quot eamdem præcesserint. Sed nec certa illa quidem, multisque parum probabilis visa est coniectura. Verosimilius alij censentes duraturum mundum sex annorum millia, quæ scilicet sex primis diebus, quibus ille conditus est, respondeant, quemadmodum ex verbis ps. 89. *Quoniam mille anni tamquam dies hesterna, quæ præterijt*, in epistolari psalmi eiusdem explicatione ad Cyprianum deducit D. Hieron. dicens, *Ego arbitror ex hoc loco mille annos pro vna die solitos appellari, vt scilicet, quia mundus in sex diebus fabricatus,*

Gal. 4. 4.

Abac. 3. 2

1. Tim. 2. 5.

 sex

sex millibus tantum annorum credatur subsistere, & postea venire septenarium, & octonarium numerum, in quo verus exerceatur Sabbatismus: & disertè etiam asserit D. Gaudentius Brixianus de lectione exodi tract. 10. vbi ait, *Expectamus verè illum sanctum septimi millesimi anni diem, qui adueniet post istos sex dies, sex millium videlicet annorum sæculi, quibus completis, erit vera sanctitati, & fideliter credentibus in resurrectione Christi*: Vel etiam existimantes præsentis huius sæculi durationem fore sex millium annorum, quorum prima duo millia spectent ad legem naturæ, duo media ad legem Mosis, postrema duo ad Euangeliũ, & tempus gratiæ; inferunt deinde, quoniam Christus Dominus, durante adhuc lege Mosis, fieri dignatus est homo, eumdem in medio harum ætatum natum esse, adeoque in medio annorum, idest seculorum mundi. Quæ quidem sententia, seu potius coniectura de duratione orbis, si numerum sex millium annorum non arithmeticè, & præcisè definiendo certum diem & annum, sed geometricè, & moraliter accipiat; itaut mundus sex tantùm annorum millenarios duraturus dicatur, non plures; nec proinde ad septies millesimum peruenturus, quam plurium est auctorũ, nec sanè improbabilis: talemque annorum computum si qui respuunt, in eo solum sensu respuere videntur, si definitè, & præcisè intelligatur: inde enim sequeretur, posse nos, eo definito, præcisè scire annum consummationis seculi extremique iudicij diem, cum tamen dixerit Christus, *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*: itemque *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli in cælo, &c.* Illud potius obstare videtur, quod incarnationem Verbi, humanique generis reparationem passim doceant Patres in fine temporũ accidisse, præsertim cum dicat Apostolus, *Nos sumus, in quos fines seculorum deuenerunt*. Verumtamen quod in medio annorũ operatum diximus, idem nil prohibet, quominus affirmari etiam possit, in extrema mundi iam senescentis ætate fuisse operatum, si ad similitudinem ætatis hominum vltima hæc mundi ætas præteritarum fere spatium continere, tantundemque plus minus duratura supponatur, quantum ceteræ perdurarunt. Nam diuisis hominum ætatibus, & suis cuique terminis per signum aliquod sensibile præscriptis, primum septenarium tribuimus infantiæ, quæ iuxta Basilij Magni obseruationem in psalmum 114. dentium abiectione expletur; secundum septenarium pueritiæ, quæ ad pubertatem extenditur, vt loquitur idem Basilius; tertium sibi vẽdicat adolescentia, quæ ad annum vsque primum, & vigesimum se proripit, *Cœperit vt vestire genas* (verba sunt eiusdem Basilij) *lanugine prima, & eas adornare*; quartam ætatem ascribit Innoc. III.

Act. 1. 7.

Mar. 13. 32.

1. Cor. 10. 11.

III. in ps. 4. pœnit. iuuentuti ad annos quinquaginta; quintam senectuti ad octoginta; sextam senio, quæ ætas ad finem vsque vitæ perdurat, quantumlibet, vel ad longissimum tempus, victurus sit homo. Porrò sex hisce hominis ætatibus totidem ætates seculi respondent, quarum prima est ab Adam vsque ad Noe, secunda à Noe vsque ad Abraham, tertia ab Abraham vsque ad Dauid, quarta à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, quinta à transmigratione Babylonis vsque ad Christum, sexta denique à Christo vsque ad finem seculi, quantumcumque duratura sit extrema hæc seculi ætas. Quemadmodum ergo si quis hominum in vltima sua ætate, quæ nimirum in nonnullis aliquando reliquarum præcedentium tempus æquauit, vel etiam excessit, quidpiam sit operatus, is rectè diceretur opus illud in fine ætatis suæ, simulque in medio annorum suorum peregisse: Eodem planè modo dicetur quoque Christus Dominus incarnationem suam operatus in seculi huius senectute, & in medio simul annorum eiusdem seculi; cum nemo sciat, quantum vltima hæc orbis ætas duratura sit; & fortasse futurum erit, vt præteritas iam non modo exæquet, verum etiam longius excedat. Ad quam rem comprobandam nonnihil facit, quod ex D. Augustino affert S. Tho. 3. p. q. 1. a. 6. ad 1. *Sciendum*, inquit, *quod sicut Augustinus dicit lib. 1. retract. c. 26. Tempus incarnationis potest comparari iuuentuti humani generis, propter vigorem feruoremque fidei; senectuti autem, quæ est sexta ætas propter numerum temporum, quia Christus venit in sexta ætate: Et quamuis in corpore non possit simul esse iuuentus, & senectus, potest tamen simul esse in anima; illa propter alacritatem, ista propter grauitatem*; & ideo in lib. 83. qq. q. 44. in medio dicit August. quod non oportuit venire magistrum diuinum, nisi tempore iuuentutis; alibi autem idem August. lib. 1. de Genesi contra Manich c. 23. Christum in sexta ætate humani generis tamquam in senectute venisse ait. Quod ergo dixit Aug. Christum venisse in iuuentute, & senectute humani generis, eumdem affirmant hi auctores in medio annorum, & in vltima seculi huius ætate venisse. Dicere etiam possumus, in medio annorum filium Dei pro reparatione hominis hominem factum; quia tempus incarnationis eius finis fuit seculorum præcedentium miserorum, & initium subsequentium felicissimorū. Vel etiam in medio annorum venisse, & quemadmodum in lib. Sap. dicitur; *Cum nox* (culpæ) *in suo cursu medium iter haberet*, hoc est calamitosissimo tempore, & cum maximè dominaretur iniquitas (medium enim sæpe pro summo ponitur, vt in ps. 22. 4. *Si ambulauero in medio vmbra mortis*, & ps. 137. 7. *si ambulauero in medio tribulationis*, hoc est si extremis calamitatibus sum- Sap. 18. 14

la manifesta, hæc autem occulta; ideoque bis dicit, quia venit tempus, quia tempus venit; quoniam Salomone testante tempus est omni rei, quæ sub cælo est: sed in primo misericordiam ponit, & exprimit dicens, Tempus miserendi venit, quia misericordia existit manifesta: in secundo verò, nec exprimit, nec ponit iustitiam, sed dicit simpliciter, quia venit tempus, quia iustitia erat occulta. Et infra: Tu ergo exurgens misereberis Sion, ac si diceret manifestius, Tu, qui videbaris tamdiu differendo dormire, nunc tandem exurgens, misereberis Sion: propter quod antiqui fideles clamabant, Exurge Domine, adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum, exurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem. Quia tempus miserendi eius: duo populi erant Iudaicus, & Gentilis; vtriusque in aduentu suo voluit Dominus misereri, vt duos diuersos parietes in vno angulari lapide copularet: & prius quidem misertus est Iudæorum; vnde præmittit, Tu exurgens misereberis Sion, idest Iudææ, cuius metropolis erat Sion; postea vero misertus gentium; vnde subiungit, & timebunt gentes nomen tuum Domine: quod bene signatum est in pastoribus, qui cum essent Iudæi, prius de vicino venerunt ad vocem Angeli; & in Magis, qui cum essent gentiles, postea de longinquo venerunt ad signum stellæ: vtrique tamē ad eum, qui est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, in vno homine faciens pacem, pacem his, qui prope, & pacem his, qui longe. Et fortassis propter hos duos populos, quibus veniens est misertus prius dicit, quia venit tempus miserendi Iudæis, & postea dicit, quia venit tempus miserendi gentilibus.

Eccl. 3. 17. *Psl. 43. 26.* *Ibid. 23.* *Eph. 2. 14.* *Ibid. 17.*

4 *D. Amedeus hom. 3. de laud. Virg.* Exultauit, vt gigas ad currendam viam; à summo cæli egressio eius, & occursus eius, &c. A summo cælo egressio eius: Quid est à summo cælo? A Deo, qui est summa essentia, summum bonum, summa beatitudo. Summa essentia est, quæ nec loco circumscribitur, nec mutabilitate mouetur, nec tempore clauditur, sed omnia loca maiestatis immensitate circumscribit, omnia mutabilia mouet propria immobilitate, claudit cuncta tempora æternitatis infinitate. Summum bonum est eadem essentia: non ex alio essentia, ex alio bonum, non solum per dictam immensitatem, immutabilitatem, & æternitatem; verum etiam propter æternam largitatem creationis, quam parturiuit in tempore: & infinitam sapientiam, qua, antequam quidquam esset, cuncta disposuit; & amorem ineffabilem, quo opus suum complectebatur, antequam produceretur in creationem. Item summa beatitudo consistit in summo bono, suique adeptione efficit verè beatos; eius namque participatione vita æterna acquiritur, perfecta sapientia tribuitur, amoris plenitudo possi-

de-

detur; vt plena sinceritas sit in æternitate vitæ, plena iucunditas in lumine sapientiæ, plena suauitas in amoris dulcedine: Hæc de summa essentia, de summo bono, de summa beatitudine diximus, vt interluceret nobis summum cælum, de quo venit Christus. Sed quia hoc summum cælum Pater, hoc summum cælum Verbum, hoc summum cælum Spiritus S. venit Christus à Patre, venit etiam quodammodo à Verbo, venit à Spiritu S. qualiter autem venit à Patre, qui nunquam reliquit Patrem? qualiter à Verbo, qui numquam Verbum esse destitit? qualiter à Spiritu S. cum Spiritus S. à Patre, & ab ipso procedat? Christus venit à Patre, venit à Verbo, venit à Spiritu S. quando tota Trinitas conceptionem, & humanitatem illius operata est: nihil enim aliud fuit à summa Trinitate venire, quam operante eadem Trinitate cōcipi, & humanari: ideo dictum est, A summo cælo egressio eius. Venit etiam Vnigenitus à Patre, & à se secundum alterius modi intelligentiam; venit à Spiritu S. aliter tamen à Patre, & à se, aliter à Spiritu S. A Patre namque genitus æternaliter, ex matre prodijt genitus temporaliter; apud Patrem manens inuisibiliter, & cum hominibus visibiliter conuersatus; hoc enim fuit illi egredi à Patre; quod tempora nostra suscipere, quod foris visibiliter apparere, & fieri, quod ex Patris natura non erat: quod verò dictu mirabile est, iste venit ab eo; à quo non recedebat, ab illo egrediens, in quo remanebat, vt sine interuallo totus esset in æternitate, totus in tempore; totus inueniretur in Patre, quando totus in Virgine; totus in sua, & Patris maiestate, quando totus in nostra humanitate. Si quæris, quomodo? collige veritatem ex imagine: Verbum in corde genitum aliquando integrè exit in voce, vt perfectè ad alios veniat, & totum in corde remaneat: sic Verbum bonum de corde Patris eructatum, & in campum exijt, & Patrem non reliquit. Venit etiam Verbum à se, descenditque sub se, quando caro factum est, & habitauit in nobis, quando semetipsum exinaniuit formam serui accipiens: Illa exinanitio eius descensio fuit; ita tamen descendit, vt sibi non deesset; ita caro factum est, vt Verbum esse non desineret; nec minuit gloriam maiestatis humanitatis assumptio. Sciendum quoque qualiter à Spiritu S. venerit, cum Spiritus S. ab illo procedat. Procedit quidem ab illo Spiritus S. æterna processione; sed ille natus ex Maria Virgine venit de Spiritu Sancto temporali conceptione: Nam quod Verbum de Spiritu S. venerit, sic habes in Abacuc, *Ab. 3. 3.* Deus ab Austro veniet, & Sanctus de Monte Pharan: Per Austrum, in quo est vitalis calor, virtusque genitiua, Spiritus S. designatur, qui confert vitæ nouitatem faciens oriri germina virtutum: & licet B. Hieronymus, quem sequi cupimus, montem

Pharan Patrem appellarit; non incongruè tamen mõte Pharan idẽ Dominus significatur: Mons dicitur propter excellentiam caritatis; Pharan propter gratiarum diuisionem: Pharan quippe interpretatur diuisio, & Spiritus Domini dona sua singulis, prout vult diuidit. Venit ergo Deus ab Austro, quia de calore viuificante, & regenerante conceptus est: Venit de monte Pharan, quia de ineffabili celsitudine diuisionis charismatum emanante profluxit. Dic nobis Sancte Daniel, qualiter de hoc monte de-

Dan. 2. 34. scenderit: præcisus est, ait, de monte lapis sine manibus: quis lapis? lapis, quem reprobauerunt ædificantes; lapis Angularis;

1. Pet. 2. 7. lapis, in quo sunt septem oculi. Hic præcisus est de monte sine

Eph. 2. 20. manibus: quia virgo sacra suscepit eum non ab homine: neque

Ap. 5. 6. per hominem, sed de Spiritu Sancto.

D. Bernardus serm. 53. in Cant. Dicit de illo Dauid, quia posuit in Sole tabernaculum suum, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo; exultauit vt gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio eius. En quantum saltum dedit! à summo cælo ad terras: sanè enim non inuenio alibi, vbi in sole posuerit tabernaculum suum, idest in luce, & in manifesto suam dignatus est exhibere præsentiam ipse lucis inaccessibilis habitator, nisi vtique in terris. Denique in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est: in terris, inquam, palam, quod est in sole, posuit

Bar. 3. tabernaculum suum, corpus videlicet, quod de Virginis corpore ad hoc sibi aptare dignatus est, vt in eo in se inuisibilis videretur; & sic videret omnis caro salutare Dei.

Luc. 3. 6. *Innoc. III. serm. in festo Annunc.* A summo cælo egressio eius, &c. Hoc hodie impletum est, quando Verbum caro factum est, & & habitauit in nobis: Et infra: Hodie simul descendit, & ascendit; sed Deus descendit in hominem, & homo ascendit in Deo: Deus ergo descendit, homo ascendit; sed quia Christus Deus est, & homo, ipse descendit pariter, & ascendit.

Rupertus lib. 2. in Cant. c. 2. A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius: spatio annorum plusquam

Can. 2. 9. triginta duorum tantam exultando cucurrit viam saliens, atque transiliens tamquam caprea, siue hinnulus ceruorum: de cælo in vterum meum, de vtero meo in crucem, de cruce in sepulchrũ, de sepulchro rursus in cælum.

Idem Rupertus de victoria Verbi Dei lib. 3. c. 15. Exultauit vt gigas ad currendam viam; à summo cælo egressio eius, quis enim alius gigas, per incarnationem de cælo descendit, & superato mortis imperio cum victoria in cælum ascendit, quod Psalmista prophetico spiritu cecinit, nisi Omnipotens sermo tuus, domine,

Sap. 18. 15 qui tunc de cælo à regalibus sedibus durus debellator prosiliuit in

ter-

terrā, & vſque ad cælum pertingebat in terra ſtans? Magnus vbique gigas; qui ſtās in terra vſque ad cælū pertingebat, quod Pſalmiſta dixit de futuro prophetās, A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius: & quod ſapiens ille dixit de præterito memorans: exiliens de cælo à regalibus ſedibus in terrā proſiliuit, & vſque ad cælum attingebat ſtans in terra; camdem Sap. 18.15
vnius eiuſdemque; qui & incarnatus venturus erat in mundum; & nondum incarnatus venerat ſuper Aegyptum velocitatem pariter, & magnitudinem giganteam magnificè prædicant.

5 *D. Bernard. epiſt. 191. circa med.* Non quærit redimi, qui ſe neſcit captiuum; qui autem ſcierunt, clamauerūt ad Dominū, & Dominus exaudiuit eos, & redemit eos de manu inimici. Et vt intelligas hūc inimicū, qui ſit, quos redemit, ait, de manu inimici; de regionibus cōgregauit eos. Sed primò quidē agnoſce hunc cōgregatorē, de quo Caiphas prophetat in Euāgelio, quia Ieſus moreretur pro gente; & qui narrat, ſequitur dicēs nō tantū pro gēte, ſed vt Io. 11.51.
filios Dei, qui erāt diſperſi, congregaret in vnum; quo erant diſperſi? in omnes regiones: ergo quos redemit, de regionibus congregauit eos; non congregaret, niſi redimeret; erāt enim nō ſolū diſperſi, ſed & captiui: redemit, & congregauit. Redimit autem de manu inimici: nō dicit Inimicorum, ſed Inimici: Inimicus vnus regiones multæ; ſiquidē nō de regione, ſed de regionibus cōgregauit eos, à ſolis ortu, & occaſu; ab Aquilone, & mari. Quis iſte vnus tam potens, Dominus, qui non vni præfuit regioni, ſed omnibus? nō alius, arbitror, quam ille, qui ab alio Propheta dicitur abſorbere fluuium, id eſt genus humanum; & non mirari; habere autē Iob 40.18
fiduciam, quòd & Iordanis, hoc eſt electio ipſa, influat, in os eius: Beati, qui ſic influunt, vt effluant, ſic intrant, vt exeant.

ANNOTATIONES.

1 M*Iſit Verbum ſuum, & ſanauit eos.* Non modo miſſum ſe à Patre in mundum, ſed ratione humanæ naturæ; etiam à Spiritu Sancto ipſemet Filius Dei, colligitur ex Iſaia, vt bene aduertit Rupertus lib. 1. in Zachariam c. 2. vbi *Pulchrum hoc, inquit; & conſideratione dignum, quia Propheta Filium, qui reuera Dominus exercituū eſt, miſit Pater ſine dubio Dominus exercituum; miſit Spiritus S. veraciter Dominus exercituum: Duæ perſonæ Patris; & Spiritus S. vnā perſonā Filij miſerunt: ſic apud Iſaiam, miſticè intellectum, ipſe loquitur, & nunc Dominus. Deus miſit* Iſ. 48. 16.
me, & ſpiritus eius. Nimirum quando B. Virgo Maria nunciante Angelo, concepit hunc Filium Dominum exercituum; & Pater Dominus exercituum miſit eum in vterū eiuſdem Virginis: Pater quemadmodum ipſe dixit, Eructauit cor meū verbum bonum; Pſ. 44. 1.
Spiritus S. quemadmodum Angelus ad Mariam; Spiritus S. ait, ſuperueniet in te; & virtus altiſſimi obumbabit tibi. Dicitur Filius Luc. 1.35.

 mitti

mitti à Spiritu Sancto hic à Rupecto per communicationem Idiomatum, ficuti dicitur Verbum Dei fuisse cruci affixum: cum proprie, vt homo, persona Filij à Spiritu Sancto missa fuerit, non vt Verbum Patris, quia superueniens in Virginem, humanam Christi naturam, efformando scilicet corpus, & sanctissimā animam coelestibus ornatā gratijs, infundendo, in illius vtero preparauit. Christumque vnxit, & ad euangelizandum misit.

2 *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum.* Monēt nos D. Ambrosij verba docētis in exposit. huius versiculi ad cap. 2. epist. ad Hebr. visitationē propriè medicorū esse, cū ægros inuisunt, *Visitare*, inquit *dicitur, quādo medicus ad infirmos ingreditur, vt filiū Dei in suo ad terras aduētu Medicū attēdamus.* Cuius eximiā virtutē, atque peritiā paucis expressit D. August. serm. 59. de verb. Domini dicens, *Iacet toto orbe terrarum ab oriente vsque ad occidentē grandis ægrotus; ad sanandum grandē ægrotum descendit omnipotēs medicus.* Sed nec eiusdē solertiam tacuit D. Anselmus ad eū, quē mox citabimus, Apostoli locū, elegāti analogia in mediū adducta, *Cum venerit*, inquit, *medicus volens sibi famam comparare; infirmum quærit aliquem desperatū, & ipsum sanat, & si pauperrimum inueniat, non ibi quærit mercedem, sed commendat artē. Ita, & Christus potentiā specialis medicinæ spiritualis suæ ostēdit in Saulo, vt omnes deinceps nossent, eū sanare posse cū-
1. Tim. 1. 16. *ctas infirmitates cōfugientiū ad se, quēadmodū Apostolus ipse testatur ad Timotheū scribēs, sed ideo misericordiā cōsecutus sum, vt in me primo ostēdat Christus Iesus omnē patientiā ad informationē* vel (vt legit D. Ambros.) *ad exēplum eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Et verò magnus idemque omnipotens medicus est, æstimarique debet, vel ex eo, quod omnibus prorsus siue corporis, siue animi languoribus medetur, vel ex mirabili sanè curandi modo, vel etiam ex integra satisque perfecta, quam ægris tribuit, sanitate. Nam quod omnes morbos curaret testatur, Matthæus Euangelista, *Et circuibat Iesus totam Galilæam docens in*
c. 4. 23. *Synagogis eorum, & prædicans Euangelium, & sanans omnem languorem, & infirmitatem in populo.* Testis etiam est Lucas di-
c. 6. 19. cens, *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes:* Vnde satis erat,
Mat. 14. 36. vel fimbriam vestimenti eius tangere. vt *quotquot tetigissent, sani fierent, à quacumque detinerentur infirmitate.* Quod multò an-
Mar. 6. 56. te prædixisse videtur Dauid illis ps. 44. verbis *Myrrha, & gutta,*
ps. 44. 9. *& casia à vestimentis tuis.* In quem locum bene aduertit D. Bruno Carth. tribus hisce speciebus omnes alias intelligi, nec opus ijs, qui ad Christi vestimentum accedere poterant, fuisse, vt pharmaca susciperent: quandoquidem non solum species apta sanitati, sed ipsa quoque sanitas ab eius vestibus defluebat. Quod autem

vnà

vnà cum corporis morbis latentes abditasque animorum ægritudines sanaret, ex ijs, quæ dixit paralitico, intelligere poteris, *Confide, inquit, fili, remittuntur tibi peccata tua: Nam*, vt ait Chrysost. hom. 30. in Matth. *quod peccata verè dimissa essent, subita curatione corporis, quasi certo quodam argumento, è vestigio confirmauit: quod vero corpus curatum erat, quoniam grabatum tulit, & abijt, dubitari non poterat.* Mat. 9.2.

Iam quod ad modum curandi facit, audiendus est D. August. serm. 19. de Sanctis, qui tertius est de Annunc. vbi hæc habet, *Solent medicinæ periti ægritudines, quas curandas suscipiunt, aliquando curare per contraria; aliquando per similia: Hoc fecit Dominus noster Iesus Christus sua paupertate nos ditans, sua humilitate nos subleuans, sua infirmitate nos sanans, sua morte nos viuificans. Simili ratione similia similibus apponuntur, cum secundum quantitatem vulnerum, vel tumorum mensuratur longitudo, vel latitudo epithematum: sic Scorpionum carnes oleo cocta percussionibus medentur scorpionum; sic theriaca de serpentis carne cõfecta morsibus serpentinis occurrit, & potiones veneno infectas in potu sumpta expellit: At hanc similitudinem medicus noster mortẽ carnis nostræ de serpente venientem carnis suæ morte sanauit; & mors, quæ per lignum venit; per lignum superata est:* Et lib. 1. de doctr. Christ. c. 14. initio *Quemadmodum, inquit, medici cum obligant vulnera non incompositè, sed aptè id faciunt, vt vinculi vtilitatem quædam pulchritudo etiam sequatur: sic medicina sapientiæ per hominis susceptionem nostris est accommodata vulneribus, de quibusdam contrarijs curans, & de quibusdam similibus: sicut etiam ille, qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, sicut frigidum calido, vel humidum sicco, vel quid aliud huiusmodi: adhibet etiam quædam similia, sicut linteolum, vel rotundo vulneri rotundum, vel oblongum oblongo; ligaturamque ipsam non eamdem membris omnibus, sed similem similibus coaptat: Sic sapientia Dei seipsam exhibuit ad sanandum, ipsa medicus, ipsa medicina; quia ergo per superbiam homo lapsus est; humilitatem adhibuit ad sanandum; serpentis sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur; nos immortalitate malè vsi sumus, vt moreremur, Christus immortalitate benè vsus est, vt viueremus; corrupto animo fœmina ingressus est morbus, integro corpore fœmina processit salus. Iamuero similia quasi ligamenta membris, & vulneribus nostris adhibita sunt, quod per fœminã deceptor, per fœminam homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberauit.* Hactenus Aug.

Bonus item perfectæ curationis modus est morborum nosse causam, eorumque radicem euellere: & hanc quoque medendi rationem

nem seruari in primis à corporum animorumque nostrorum medico, docet S. Chrysost. hom. 8. de pænit. vbi afferens illud Matt. 5. 28. Quicumque viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est eam in corde suo, subdit, *Non modo morbum, sed & morbi radicem euellit; radix enim adulterij concupiscentia impudica; quare non modo plectit adulterium, sed concupiscentiam, adulterij matrem: Sic & medici faciunt, non ad morbos instant solum, sed ad causas etiam tollendas: quamuis ægrotantem oculum viderint, prauum rheuma desuper à temporibus compescunt: sic & Christus facit*. Idem obseruat Cassianus lib. 6. qui est de spiritu fornicationis c. 12. vbi *Humani generis*, inquit, *creator, & conditor Deus opificij sui naturam præomnibus emẽdationemque cognoscens illic curam adhibuit medicinæ, vnde causas morbi principaliter nouerat emanare: quicumqne inquiens viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c. Petulantes oculos notans non tam eos arguit, quam illum interiorem sensum, qui officio eorum malè vtitur ad videndum. Cor namque est ægrum, & saucium libidinis telo, quod ad concupiscendum videt, beneficium intuitus sibimet à creatore concessum suo vitio ad prauorum ministeria contorquens, & in semetipso reconditum concupiscentiæ morbum contemplationis occasione producens: idcirco huic præcipitur salutare mandatum, cuius vitio pessimus languor visus occasione procedit: Non enim dicitur, omni custodia serua oculos tuos, quos vtique oportuit principaliter custodiri, si ex ipsis concupiscentiæ prodiret affectus; nihil enim amplius oculi, quam simplex animæ præbent visionis officium: sed dicit, Omni custodia serua cor tuum: illi potissimum imposita medicina, quod vbique abuti potest ad videndum oculorum ministerio*. Ita Cassianus. Idemque dicendum erit de ceteris animi vitijs, seu morbis: cum enim vt adulterij mater concupiscentia, ita quoque causa necis sit ira, & periurij occasio frequens nec necessarium iuramentum, ac ceterorum denique malorum radix cupiditas; propterea Dominus Iesus ab ira nos, & iurandi consuetudine auocat, ac bonorum terrenorum abrenunciationem suadet.

Ad hæc *Bonus medicus* (inquit Ambros. serm. 37. de quadrag. qui incipit: Si benè retinet.) *poculũ quod ægro daturus est, prior gustat, vt peritiam artis suæ ante in se ipse demonstret, & experimẽtum æger accipiens securus sit de poculo, securior de salute*: Ecquam medicus noster, vt ægrotanti homini animum faceret, medicinā non prælibauit? Audi Augustinum serm. 18. de verbis Domini: *Sanari non potes, nisi amarum calicem biberis, calicem tentationum, quibus abundat hæc vita, calicem tribulationum, angustiarum, passionum: Bibe, inquit, bibe, vt viuas: & ne responderet ei*

ei languidus, non possum, non fero; non bibo, prior bibit medicus sanus, vt bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in tali poculo, quod ille non biberit? Si contumelia? prior audiuit, cum dæmones expelleret, Dæmonium habet, Et quod in Beelzebub eijcit dæmonia: vnde vt & ipse consolaretur ægros, ait, si patrem familias Beelzebub vocarunt, quanto magis domesticos eius? Si dolores amari sunt, ligatus, & flagellatus, & crucifixus est: si mors amara est, etiam mortuus est: si genus mortis exhorrescit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominiosius, quam mors crucis. Io. 10. 20. Luc. 11. 15 Mat. 10. 25.

Verum modus ille curandi, suscipiendo in se morbum ipsum, & dolorem ægrotantis, qualis est? *Mirabile* (inquit Augustinus serm. 19. de Sanctis, qui est 3. de annunc. dominica non longe ab initio) *& incomparabile genus medicinæ, propter quam medicus voluit ægrotare, & ægrotos, quibus salutis remedium procurabat, sua decreuit infirmitate sanare.* Huc respexit Isaias, cum ait, *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit:* suscipiendo enim dolores nostros curauit nos, & in sanitatem restituit; vnde subiecit, *& liuore eius sanati sumus.* Pulchrè Chrysol. serm. 50. initio *Christus venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes, humana quærere, præstare diuina; accipere iniurias, reddere dignitates; ferre tædia, referre sanitates: quia Medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit, & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatē* Quam bonus medicus Paulus! *Quis infirmatur,* inquit, *& ego non infirmor.* c. 53. 4. v. 5. 2. Cor. 11. 29.

Denique admirabiliorem illam curandi rationem de se pharmaca, & medicamina conficiendi audi ex August. qui in explicat. ps. 63. ad illa verba Lætabitur iustus in Domino, *Expectate,* inquit, *consilium medici: quod non descendit de Cruce, quod occidi voluit, antidotum terit,* & serm. 4. de S. Stephano: *Quasi in vno Summo medico in medio constituto phrenetici circumquaque sæuiebant: pendebat ille; & sanabat, Pater, inquit, ignosce illis: pendebat, & tamen petebat, & non descendebat; quia de sanguine suo medicamentum phreneticis faciebat:* & serm. 9. de verb. Apostoli non lōge ab initio: *Illi perdita mente sæuiebant, & medici sanguinem sæuiendo fundebant; ille autem etiam de ipso sanguine suo ægrotis medicamenta faciebat:* Et post pauca: *Erant in ipso populo, à quo ipse medicus occidebatur, & in eius sanguine etiam ipsis antidotum parabatur: cum enim Dominus non solum sanguinem funderet, verum etiam ipsam suam mortem ad medicamenti confectionem impenderet, resurrexit ad demonstrandum resurrectionis exemplum.* Luc. 23. 34

Iamuero perfectæ sanitatis malè habentibus restitutæ documēta duo habemus: alterum in Socru Petri; alterum in Paralytico,

De-

Mat. 8. 14. Luc. 4. 39. De illa expendens Chrysol. serm. 18. quod ab Euangelistis Matthæo, & Luca narratur, dimissam scilicet à febri continuo surrexisse, & ad mensam ministrasse, *Et Christus*, inquit *mulieris indigebat obsequio, & mulieris prouecta ætatis, senectutis summa, filijs aggrauata? Sic in domo Petri non erat vernula, non minister, non familiaris, non propinquus, certè non vxor, quæ matris obsequium præueniret, & ad summam Petrus ipse causas suæ verecundiæ non videbat, vt hoc anus, hoc socrus faceret, magistro discipulus quod debebat? Fratres, Christus ab illa humanum non exigebat obsequium, cui ministerium diuinitatis impenderat; sed ministrare illam ad indicium sanitatis admisit. Christus sic fugat morbos, vt vires pristinas mox reducat: vbi curat ars, infirmitatis residet lassitudo; vbi sanat virtus, ibi languor vestigium non relinquit.* Hæc de socru Petri Chrysologus, de paralytico autem idem serm.

Mat. 9. 6. Luc. 5. 24. 50. in fine, *dixit Paralytico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, &c. Deitatis suæ potentiam operis attestatione mõstrauit, dum dissipati corporis membra componit, neruos stringit, iungit ossa, complet viscera, format actus, & gressus, ad cursum suscitat in viuo cadauere iam sepultos. Tolle lectum tuum, hoc est porta portantem, omnes muta vices, vt quod est infirmitatis testimoniam, fit probatio sanitatis, vt lectus doloris tui sit mea curationis indicium; vt receptæ fortitudinis magnitudinem ponderis asserat magnitudo.* Quod autem de Paralytico Chrysologus, idem de claudo mendicante ad portam templi Speciosam, quem apprehensa eius dextera in nomine Iesu Christi alleuauit Petrus, & protinus consolidatæ sunt bases eius, & plantæ, vt dicitur Actorum 3. 7. notauit August. serm. 26. de verb. Apost. nosque ad tãti miraculi considerationem inuitat his verbis: *Quanta velocitate res agatur, attendite: vix aures debilis sermo intrauerat iubentis, & continuo ius sanitatis erupit, & exclusa infirmitate vsui membra redduntur. Parum erat, quod dicebatur, in vsum claudus redisse, virtus ei cum sanitate restituitur: Non enim dixit, restituta sunt, sed consolidata sunt bases, tam abundantem recipiũt sanitatem, vt ferant laborem, Exiliens inquit, ambulabat: saltus frequenter etiam sanis grauis est: non senserunt illi pedes pigra remedia.* Quod si peccatorem non febribus æstuantem, non paralyticam, aut claudum, sed vulneribus saucium attenderimus, qualẽ

Ps. 37. 6. se Dauid agnouit, cum diceret, Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, vel vt legit D. August. liuores mei. vbi liuores putridos maleolentia peccata intelligit; subdit enim *Habeat aliquis sanum olfactum animæ, sentit, quomodo puteant peccata.* Huiusmodi liuores tumentesq; plagas in anima quã benè curet cælestis noster medicus, egregie explicat D. Chrysost. hom. 3. de pæ-

pænitentia dicens, *Sic delet peccata Deus, vt neq; eorum vestigiũ maneat: In corporibus quidem id non est ita; sed quamquam millies conetur medicus, tametsi vulneri medicinas addat, vulnus quidem euanescit, sæpeque in facie vulneratus quisque, atque vulnus quidem curauit, cicatrix verò remanet vulneris argumentum faciei deformitatem habens; atque si abolere contendat, mille medicus modis nequit; repugnat enim sibi naturæ infirmitas, artis, & medicinarum imbecillitas: Deus autem cum deleuerit peccata, sic delet, vt neque cicatrix, neque cicatricis superfit indicium, non vestigium quodquam, sed & cum sanitate decorem elargitur; post pœnæ liberationem, & iustitiam inserit.*

3 *Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.* Tempus hoc, quo motus misericordia Pater vnigenitum suum misit in mundum plenitudinem temporis appellat Apostolus; estque tempus illud, quod impletum est secundum præordinationem, & præfinitionem Dei. Hoc autem non debuit statim esse post casum primi hominis; oportuit enim hominem in libertate arbitrij sui relictum siue in lege naturali, siue post legem acceptam agnoscere infirmitatem suam, eaque cognita ad medicũ clamare, & auxilium gratiæ quærere: neque item circa finem mũdi, quando refriguisset iam caritas; & abundante iniquitate, notitia, ac reuerentia Dei, morumque honestas abolita propè fuisset, vt benè D. Tho. 3. p. q. 1. a. 5. & 6. Sed in medio annorum iuxta vaticinium Prophetæ. Et vero debuit is, qui in Sanctissima Triade medius est inter Patrem, & Spiritum S. idemque mediator Dei, & hominum Iesus Christus, vt in medio terræ, atque adeo locorum, ita etiam temporum humanam salutem operari. Quod vtrumque satis expressit Abacuc c. 3. 1. vbi ait iuxta vulgatam, *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud*; iuxta verò versionem LXX. *In medio duorum animalium cognosceris.* Sanè ex hoc vaticinio nonnulli, vt refert S. Vincentius Ferrerius epist. ad Benedictum, in eam sententiam venère, vt dicerent, Christum media mundi ætate, seu in medio durationis ipsius cursu, carnem ex Virgine sumpsisse, adeo vt totidem planè exactèque post Verbi incarnationem futuri sint anni, quot eamdem præcesserint. Sed nec certa illa quidem, multisque parum probabilis visa est coniectura. Verosimilius alij censentes duraturum mundum sex annorum millia, quæ scilicet sex primis diebus, quibus ille conditus est, respondeant, quemadmodum ex verbis ps. 89. *Quoniam mille anni tamquam dies hesterna, quæ præterijt*, in epistolari psalmi eiusdem explicatione ad Cyprianum deducit D. Hieron. dicens, *Ego arbitror ex hoc loco mille annos pro vna die solitos appellari, vt scilicet, quia mundus in sex diebus fabricatus,*

Gal. 4. 4.

Abac. 3. 2

1. Tim. 2. 5.


 sex

ſex millibus tantum annorum credatur ſubſiſtere, & poſtea venire ſeptenarium, & octonarium numerum, in quo verus exerceatur Sabbatiſmus: & diſertè etiam aſſerit D. Gaudentius Brixianus de lectione exodi tract. 10. vbi ait, *Expectamus verè illum ſanctum ſeptimi milleſimi anni diem, qui adueniet poſt iſtos ſex dies, ſex millium videlicet annorum ſeculi, quibus completis, erit vera ſanctitatis, & fideliter credentibus in reſurrectione Chriſti:* Vel etiam exiſtimantes præſentis huius ſæculi durationem fore ſex millium annorum, quorum prima duo millia ſpectent ad legem naturæ, duo media ad legem Moſis, poſtrema duo ad Euangeliũ, & tempus gratiæ; inferunt deinde, quoniam Chriſtus Dominus, durante adhuc lege Moſis, fieri dignatus eſt homo, eumdem in medio harum ætatum natum eſſe, adeoque in medio annorum, id eſt ſeculorum mundi. Quæ quidem ſententia, ſeu potius coniectura de duratione orbis, ſi numerum ſex millium annorum non arithmeticè, & præcisè definiendo certum diem & annum, ſed geometricè, & moraliter accipiat; itaut mundus ſex tantùm annorum millenarios duraturus dicatur, non plures; nec proinde ad ſepties milleſimum peruenturus, quam plurium eſt auctorũ, nec ſanè improbabilis: talemque annorum computum ſi qui reſpuunt, in eo ſolum ſenſu reſpuere videntur, ſi definitè, & præcisè intelligatur: inde enim ſequeretur, poſſe nos, eo definito, præcisè ſcire annum conſummationis ſeculi extremique iudicij
Act. 1. 7. diem, cum tamen dixerit Chriſtus, *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate:* itemque
Mar. 13. 32. *De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, &c.* Illud potius obſtare videtur, quod incarnationem Verbi, humanique generis reparationem paſſim doceant Patres in fine temporũ accidiſſe, præſertim cum dicat Apoſtolus, *Nos ſumus, in quos*
1. Cor. 10. 11. *fines ſeculorum deuenerunt.* Verumtamen quod in medio annorũ operatum diximus, idem nil prohibet, quominus affirmari etiam poſſit, in extrema mundi iam ſeneſcentis ætate fuiſſe operatum, ſi ad ſimilitudinem ætatis hominum vltima hæc mundi ætas præteritarum fere ſpatium continere, tantundemque plus minus duratura ſupponatur, quantum ceteræ perdurarunt. Nam diuiſis hominum ætatibus, & ſuis cuique terminis per ſignum aliquod ſenſibile præſcriptis, primum ſeptenarium tribuimus infantiæ, quæ iuxta Baſilij Magni obſeruationem in pſalmum 114. dentium abiectione expletur; ſecundum ſeptenarium pueritiæ, quæ ad pubertatem extenditur, vt loquitur idem Baſilius; tertium ſibi vẽdicat adoleſcentia, quæ ad annum vſque primum, & vigeſimum ſe proripit, *Cæperit vt veſtire genas* (verba ſunt eiuſdem Baſilij) *lanugine prima, & eas adornare;* quartam ætatem aſcribit Innoc.
III.

III. in pſ. 4. pœnit. iuuentuti ad annos quinquaginta; quintam ſenectuti ad octoginta; ſextam ſenio, quæ ætas ad finem vſque vitæ perdurat, quantumlibet, vel ad longiſſimum tempus, victurus ſit homo. Porrò ſex hiſce hominis ætatibus totidem ætates ſeculi reſpondent, quarum prima eſt ab Adam vſque ad Noe, ſecunda à Noe vſque ad Abraham, tertia ab Abraham vſque ad Dauid, quarta à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis, quinta à transmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum, ſexta denique à Chriſto vſque ad finem ſeculi, quantumcumque duratura ſit extrema hæc ſeculi ætas. Quemadmodum ergo ſi quis hominum in vltima ſua ætate, quæ nimirum in nonnullis aliquando reliquarum præcedentium tempus æquauit, vel etiam exceſſit, quidpiam ſit operatus, is rectè diceretur opus illud in fine ætatis ſuæ, ſimulque in medio annorum ſuorum peregiſſe: Eodem planè modo dicetur quoque Chriſtus Dominus incarnationem ſuam operatus in ſeculi huius ſenectute, & in medio ſimul annorum eiuſdem ſeculi; cum nemo ſciat, quantum vltima hæc orbis ætas duratura ſit; & fortaſſe futurum erit, vt præteritas iam non modo exæquet, verum etiam longius excedat. Ad quam rem comprobandam nonnihil facit, quod ex D. Auguſtino affert S. Tho. 3. p. q. 1. a. 6. ad 1. *Sciendum*, inquit, *quod ſicut Auguſtinus dicit lib. 1. retract. c. 26. Tempus incarnationis poteſt comparari iuuentuti humani generis, propter vigorem feruoremque fidei; ſenectuti autem, quæ eſt ſexta ætas propter numerum temporum, quia Chriſtus venit in ſexta ætate: Et quamuis in corpore non poſſit ſimul eſſe iuuentus, & ſenectus, poteſt tamen ſimul eſſe in anima; illa propter alacritatem, iſta propter grauitatem*; & ideo in lib. 83. qq. q. 44. in medio dicit Auguſt. quod non oportuit venire magiſtrum diuinum, niſi tempore iuuentutis; alibi autem idem Auguſt. lib. 1. de Geneſi contra Manich c. 23. Chriſtum in ſexta ætate humani generis tamquam in ſenectute veniſſe ait. Quod ergo dixit Aug. Chriſtum veniſſe in iuuentute, & ſenectute humani generis, eumdem affirmant hi auctores in medio annorum, & in vltima ſeculi huius ætate veniſſe. Dicere etiam poſſumus, in medio annorum filium Dei pro reparatione hominis hominem factum; quia tempus incarnationis eius finis fuit ſeculorum præcedentium miſerorum, & initium ſubſequentium feliciſſimorũ. Vel etiam in medio annorum veniſſe, & quemadmodum in lib. Sap. dicitur; *Cum nox (culpæ) in ſuo curſu medium iter haberet*, hoc eſt calamitoſiſſimo tempore, & cum maximè dominaretur iniquitas (medium enim ſæpe pro ſummo ponitur, vt in pſ. 22. 4. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis*, & pſ. 137. 7. *ſi ambulauero in medio tribulationis*, hoc eſt ſi extremis calamitatibus ſum- *Sap.* 18. 14

misque verser in vitæ periculis, *non timebo mala; quoniam viuificabis me*) sapientis instar medici, qui sinit morbum crescere ad summum paroxysmum, vt postquam suas omnes vires exeruit, eidem exhausto iam, & eneruato facilem curationem adhibeat. Quid quod opus redemptionis in medio annorum peractum est non orbis quidem redempti, sed redemptoris ipsius? mortuus est enim Christus Redemptor anno ætatis suæ 34. quæ est media vitæ
Ps. 89. 10. humanæ, iuxta illud psalmistæ, *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni:* Vnde & Ezechias Rex annum agens fere 40. cū se morti proximum agnosceret, *Ego dixi*, inquit, *in dimidio die-*
Is. 38, 10. *rum meorum vadam ad portas inferi*; siquidem *in potentatibus octoginta anni*, vt ait idem Propheta.

4 *A summo cælo egressio eius*. Cælum nonnunquam in sacris literis pro Deo ipso sumi, insinuat D. August. lib. 2. qq. Euang. c. 33. vbi allegans illud prodigi adolescentis, *Pater, peccaui in cælum, & coram te, Vtrum hoc est*, inquit, *peccaui in cælum, quod est coram te, vt cælum appellauerit ipsam sublimitatem Patris; vnde etiam est illud in ps. 18. 6. A summo cælo egressio eius, cum ab ipso Patre vult intelligi?* Sanè in eadem significatione de
Is. 14. 13. cælo locutus est Lucifer apud Isaiam, cum ait, *In cælum conscendam*, vt adnotauit Innoc. III. serm. de Annunc. *Cum enim esset iam ille in Empyreo constitutus, superius aliud cælum non erat, quo conscendere potuisset, sed cælum ipsam diuinitatis sublimitatem; & celsitudinem intellexit, quo ascendere cupiebat, vt esset similis altissimo*. Similiter cum dicitur Io. 3. 13. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cælo*, sumi eo loco cælum non potest etiam pro empyreo, quò sine dubio sancti viri conscendunt, cum illud propria sit Beatorum sedes; sed pro deitate ipsa, vt sensus sit: nullus hominum quantumlibet sanctus, ac iustus in sublimitatem diuinitatis ascendit, vt esset Deus, nisi ille, qui de celsitudine diuinitatis descendit, vt esset homo, filius scilicet hominis, qui est in cælo manens Deus. Denique cælum pro Deo positum leges Lucæ 20. 4. vbi dicitur *Baptismus Ioannis de cælo erat an ex hominibus?* de cælo, inquit, idest à Deo; alioqui non apta satis esset oppositio. Quæ & similia figuratè per metonymiam dicta sunt.



DE-

DESCENDIT IN VTERVM VIRGINIS, MISSO AD EAM GABRIELE; ET CONCIPITVR DE SPIRITV SANCTO.

§. V.

1 *Inclinauit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius ps. 17. 10.*
2 *Descendit sicut pluuia in vellus ps. 71. 6.*
3 *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis ps. 44. 8.*
4 *Ego sum vermis, & non homo ps. 21. 7.*

1 S. *August. lib. de essentia diuinit. circa med. to. 4.* Descendere in mundum Deus legitur, quando aliquid nouum, quod antea non fuerat, in creatura humana operatur, sicut filius Dei Patris descendisse narratur, quando veram carnem ex Maria Virgine propter redemptionem nostram suscepit, & verus homo fieri dignatus est, non amittendo, quod erat: de cuius descensione, hoc est incarnatione, de ipso scriptum est in psalmo, Inclinauit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius. Cælos inclinauit, quia ante aduentum suum prænuncios Angelos, siue prophetas misit, qui eius aduentum hominibus nunciarent: Caligo sub pedibus eius fuit; quia impij homines à malitia sua cæcati eius Incarnationem cognoscere non potuerunt, sed neque nunc possunt.

D. Chrysost. in expos. ps. 96. ad illa verba Nubes, & caligo in circuitu eius *affert hunc locum* psalmi 17. Inclinauit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius, *sicque ad rem nostram interpretatur*. Pedes Dei, *dixit*, vt vitam eius super terram significaret; occultauit enim viam suam tegumento carnis, vt ignota esset aduersarijs virtutibus multifaria suæ sapientiæ via: nam si cognouissent, dominum vtique gloriæ non crucifixissent, sicut & Propheta dicit, In mari via eius, & semitæ eius in aquis multis, & vestigia eius non cognoscentur. *1. Cor. 2. 8.* *ps. 76. 20.*

D. Cyrillus Hierosol. catechesi 12. Inclinauit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius, ignorabatur descensus de cælo.

Didymus in cat. apud Corderium Descensus iste Saluatoris dispensationi consentaneus erat: descendit autem non localiter; sed cum in forma Dei esset, formam serui suscipiens: obscuritas verò & arcanum cognitionis per caliginem repræsentatur. *Phil. 2. 6. & 7.*

Hesychius in cat. apud eumdem Inclinauit cælos, vt terram

cælo

cælo coniungeret, & inferioribus cum supernis communicationē præberet: hoc autem minimè factum fuisset, nisi descendens eo, quo suscipi poterat, modo in terram aduenisset, scilicet in carne, quam caliginem sub pedibus appellauit.

D. Hieron. Inclinauit cælos, & descendit: hoc est quod in alio psalmo ait, *Descendit sicut pluuia in vellus*; quia humilem se nobis, & in forma serui occultum se præbuit, & latentem: vel aliud: Cæli Angeli inclinati sunt, quando Gabriel ad Mariam venit, & descendit Christus, & venit in terram.

ps. 71. 6.

2 *D. Ambros. serm. 13. qui est secundus de natali Domini* Ioseph conceptum suscepit filium, quem non genuit; Maria partum edidit, quem sexus consuetudine non creauit: sic igitur natus est *Dominus*, vt ortum eius nemo futurum suspicaretur, nemo crederet; nemo sentiret: quemadmodum crederent hoc futurum, quod postea quam factum est, factum esse vix credunt? Nam quod ita latenter, & secretè Saluator descensurus esset in Virginem, iam ante *D*auid Propheta testatus est dicens, *Descendet sicut pluuia in vellus*: quid enim tam latenter, & sine strepitu fit, quam cum imber in lanæ vellus infunditur? nullius aures sono verberat, nullius corpus humore repercussionis aspergit; sed sine inquietudine hominum totum imbrem per multiplices effusum partes toto corpore in se trahit, vnius meatus scissuram nesciens; & quod clausum videtur per densitatem, est patulum per tenuitatem, Rectè ergo Maria velleri comparatur, quæ ita concepit dominum, vt toto eum hauriret pectore, nec eius discissuram corporis pateretur, sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam.

Anonymus. in cat. apud Corderium sine strepitu, ac mysticè humana (Christi) generatio accidit, talis namque est pluuia super vellus, & roris stillæ super terram. Etenim conceptio eius ne sponso quidem contubernali ante vteri gestationem manifesta fuit, quando etiam à suspicione cessauit ex Angelo cognoscens illam

Mat. 1. 24 esse spiritalem, siue de spiritu Sancto: Ceterum vellus est ouina pellis.

D. Basilius in scholijs ad ps. 71. Humanam nobis natiuitatem his verbis significauit, quæ sine strepitu est facta.

D. Bern. hom. 2. super missus est longe ab initio. Quid illud Ge-

Iud. 6. 37. deonis vellus significat, quod vtique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis in area ponitur; & nunc quidem lana, nunc verò area rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne Virginis, & absque detrimento virginitatis? cui vtique distillantibus cælis tota se infudit plenitudo diuinitatis, adeo vt ex hac plenitudine omnes accepimus, qui verè sine illa non aliud, quam terra arida sumus: Huic quoque Gedeonico facto propheticum dictum

tum

tum pulchrè satis conuenire videtur, vbi legitur, *Descendet sicut pluuia in vellus*: nam per hoc quod sequitur, & sicut stillicidia stillantia super terram idem datur intelligi, quod per iuuentam rore madidam aream: pluuia quippe voluntaria, quam segregauit *Deus* hæreditati suæ, placidè prius, & absque strepitu operationis humanæ suo se quietissimo illapsu virgineum demisit in vterum; postmodum verò vbique terrarum diffusa est per ora prædicatorum, non iam sicut pluuia in vellus, sed sicut stillicidia stillātia super terram cum quodam vtique strepitu verborum, ac sonitu miraculorum: siquidem recordatæ sunt nubes illæ, quæ portabant pluuiam, præceptum sibi fuisse cum mitterentur, quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate super tecta: quod & fecerunt; etenim in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Ps. 67. 10.* *Mat. 10. 27.* *Ps. 18. 5.*

D. Bruno Carth. Descendet in vterum Virginis non localiter, sed spiritualiter, sicut pluuia descendit in vellus: quod est dicere: Sicut pluuia descendit in vellus sine velleris corruptione, & inde exprimitur sine velleris læsione; sic & Dei Verbum descendet in Virginem.

D. Chrysost. in psalmum 50. *ad illa verba* Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, Descendet sicut pluuia in vellus: non dixit in terram, sed in vellus; etenim pluuia, cum in terram delabitur, sonum edit; in lanam autem, & vellus delabens strepitum nullum emittit: quippe lanæ mollities labentis aquæ impetum, ac vehementiam frangit. Atque vt intelligas, quod citra strepitum venturus sit non turbans, non tumultum afferens, non perdens, non labefactans, descendet sicut pluuia in vellus.

Idem Chrisost. tract. aduersus Gentiles, quod Christus sit Deus, Non solum autem prædixerunt futurum hominem, sed & modū aduentus eius: nam affuturus erat non iaciens, vel fulmina, vel fulgura è supernis, nec concutiens terram, nec rotans cælum, nec alia id genus prodigia operans, sed absque strepitu, & ita absque tumultu, & turbatione, vt nemo persentisceret: in domo enim fabri natus est, in domo ignobili, & vili. Audi quomodò neque illud propheta prædicendo tacuerit, Descendet sicut pluuia in vellus.

Didymus in cat. apud Corderium Sicut pluuia terræ causa est fertilitatis, ita Saluator fidelibus auctor est propagationum. Vellus autem Israelem designat; terra verò gentes; quoniam prius in vellus descendit, ac deinde propter infidelitatem Israelis super terram decidit, ita vt hæc vniuersa stillicidijs eius irrigata fuerit ad fructus spiritales proferendos.

Eusebius in cat. apud eumdem, Primus itaque descensus fuit tāquam

quam pluuià in vellus; ſed totius orbis eruditio cum plurima commotione facta eſt; nam in omnem terram exiuit ſonus eorum, atque adeo ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.
Pſ. 18. 5.

D. Greg. Nyſſenus de adu. Domini in carne, Deſcendet ſicut pluuia in vellus ſignificās eius deſcenſionem fore quietam, atque ſine ſtrepitu: pluuia enim ſuper terram deſcendens ſtrepitum facit, quod in vellus lanæ deſcendens non facit.

Heſychius in cat. apud Corderium Dicit Vnigeniti in Deiparā Virgine exinanitionem; vellus autem vterum eius merito nuncupauit, quia Dei Verbi aduentum quietè, ac ſine ſtrepitu, non ſecus, ac vellus pluuiam, ſuſcepit.

D. Hieron. Sicut enim in vellus Gedeonis pluuia deſcendens, cum terra arida defecit; ita & hic illapſus eſt in vterum Virginis per infuſionem Spiritus Sancti: Et ſicut ſtillicidia, &c. Arida enim terra humani corporis, cum aduenerit; nec vllum fructum exhibere poterat Sanctitatis, ſed ipſe eam prædicationis ſuæ ſtillicidijs fœcundatam fructibus repleuit æternis.

Tertull. lib. 5. in Marcionem c. 9. Deſcendet tamquam imber ſuper vellus, & velut ſtillæ deſtillantes in terrā, placidum deſcenſum eius, & inſenſibibilem deſcribens de cælo in terram: Salomon autem, etſi deſcendit alicunde, non tamen ſicut imber, quia non de cælo.

Theodorus in cat. apud Corderium. Erit enim ſuauis, & acceptus omni multitudini, recti & æqui curam gerens; non ſecus enim admittit eos, qui accedunt, quam vellus, ac terra ſtillas pluuiæ.

3 *D. Ambr. lib. de Spirit. S. c. 8. ſub initiū.* Hoc eſt oleum lætitiæ, de quo dicit propheta Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, &c. Oleum igitur lætitiæ Spiritus S. eſt. Et pulchrè oleum lætitiæ dixit, ne creaturam putares: olei enim huiuſmodi natura eſt, vt nequaquam naturæ alterius humidi miſceatur: Lætitia quoque non corpus vngit, ſed intima cordis illuminat, ſicut Propheta dixit, dediſti lætitiam in corde meo. Ergo cum ludat operam, qui oleum velit cū creatura humidiore confundere; quia cum olei leuior natura ſit ceteris, reſidentibus alijs, eleuatum ſecernitur, quomodo putāt iſti deterrimi caupones oleum lætitiæ cum cæteris creaturis ſua poſſe fraude confundi, cum vtique non queant incorporeis corporea, increatis creata miſceri? Et benè oleum lætitiæ dicitur, quo vnctus eſt Chriſtus; neque enim vſitatum fuit ei oleū, & commune quærendum, quo aut vulnera curantur, aut æſtus leuatur: cum fomentum humanum vulnerum ſuorum ſalus mundana non quæreret, nec refectionem corporis fatigati virtus ſempiterna depoſceret: nec mirum, ſi habet oleum lætitiæ, qui facit exul-

exultare morituros, tristitia mundum exuit, mæstæ fœtorem mortis aboleuit.

D. Greg. M. lib. 9. epist. 61. Vnctus quippe est oleo, dono videlicet Spiritus S. sed præ consortibus vnctus est; quia omnes nos prius peccatores homines existimus, & postmodum per vnctionem S. Spiritus sanctificamur; ipse autem, qui existens Deus ante sæcula per Sanctum Spiritum in vtero Virginis homo conceptus est in fine seculorum, ibi ab eodem Spiritu vnctus est, vbi cõceptus; nec ante conceptus, & postmodũ vnctus est, sed hoc ipsũ de Spiritu S. ex carne Virginis concipi à S. Spiritu vngi fuit.

Orig. lib. 2. periarchon c. 6. Dilexisti iustitiam, &c. Vngi namque oleo lætitiæ anima Christi non aliud intelligitur, quam Spiritu Sancto repleri; quod autem præ participibus dixit, indicat, quia non gratia spiritus, sicut prophetis, ei data est, sed ipsius Verbi Dei in ea substantialis inerat plenitudo, sicut & Apostolus dixit, In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. *Col. 2.9.*

4 *D. Ambros. ser. 3.* Cur totius dominus creaturæ vermiculo se voluerit comparari? quoniam vermis nulla extrinsecus admixtione alieni corporis, sed de sola, & pura terra procreatur; ideo illum comparatum Domino; quoniam & ipse Saluator de sola, & pura Maria generatur. Legimus etiam in libris Moysi de manna vermiculos procreatos; digna plane, & iusta comparatio; siquidem de manna vermiculus gignitur, & Dominus Christus de Virgine procreatur. *Ex. 16.20.*

D. Aug. serm. 181. de temp. c. 2. Sicut vermis calefaciente sole de puro limo formatur sic, Spiritu S. illustrante, & sanctificante cor Virginis, Caro Christi, nulla sementina carnis origine operante, concepta est? Vnde se vermi comparans per Psalmistam dicit, Ego sum vermis, & non homo, idest non conceptus more humano.

D. Bern. lib. de passione Domini c. 17. Deus vult fieri vermiculus: quid excelsius Deo? quid vermiculo inferius? Ego inquit, vermis sum, & non homo. Quare vermis? quia filius hominis; ita enim habes in Iob, astra non sunt munda in conspectu eius, quanto minus homo putredo, & filius hominis vermis? si ergo filius hominis est vermis, vtique & ipse vermis; quia, ipso testante filius hominis est. Quem, inquit, dicunt homines esse filium hominis? ecce qualem distinctionem facit inter hominem, & filium hominis: homines appellat, qui de primo homine Adam per corruptionem descenderunt; vnde & Iob ait, quanto magis homo putredo, quia in putredine corruptio est: ipse vero solus purus Christus Dominus, quia sine corruptione de Matre Virgine natus est: siquidem non appellat hominem, qui vtique putre- *c. 25.5.6.* *Mat. 16. 13.*

F do

do est, sed filium hominis, qui vermis est: sicut enim vermis de sola terra, ita Iesus Christus de sola Virgine generatur. O quam humilis vermiculus Iesus Christus, qui opprobrium factus est hominum, & abiectio plebis, ab hominibus contemptus sine causa, sine vindicta conculcatus, sicut vermis: cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.

1. Pet. 2. 23.

D. Bruno Episc. Est autem Saluator noster quodammodo vermis, quia de sola Virgine sine aliqua viri admixtione natus est: sic enim nascuntur vermes, aut de solo ligno, aut de sola terra, nulla diuersorum sexuum commixtione.

D. Bruno Carth. Ego sum vermis, idest vermi similis: nam sicut vermis de nuce, vel de aliquo fructu sine semine nascitur; sic & ego de Virgine sine semine natus sum, & non homo simpliciter, sed etiam Deus.

S. Gaudentius Brixiensis Epis. serm. 19. de eo quod Deus Iesus dixit Apostolis Ioa. 14. Pater maior me est. to. 2. bibl. PP. Nemo fidelium conturbetur, quod minorem se in hoc mundo secundum carnem positus Patre suo dixerit filius, qui etiam vermi seipsum vnitum per prophetiam comparare dignatus est; & hoc quidem non sine ingenti ratione mysterij: constat enim sine coitu generantis futuræ apis vermem nasci, cuius labores reges, & mediocres ad sanitatem afferunt, sicut scriptum est: labores enim passionis Christi, quem velut apem virginem permansurum Virgo mater dedit, tam reges à regendo (summi videlicet Sacerdotes) quam mediocres quique se sequentium, vel ordinis leuitici, vel fidelium plebis in figura corporis eius, & sanguinis pro salubritate vitæ communis afferimus, & agnitam dulcedinem mysteriorum conscio ore testamur, Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. ps. 33.

D. Hieronymus Cur vermis, & non homo, dum dicit in Euāgelio, venit filius hominis redimere, quod perierat? Christus, & vermis dicitur, & homo: Vermis, vt ait propheta, Noli timere vermis Iacob: & homo, quia ex Maria natus. Assimilatur sua natiuitas vermi; quia vermis, qui in ligno nascitur, non habet patrem, nisi matrem; Et Christus ex Maria est natus absque coitu viri.

Luc. 19. 10

Is. 41. 14.

Orig. hom. 14. in Luc. sub finem. Assimilat se vermi, & dicit, Ego sum vermis, & non homo: ex mare quippe, ac fœmina homo nasci solet; ego vero non ex masculo, et fœmina secundum ritum humanum, atque naturam, sed in exemplum vermis natus sum, cuius non est aliunde semen, sed in ipsis, & ex ipsis, in quibus coalescit, corporibus origo est.

Pet. Damiani hom. 46. in nat. V. Quia absque vllo virili semine

ne de Virgine nasciturus erat, ipse multo ante per Prophetam dixerat, Ego autem sum vermis, & non homo: sicut enim vermis ex ligno absque alieno nascitur semine, ita & Christus absque vlla carnis concupiscentia de B. natus est Virgine. Hinc est enim, quod per prophetam alium dicitur, Ecce dominus ascendet super nubem leuem: sol quippe, cum nube tegitur, ab humanis visibus occultatur; sic nimirū, sic Saluator noster sumpta ex Virgine se carne vestiuit, in qua diuinitas latens humano intuitu videri non potuit: quæ nubes idcirco leuis dicitur, quia Beatissima Virgo nullo viri semine grauida sola S. Spiritus gratia fœcundatur. *Is. 19. 1.*

Idem serm. 67. qui est primus in Natali Virginum. Quis vermiculus iste, nisi ille, qui per Dauid canit in psalmo. Ego sum vermis, & non homo? Sicut enim vermis ex sola ligni materia gignitur, ita Christum absque virili semine de solo Virginis vtero genitum fides Catholica confitetur. Sed quamuis vermis sit tener, & debilis, ligni verò duritia fortis, ac solida, vermis tamen lignum vertit in cariem, & cauernosum reddit, & cauum: Ita Redemptor noster verus vtique manu fortis, atque desiderabilis, qui semet ipsum exinaniuit, qui non habens speciem, neque decorem inualidus, & despectus apparuit, humanum genus, vnde ortus est, paulatim à suo rigore molliuit, magnumque sibimet in electis suis habitationis spatium procurauit.

Rupertus lib. 3. in Exod. cap. 18. Porro spiritualiter scatens de manna vermiculus ille est, qui loquitur in psalmo, Ego autem sum vermis, & non homo: sicut enim vermis sine concubitu de manna scaturit, sic solus sine virili semine de virgineo ventre cōceptus, & natus est Christus filius Dei.

ANNOTATIONES.

2 DEscendet sicut pluuia in vellus. Communis Patrum, ac interpretum sensus est, prædixisse his verbis Psalmistam Incarnationem Verbi cum quadam ad vellus Gedeonis allusione. Si enim, auctore Augustino lib. de essentia diuinitatis, descendere in mundum legitur Deus, quando aliquod nouum in creatura humana operatur, meritò dicitur descendisse, cum Verbum caro factum est. Nam quid tam nouum tamque admirabile, quam Deum fieri carnem, eumdemque immortalem æternumque mortis, ac temporis legibus subijci? Certè Hieremias, *Creauit dominus,* inquit, *nouum super terram; fœmina circumdabit virum*: quam nouitatem admiratione sanè dignissimam inquirit, inuestigatque D. Bern. hom. 2. super missus est statim subnectens, *Quæ est hæc fœmina? Quis verò iste vir? Aut, si vir, quomodo à fœmina cir-* *c. 31. 22.*

cumdatus? aut, si à fœmina circumdari potest, quomodo vir? Et, vt apertius dicam, quomodo potest simul, & vir esse, & in vtero matris? hoc est enim virum à fœmina circumdari. Nouimus viros, qui scilicet infantiam, pueritiam, adolescentiam, atque iuuentutem transeuntes ad gradum vsque senectuti proximum peruenerunt. Qui ergo tam adeo grandis est, quomodo à fœmina circumdari potest? si dixisset; fœmina circumdabit paruulum, nec nouum videretur, nec mirum; nunc autem quia nil tale posuit, sed dixit virum, quærimus quæ sit hæc nouitas, quam Deus fecit in terra; vt fœmina circumdaret virum, & vir intra fœminei vnius corpusculi membra sese cohiberet? Quid est hoc miraculi? numquid potest
Ioan.3.4. *homo, vt ait Nicodemus, in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?* Verum ad conceptum partumque virginalem sese cõuertens subdit; *Virum dixerim fuisse Iesum non solum iam cum*
Luc. 24. 19. *diceretur Vir Propheta potens in opere, & sermone, sed etiam cum tenera adhuc infantis membra Dei mater blando vel foueret in gremio, vel gestaret in vtero. Vir igitur erat Iesus nec dum etiam natus; sed sapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Fœmina itaque circumstans virum Virgo est concipiens Deum.* Ceterum Innoc. PP. huius nominis III. serm. 4. de natiu. *Domini* triplicem agnoscit in hoc eodem mysterio nouitatem: primam in persona; alteram in natura, tertiam in gratia; quas studiosus quisque legere apud ipsum poterit.

Porro descensus hic Verbi per assumptionem carnis iuxta an-
Iſ.45.8. tiquorum patrum vota clamantium apud Isaiam, *Rorate cæli de-*
ps. 67. 10. *super, & nubes pluant iustum*, instar est pluuiæ. Hæc nimirum est pluuia illa voluntaria, quam Deus è sua ipsius benignitate, nullis hominum præcedentibus meritis, & hæreditati quidem suæ segregatam, hoc est in Israelitici præsertim populi, qui ipsius erat hæreditas, salutem misit in mundum, vt ipsemet Dominus testatus
Mat. 15. 24. est dicens non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israel: vel etiam ob electorum speciale beneficium, qui, vt loqui-
Heb.1.14. tur Apostolus, hæreditatem capient salutis. Denique si Verbum fons est vitæ; quemadmodum ex verbis psalmi 35. 10. docent Ambros. & Aug. in expos. eiusdem psalmi; quonam alio modo è tam excelso loco, hoc est è sinu patris in terras, nisi in imbrem pluuiamque descenderet?

Postremo Origenes hom. 8. in lib. Iudicum opinionem secutus cuiusdam, vt ipse ait, ex prædecessoribus suis, qui vellus lanæ in area, super quod iuxta petitionem Gedeonis primò cecidit ros, populum Israel; reliquam verò terram, super quam deinde ordine permutato idem ros cecidit, reliquas gentes exprimere aiebat,

idipsum

idipsum significari vult in hoc psalmo 71. vbi aduentus Christi describitur. Descendit sicut pluuia in vellus, &c. *Descendit ergo, ait, in illud vellus populi circumcisionis, & sicut stillicidia stillantia super terram, hoc est super reliquam terram descendit Dominus noster Iesus Christus stillans etiam super nos, & guttas nobis quoque afferens roris cælestis, vt & nos bibamus, qui eramus super omnem terram ingenti ariditate siccati. Huius igitur mysterij ordinem Gedeon Sanctus prophetico spiritu continens non solum primum signum poposcit à Deo, sed & secundum conuerso ordine repetit: sciebat enim rorem diuinum, qui est filius Dei, non solum Iudæis, sed postmodum etiam gentibus esse venturum; quoniam quidem ex incredulitate Israel salus fit gentibus: & hoc est quod pro ariditate velleris vniuersa terra gratia diuini roris infunditur.* Eadem est sententia Chrysostomi, qui in expos. eiusdem ps. 71. *Quid*, inquit, *significabat pluuia, nisi prædicationem legis; nam vellus illud sacrificia Iudæorum, in quibus sacrificijs iusserat sibi pecora offerri: In ipso ergo vellere descendit pluuia, quia sola fuit in Iudæa legis cultura. Aliam*, subdit, *petitionem postulauit, vt vellus siccum esset, & area pluuia infunderetur; in qua pluuia demonstrauit, nobis transferri sacrificia à Synagoga, & totam aream mundi impleri prædicatione Christi; illis enim repudiatis nobis aduenit misericordia in aduentu Redemptoris.* Rom. 11. 11.

Verùm vellus hic Virginem potiùs intellige: *Rectè*, inquit Ambros. serm. 13. qui est de natiu. Domini. *Maria velleri comparatur, de cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur: vellus planè Maria est; siquidem de molli sinu eius agnus est egressus, qui & ipse matris lanicinium, hoc est carnem gestans molli vellere cunctorum operit vulnera peccatorum: omne enim peccati vulnus Christi lana suffunditur, Christi fouetur sanguine, & vt sanctitatem recipiat, Christi indumento vestitur.* Albertus verò Magnus in expos. psalmi eiusdem 76. *Vellus, ait, vterus Virginis; vellus enim est quid molle, & tractabile, sic B. Virgo:* Bernardus. *Reuolue totam Euangelij seriem; si quid durum, si quid asperum inuenies in Maria, ad eam accedere ne verearis: vellus, quamuis magnum, in modico se constringit; & Maria, quæ tanta est ab alijs, ait, Ecce ancilla Domini: Item bibulum est aquæ, & Maria gratiæ, Aue gratia plena: De vellere etiam fit vestis, sic etiam de carne Virginis facta est Christo vestis: Denique vellus per pluuiam purificatur, & lauatur; non rumpitur; sic virginalis vterus per filium purificatus mundior redditur, non corruptus.*

Sed ante alios iuuabit audire D. Amedeum de eodem psalmi versu fusius, & pereleganter differentem hom. 3. de laudibus Virginis. *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia*

super

super terram. Prius dicendum est, quid hoc vellus, quæ terra; dehinc qualiter pluuia descendat in vellus, & qualiter stillicidia stillent super terram. Vellus, cum sit de carne, excrescit extra carnẽ; & carnis passiones ignorat; attactu leni, colore humili mansuetudinem, & humilitatem denunciat; forma etiam habilitate simplicitatis, & innocentiæ gerit indicium; & naturali velamine membrorum fouet teneritudinem. Designat autem gloriosam Virginem, quæ in carne degens extulit se extra carnẽ, & carnis passiones mactauit robore spiritus: nam mansuetudine, et humilitate nulli similis extitisse dignoscitur; simplicitatem eius, & innocentiam dicere nullus sufficiet; charitatem, qua humanum genus incessanter protegit, & fouet, mentis intelligentia non comprehendit. Porro præfata terra eamdem Virginem demonstrat, terræ nomine appellatam, propter quamdam similitudinem: sicut enim vetus Adam de terra incor-
Gen.2.7. *rupta, nullumque passa contagium formatus est, sic terris terra Virgo nouum Adam procreauit. Si non credis mihi prædicanti ortũ noui hominis de terra, crede Psalmistæ dicenti, Veritas de terra*
ps.84.12. *orta est: quæ maior nouitas, quam vt oriatur de terra ille, qui est veritas? Crede etiam tubæ ductili Isaiæ producentis gracilem, &*
Is.54.8. *suauem admodum sonum, ac dicentis. Rorate Cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem: qui iterum dicit, Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, &*
Is.4.2. *fructus terræ sublimis. Germen Domini in magnificentia, & gloria extitit, quando conceptum de Spiritu Sancto, & ortum de radice Iesse in summitate virga totum effloruit, imo flos fuit; & requie-*
Is.11.8. *uit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. Fructus verò terræ sublimis fuit, quia benedictus fructus Mariæ diuinitatis celsitudini meruit sublimari. Hæc idcirco diximus, vt terræ nomine Mariam intelligi debere monstraremus. Restat disserere, qualiter pluuia descendat in vellus, qualiterue stillicidia profluant super terram: Pluuia descẽdit in vellus absque strepitu; sine motu, sine vlla scissione, aut diuisione, leniter infunditur, tranquillè suscipitur, suauiter bibitur: sic stillicidia sensim, & paulatim infundunt terram tam mirabili decursu, tantaque subtilitate, vt in introitu vix pateant, & in exitu germina producant; ita imber veniens de vltrà supercælestes aquas descendit in gremium Virginis sine humano opere, absque motu concupiscentiæ, salua integritate, & claustris virgineis obseratis leniter infusus est, tranquillè susceptus, incarnatus ineffabiliter: stillauit quoque super terram eius in introitu non comparens, & in exitu prodiens manifestè. Sunt adhuc tantæ rei alia similitudines: enimuero vt claritas solis vitrum absque læsione penetrat, & vt radius*

dius oculorum tranquillo, & claro liquori sine scissione, & diuisione immergitur, vt vsque ad fundum vniuersa rimetur; sic Dei verbum adijt virgineum habitaculum, & inde prodijt clauso Virginis vtero; quippe qui facilè posset extra Virginem corpus creare de nihilo, facilè potuit corpus acceptum de Virgine extra sine carnis scissione traijcere; neque enim legi naturæ se subdidit, sed legem naturæ subdidit sibi.

4 *Ego sum vermis, & non homo, &c.* Vermis dicitur Christus Dominus Primo quia de Spiritu S. conceptus; non enim oritur vermis ex copula, & permixtione sexuum, sed ex terra, vel ligno, vel pomo, vt Patres supra docuere. Secundo ob apparentem eius vilitatem; vilissimum enim omnium animalium, & maximè imbecillum est vermis. Tertio ad indicandam ingentem in magna illa vilitate, & paruitate fortitudinem: rodit enim ligna vermis, & quæcumque attigerit demolitur, atque consumit: vnde Isaias, *Noli*, inquit, *timere vermis Iacob; ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, & Redemptor tuus sanctus Israel; ego posui te tamquam plaustrum triturans nouum habens rostra serrantia: triturabis montes, & comminues, & colles quasi puluerem pones*. Quarto ad genus mortis significandum, quod scilicet in Cruce suspendendus esset; vermis enim non tangitur præ horrore, sed ligno sublatus è terra suspenditur. Quinto quia tamquam vermis despicitur sine causa, & sine vindicta conculcatur, vt qui, cum malediceretur non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: non ita canis, aut anguis, quorum vterque in se lacessentē insilit; & alter latrando mordet, alter mordendo virus infundit. Sexto vermis quoque peccatoribus efficitur, eorum conscientiam arguens, ac rodens. Septimo demum quia tamquam vermis esca factus est diabolo, qua esca captus ille, interfectusq; est, vt bene Cyprianus ad illud symboli. Passus sub Pontio Pilato, D. Chrysost. hom. 5. ex varijs, D. Greg. lib. 33. mor. c. 10. & 12. D. Amedeus serm. 5. de laud. Virginis, Innoc. III. serm. 1. de aduentu Domini in fine. Et verò Petrus Dam. serm. 67. qui primus est de natali Virginum id quod 2. Reg. 23. 8. dicitur, *Sedens in Cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse quasi tenerrimus ligni vermiculus* multò meliùs, quàm priori illi Dauidi, nostro huic Christo Iesu, qui de se ait, ego autem sum vermis, & non homo conuenire docet: *Hic enim Dauid*, inquit, *sedet in cathedra, quia in paterna maiestatis gloria constitutus omnino indicat, cui Pater ait, sede à dextris meis: Sapientissimus est, quia ipsa Patris sapientia est. Sed quo modo Dauid dicitur princeps inter tres, cum ille non inter alios, quemlibet principatum, sed super omnes potius regulis sceptri teneret imperium? laus enim ista depretiat, non exaltat,*

Is. 41. 14.

1. Pet. 2. 23.

Ps. 109. 1.

depri-

deprimit, non attollit, cum ille non tam tribus interesset, quam omnibus superesset. Sed cum ab illo Dauid videatur sententia ista dissidere, est cui valeat aptissimè conuenire. Beatus enim ac singularis ille homo, qui misticè dictus est vermis, mox vt à Verbo in vnitate personæ suscipitur in Sancta Trinitate non inæqualiter principatur. Princeps est ergo inter tres, quia vnitus est Verbo, quæ vna est in sancta Trinitate persona. Hic octingentos interfecit impetu vno. Octonarius numerus ad resurrectionem, centenarius pertinet ad perfectionem. Dauid ergo vno impetu octingentos interfecit; quia Saluator noster omnes, qui vel perfectionem fidei appetunt, vel resurrectionis gloriam concupiscunt gladio sui spiritus interfecit dum eos per Incarnationis, ac Crucis suæ mysterium ab amore mundi huius mortuos reddidit; & hoc vno operatus est impetu, idest vno
Rom. 6.9. *suæ incarnationis aduentu: Semel enim pro peccatis nostris mortuus est, iam vltra non moritur. An non eius aduentus iure vocatur im-*
Can. 2. 8. *petus, de quo Salomō ait, Ecce iste venit saliens in mōtibus, transiliēs*
ps. 58.6. *colles, & Dauid exultauit, inquit, vt gigas ad currendam viam? qui enim currit, procul dubio impetum facit.*

Io 1. 14.

VERBVM CARO FACTVM EST.

§. VI.

1 *Homo factus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. ps. 86. 5.*
2 *Et in puluerem mortis deduxisti me. ps. 21. 16.*
3 *Domini est assumptio nostra. ps. 88. 10.*
4 *Ipse cognouit figmentum nostrum. ps. 102. 14.*
5 *Infixus sum in limo profundi. ps. 68. 3.*
6 *Hæc mutatio dexteræ excelsi. ps. 76. 11.*

1 D. *Ambr. orat. funebri de excessu fratris sui Satyri.* Mater Sion dicet homo, &c. Matrē secundū diuinitatem habere
Is. 6. 9. non potuit, qui auctor est matris: ille factus est non diuina generatione, sed humana; quia homo factus est, Deus natus est, sicut & alibi habes. Puer natus est nobis, & filius datus est nobis; in puero enim nomen ætatis, in filio plenitudo diuinitatis est: factus ex matre, natus ex patre; idem tamen & natus, & datus, non diuersum, sed vnum putes: Vnus enim Dei filius, & natus ex patre, & ortus ex Virgine distanti ordine, sed in vnum concurrente nomine, sicut & præsens lectio docet, quia & homo factus est in ea,

in ea, & ipse fundauit eam altissimus; homo vtique corpore, altissimus potestate.

Idem Ambr. lib. 3. de fide c. 2. initio. Denique sic habes, Mater Sion, dicet homo; & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Homo, inquit, factus est, non Deus factus est: 1. *Tim.* 2. qui autem idem altissimus, idem homo, nisi mediator Dei, & 5. hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum pro nobis? Et hoc vtique ad Incarnationem pertinet.

D. Aug. tract. 16. in Io. in fine. De illo ergo homine, de quo & hodie audiuimus, vnus mediator Dei, & hominum Christus 1. *Tim.* 2. Iesus etiam psalmus prælocutus est dicens, Mater Sion, dicet ho- 5. mo: quidam homo, mediator Dei & hominum homo, Mater Sion, dicet: quare Mater Sion dicet? quia inde accepit carnem; inde Virgo Maria, de cuius vtero serui forma suscepta est, in qua dignatus est apparere humillimus. Mater Sion, dicet homo: & homo iste, qui dicit, Mater Sion, factus est in ea: homo factus est in ea, nam Deus erat ante eam, & homo factus est in ea: qui homo factus est in ea, ipse fundauit eam altissimus, non humillimus: Homo factus est in ea humillimus, quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: ipse fundauit eam altissimus, quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; omnia per ipsum facta sunt.

D. Fulgentius lib. de incarn. c. 3. Hæc ergo medicinaliter vsa est bonitas remedio, vt ille vnigenitus Deus, qui est in sinu patris, non solum in muliere, sed ex muliere fieret homo: quod indubitanter diuinis credere, atque profiteri iubemur oraculis: In ea quippe Deum hominem factum Propheta non tacuit dicens, Mater Sion, dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.

D. Greg. hom. 1. in Ezech. Dauid incarnandum Dei vnigenitum nouerat de Iudæa dicens, Homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.

Petrus Damiani serm. 46. qui est 3. de natiu. B. V. ante med. Antequam nasceretur, talem creauit eam, vt ipse dignè nasci potuisset ex ea, de qua propheta Dauid multo ante prædixerat, Mater Sion dicet homo, & homo factus est ex ea, & ipse fundauit eam altissimus. Creatus est ex ea, quam creauit; portatus est manibus, quas formauit; suxit vbera, quæ repleuit; puellæ confouebatur in gremio, quem vastissima cœli non recipit latitudo; puerilibus fascijs cingebatur, qui immensitatem orbis pugillo complectitur; matris parebat arbitrio, qui omnium rerum iura suo gubernabat imperio; vagiebat in cunis, qui Angelorum gaudium erat in cælis; vilibus tegebatur crepundijs, qui electos suos

ftola induit immortalitatis; impetabat illi puella, cui cuncta obtemperant elementa.

Idem opusc. 2. hoc est in antilogo contra Iudaos c. 3. circa med. Quis est ille,de quo dicitur,Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea,& ipse fundauit eam altissimus?quis est iste altissimus? Scrutare,inspice, reuolue, si placet, omnes sacri eloquij paginas, & perpende, quia Altissimus vbique de Deo dicitur, nusquam dictum de simplici homine reperitur. Restat ergo, vt, cum Altissimus, & homo simul iungatur, Deus, & homo vna persona dictus intelligatur: de quo mirabiliter dicitur, quia is, qui natus est in ea, hoc est in Sion, ipse fundauit eam. Necesse est quippe prius Ciuitatem fundari, & sic postmodum in ea hominem nasci: sed quis valet prius vrbem construere, & in ea postmodum de ventre matris exire? quis, inquam, nisi Redemptor noster, qui in his, quæ fecit, dignatus est fieri.

Tertull. lib. 4. adu. Marcionem c. 12. Et ecce Allophyli, & Tyrus,et populus Aethiopum isti fuerunt illic: Mater Sion, dicet homo, & homo factus est in illa, quoniam Deus homo natus est, & ædificauit eam voluntate Patris, vt scias, ad eum tunc gentiles conuenisse; quia Deus homo natus erat ædificaturus Ecclesiam ex voluntate Patris ex Allophylis quoque.

2 *Didymus in cat. græca.* Et in puluerem mortis deduxisti me, Puluerem mortis fortasse dicere potes, quod à Paulo corpus mortale appellatur,ipsum enim verè ex terra formatum est: puluis
Rom. 7. 24. autem mortis ideo dictum est, quoniam quidquid oritur, eidem moriendum est: nam si quod nascitur, in corpus coalescit,necesse est, vt dissolutio, quæ mors est, consequatur. Hoc igitur corpus ex Virgine cum Saluator assumpsisset,dixit, & in puluerem mortis deduxisti me.

3 *D. Bruno Episc.* Domini est assumptio nostra. De assumptione carnis nostræ loquitur, quam non Angelus, non Archangelus, sed ipse per se ipsum Dei filius, vt nos redimeret, & exaltaret, assumere dignatus est.

4 *D. Greg. lib. 13. Mor. c. 13.* Ipse cognouit figmentum nostrũ, naturam nostram non solum creando nouit, sed etiam assumendo; scire enim eius est nostra suscepisse: vnde etiam per psalmistam dicitur, ipse enim scit figmentum nostrum: quid enim mirum, vt figmentum nostrum dicatur specialiter scire, dum constat, nihil esse quod nesciat? Sed figmentum nostrum scire eius est, hoc in seipso ex pietate suscepisse.

5 *Beda* Infixus sum in limo profundi, Homo factus à Deo de limo;per præuaricationem verò factus est profundus limus,profundus quidem propter multiplices pænas peccati: In hoc limo profundo

fundo infixus ipse fuit, qui humanam naturam suscepit; & ideo dicit, Infixus sum in limo profundo: & ideo non est mihi substantia, idest substantia aliqua, vt per me possim dimersus ab aquis illis subsistere, nisi tu resuscites me.

D. Hilarius. Infixus sum, &c. Primus enim homo de terræ limo, & secundus Adam in huius limi profundum de cælis descēdens, seipsum tanquam ex alto veniens defixit.

6 *D. Greg. Nyssenus in vita Moysis.* Hæc est mutatio dexteræ excelsi; nam etsi natura diuina nullo pacto mutari queat; in eo tamen quod ad assumendum hominem descendit, imbecillitatemque nostram verè suscepit, commutata dicitur: Et sicut Moysi manus è sinu educta visa est commutata, rursumque in sinum reducta in naturam suam reducta est; simili quoque modo vnigenitus Dei filius, cum in sinu Patris est, dextera excelsi est, at verò cum è sinu Patris ad nos visitandos descendit secundum nos factus, quamuis immutabilis sit ipse natura, commutatus dicitur. At verò postquam morbos nostros sanauit, naturamque nostram in sinum suum reduxit (sinus autem Filij Pater est) tunc ipse non mutatus, quippe qui impassibilis, atque immutabilis est, mortalem hanc, & corruptibilem naturam immortalem, atque immutabilem conuertit.

ANNOTATIONES.

1 N*Vmquid Sion dicet.* Si sine interrogatione legatur, Mater Sion, dicet homo, & homo natus est in ea, vt habent S. Ambr. S. August. Tertull. Psalterium vetus, & Romanū, nec non exemplaria græca, sensus planus, simplexque est, quod scilicet Christus Dominus secundum humanitatem in populo Iudaico nascetur, qui tamen secundum diuinitatem eum creauit, eumdemque in fide fundabit. Quod si legatur cum interrogatione, *numquid Sion dicet?* quemadmodum lxx. interpretes, teste D. Hieronymo, transtulere, & habet vulgata, sensus quamuis idem, qui prior, indicat tamen vlterius, Incarnationis mysterium valde obscurum esse, & ineffabile: perinde enim est ac si dicat, Hoc, quod de te obscurè dico, ô Sion, numquid dicet homo? hoc est numquid hominum quispiam, qui homo simpliciter sit, animalis scilicet, & non spiritualis, planum faciet, qua demum ratione id continget, quod homo ex te nascetur, idemque fundabit te? animalis enim non percipit ea, quæ *Dei* sunt. Quamuis autem hoc ipsum dicere non audeat, nec valeat homo; non tamen silentio vsquequaque premetur, prorsusque ignorabitur: siquidem (subdit) *Dominus narrabit in scripturis populorum*, quæ scilicet populis christianis ad intelligendum proponentur; *& principum*, non qui- *1. Cor. 2. 14.*

quibuslibet autem, sed in scripturis Apostolorum, qui principes erunt in doctrina populorum eorumdem, qui habitabunt in Sion. Hæc fermè D. Bruno Carth.

Homo natus est in ea. Mirum valdè profectò est, quod humanæ salutis gratia Verbum caro factum sit, & non verbo duntaxat refecerit Deus omnia in homine, quemadmodum ab initio dixit, & creauit omnia. Verum id immensæ ipsius clementiæ, ac benignitati tribuendum est, vt tantum in reparando homine laboraret Saluator, quantum in totius mundi fabrica laboris Creator non susceperit. At cur humanam, non verò angelicam naturam assumpsit, seu, vt cum Apostolo loquar, *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*? *quia hoc*, inquit Greg. lib. 4. mor. c. 10. *procul dubio fieri debuit, quod redemit, vt & perditum Angelum non apprehendendo desereret, & hominem in semetipso apprehendendo repararet*. Iure autem optimo hominem, non angelum reparare statuit; Nam primo Angelus ex affectu malitiæ, & nequitiæ, homo autem ex ignorantia aliqua, seu infirmitate peccauit: quam rationem sic persequitur idem Greg. lib. 3. mor. cit. c. 9. *Angelus solummodo spiritus, homo vero spiritus & caro. misertus ergo creator, vt redimeret illam ad se debuit reducere, quæ in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid constat habuisse; & eo amplius debuit apostatam Angelum repellere; quò cum à persistendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestauit: vnde & rectè psalmista, cum misertum redemptorem hominibus diceret, ipsam quoque causam misericordiæ expressit dicens, Et memoratus est, quia caro sunt; ac si diceret: quò eorum infirma vidit, eò districtè culpas punire noluit*.

Heb. 2. 16.

Ps. 77. 39.

Secundo Angelus, per se, quia sine suggestione corruit; homo verò per alium, quia diaboli persuasione deliquit; ideoque, vt ait D. Bern. serm. 1. de adu. domini; *quem supplantauit aliena malitia, eidem prodesse potuit caritas aliena*. Tertio Angelis superbia, vt idem Bern. ibid. pænitentiæ remedium non admittit, neque adeo veniæ: & quoniam nulla patebat Angelis redeundi via, propterea creauit Deus homines ab initio, qui supplerent locum illum, & ruinas cælestis Hierusalem restaurarent: At vero hominis vice nullam condidit creaturam, innuens ex hoc ipso eũdem per pænitentiam dignum venia redimendum. Denique *humana natura*, inquit Innoc. 3. serm. 1. in Dom. 1. Adu. *cecidit tota, cum in radice peccauerit; non item Angelus, quia pars in sua felicitate permansit*.

Ad hæc Verbum Dei caro factum est, vt quod erat cibus Angelorum secundum diuinitatem, fieret cibus hominum secundum humanitatem: simul *idcirco*, inquit D. Bern. ser. 20. in Cant. *voluit*

luit

luit in carne videri, & cum hominibus homo conuersari, vt carnalium videlicet, qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primò ad sua carnis salutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem. Vel etiam, vt docet D. Amedeus hom. 4 de laud. Virg. *vt carne carnem traheret, & carni coniungens carnem glutino caritatis ad Dei inuisibilia, & inuisibilem Patrem omnipotentem ouem errantem reportaret: nam quia relicto Deo illa in carne cecidit, necesse fuit, vt huius incarnata manus ministerio, quasi quodam vehiculo ad Patrem sublenata rediret*.

Postremo de Virgine, & incognita viro carnem sumere dignatus est, ne per carnis concupiscentiam peccatum traheret, quod per carnis munditiam debebat auferre: simul quia (vt ait D. Bern. hom. 2. super missus est: *Deum huiusmodi decebat natiuitas, qua non nisi de Virgine nasceretur; talis congruebat, & Virgini partus, vt non pareret nisi Deum. Proindè factor hominum, vt homo fieret nasciturus de homine talē sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram. Voluit itaque esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus*. Vel etiam *Natus ab intacta est fœmina Dei filius*, inquit D. Maximus hom. 3. in nat. Domini initio, *vt eum pariter & hominem testaretur partus humanus, & Deum probaret æterna virginitas: nam sicut non poterat nisi caro de carne nasci; ita non poterat Dei caro de femineo vtero, nisi sine generante prodire*. Demum quia voluit Deus in sua conceptione totum humanæ conditionis modum implere: *primus enim modus humanæ conditionis fuit, vt homo fieret nec de masculo, nec de fœmina, vt Adam. Secundus vt homo fieret non de fœmina, sed de masculo, vt Eua. Tertius vt de masculo simul, & fœmina fieret, vt Cain, Abel, & ceteri hominum. Quartus relinquebatur, vt fieret de fœmina, non de masculo, quemadmodum factus est Christus*. Ita Innoc. III. in Dom. 1. Adu. serm. 1. cit.

DEVS HOMO, HOC EST VNVS DEI FILIVS, VNVSQVE CHRISTVS DIVINA CONSTANS, HVMANAQVE NATVRA.

§. VII.

1 *Nubes, & caligo in circuitu eius ps. 96. 2.*

2 *In Idumæam extendam calceamentum meum ps. 59. 10.*

1 D. *Bruno Episc.* Nubes, & caligo in circuitu eius. Nubē, & caliginem carnem ipsam vocat, qua diuinitas induta, & circumamicta videri non potuit; si enim eum cognouissent, ait Apostolus, numquam dominum gloriæ crucifixissent: de hac nu-
1.Cor.2.8. be scriptum est, Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, &
Is.19. ingredietur Aegyptum, & corruent omnia simulacra eius.

D. Chrysost. Quid autem est nubes, & caligo in circuitu eius? aliud est nubes, aliud caligo: Nubes est tenuissimus aeris lucidi contextus lucem aliquam de se emittens; caligo vero crassior est, & nebulosa obtenebratio: quomodo igitur nubes, & caligo in circuitu eius? prius ponitur nubes, postea caligo: ita in Christo primùm est diuinitas, postea humanitas: nubem dicendo diuinā eius, & luculentam Deitatis pulchritudinem insinuat; caliginis autem nomine humanum significans tegumentum; hac enim caligine Deus sermo viam suam occultauit.

2 *D. Greg. hom. 7. in Euang. post med.* Quis enim nesciat, quod calceamenta ex mortuis animalibus fiunt? Incarnatus verò dominus veniens quasi calceatus apparuit, quia in diuinitate sua morticina nostræ corruptionis assumpsit. Vnde etiam per Prophetam dicit, In Idumæam extendam calceamentum meum: per Idumæam ergo Dominus calceamentum suum se extendere asserit; quia dum per carnem gentibus innotuit, quasi calceata ad nos diuinitas venit.

Rupertus lib. 3. de diu. officijs cap. 11. Stat Idumæa illa, quæ visitationis suæ propheticum illud audierat promissum, In Idumæam extendam calceamentum meum: & respiciens in illud tempus, quo de accubitu suo, scilicet de sinu patris egressus rex ille, qui hoc promiserat, iam in vtero Virginis calceabatur, mirabilem illam, atque insolubilem incarnationis corrigiam suis cir-
Ps.105.4. cumdans gressibus: illud, inquam respiciens Idumæa, scilicet alienigena gentilitas clamat, memento nostri Domine in beneplacito populi tui, videlicet in filio tuo, in quo tibi beneplacuisti solo ex millibus populi, quicumque tuus fuit ab initio mundi: visita nos in eodem salutari tuo, ad modum medici iacentem ægrotum dignatione gratuita visitantis.

ANNOTATIONES.

2 IN *Idumaam extendam calceamentum meum. Calceamentū humanitas est,* inquit Albertus M. *pes autem diuinitas; corrigia verò vnio diuinitatis ad humanitatem.* Pulchrè calceamentum humanitatem dixit, quæ diuinitatem in Christo calceauit, cū eam celauit: huius calceamenti corrigiam indignum se Ioannes vt sol-

solueret confessus est; quod totum sic explicat D. Bruno Carth. *Calceamentum ex pellibus mortuorum animalium efficitur; ideoque pro humanitate Christi ponitur, quæ per multas tribulationes ad vltimam passionem crucis mortificata est: vnde Ioannes Baptista, Post me temporaliter venit vir, Christus scilicet, qui ante me factus est secundum humanitatem, non temporaliter, sed dignitate: quod est dicere, qui factus est dignior me, cum sit posterior tempore secundū quod homo. Corrigiam calceamenti, cuius non sum dignus soluere, idest minimam particulam mysteriorum eius humanitatis non sum dignus explicare: quod est dicere, nec etiam dignus sum, & sufficiens ad explicandum aliquod minimum secretum eius humanitatis, nedum aperire non sufficiam mysteria ineffabilia eius diuinitatis.* Io. 1.27. Io. 1. 27.

Eadem est expositio D. Greg. hom. 7. in Euang. vbi sic loquitur, *Corrigia calceamenti est ligatura mysterij: Ioannes itaque soluere corrigiam calceamenti eius non valet, quia incarnationis eius mysterium nec ipse inuestigare sufficit, qui hoc per prophetiæ spiritum agnouit. Quid est ergo dicere, Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius, nisi apertè & humiliter suam ignorantiam profiteri? ac si patenter dicat, quid mirum si ille mihi prælatus est, quem post me quidem natum considero: sed natiuitatis eius mysteriū non apprehendo?* Io. 1. 27.

Nec ab eadem sententia longè abiit Rupertus lib. 2. in Matth. c. 2. *Per calceamenta*, inquit, *cum sint ex corijs mortuorum animalium, significatur humanitas eiusdem filij hominis Iesu Christi, in qua erat mortalis, & passibilis; vnde est illud In Idumaam extendam calceamentum meum, idest notum faciam gentibus Incarnationis meæ sacramentum. Hoc per Apostolos erat faciendum; ipse autem Ioannes non erat victurus vsque ad illud tempus, quo Apostoli taliter calceamenta domini portauerunt, idest publicè prædicare cœperunt; natum esse de Virgine Deum, & hominem Iesum Christum, quia Verbum erat in principio Deus apud Deum, Et Verbum caro factum est; & sicut Angelus locutus est ad Ioseph, quod in B. Virgine natum est, de Spiritu S. est. Igitur, cum dicit, Qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare, promptum est animaduertere, quàm libenter hominis officium subiret, quanta cum dilectione gloriam istam filij Dei filij hominis cum illis calis annunciare, & enarrare pergeret: & ipse quidem de se ipso ita sentiendo, ita indignum semetipsum iudicando regulam custodiebat veræ humilitatis; quia non considerabat, quod ipse solus esset Præcursor Domini, imo & Angelus Domini, sicut de seipso in Malachia spiritus propheticus prædixit; sed illud considerabat, quod illi futuri essent cæli, qui, sicut iam dictum est, calceamenta portando Iesu Christi enarrauerunt eiusdem gloriam Dei.* Io. 1. 1. v. 14. Mat. 1. 20. Mal. 3. 1. Ps. 18. 1.

De-

Denique D. Bern. incidenter locum hunc de calceamēto Christi, eiusque corrigia, quam se Ioannes indignum soluere profitetur, sic explicat serm. 1. in die Paschæ post med. *Vt mihi videtur,* inquit, *Idem* (Christus) *etiam liber est, qui non poterat aperiri:*
Ap. 5. 2. 3. *quis enim dignus inueniretur aperire hunc librum? indignum se profitetur & ipse Baptista Ioannes, quo inter natus mulierum maior nemo surrexit; Non sum, inquit, dignus soluere corrigiam calceamenti eius. Venerat enim ad nos calceata maiestas, diuinitas incarnata: venerat Dei sapientia, sed in libro clauso vtique, & signato: quod ligabat corrigia calceamenti; hoc claudebant signacula libri.*

HVMANAM NATVRAM SEMEL ASSVMPTAM NVNQVAM DIMITTET.

§. VIII.

1 *Infixus sum in limo profundi ps. 68. 3.*

1 D. *Bernardus serm. 4. in vig. nat. Domini post med.* Limū quidem nos esse manifestum est; quoniam de limo plasmati sumus: sed tunc quidem limus paradisi; nunc vero limus profundi: Infixus sum, inquit, non pertransij, non recessi: vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi: ipse est Emmanuel nobiscū Deus.

D. Bruno Carth. Infixus sum, &c. Idest ego Verbum tuum, Pater, existens fixē, & incommutabiliter vnitus sum humanæ naturæ, quæ limus dicitur, eò quod terrena est, & secundum mortalitatem fragilis; & profundus limus, idest infimus, inferioris scilicet creaturæ, quam diuinitas; profunda quippe res infima est aliquando; ideoque profundus sumitur pro infimo. Cum autem dixit, Infixus, quia immutabiliter vnitus est, & firmiter humanæ naturæ, intelligere datur: illud namque, quod immobile est, & firmum, fixum vocari solitum est. Benè verò non fixum, sed infixum ponit, quasi diceret interius fixum, vt innuat, & se firmiter vnitum esse, & in humana natura latere: Et in hoc fidem nostram instruit, cum se Deum esse, & hominem asserit. Et, quoniam infixus sum, non est substantia, idest non erit mihi subsistētia: quod est dicere, non subsistam, idest non viuam; quasi moriar, cum sic à Patre meo dispositum sit.

IN VTERO VIRGINIS MATRIS HVMANAM SALVTEM NON OTIOSVS OPERATVR.

§. IX.

1 *Deus autem Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ ps. 73. 12.*

1 D. *Anastasius Sinaita Anagog. contempl. in hexam. lib. 2.* Fecit salutem in medio terræ, vtpote qui habitauerit in in medio terreni vteri Virginis Mariæ.

D. Bernardus serm. 2. in die Pent. ante med. A planta pedis vsque ad verticem non erat in nobis sanitas: Errraueramus ab vtero in vtero damnati antequam nati; quia de peccato, & in peccato concepti: Christus ergo ibi primum medicinam apposuit, vbi primus vulneri patebat locus, & substantialiter vtero Virginis illapsus de Spiritu S. conceptus est, vt conceptionem nostrã mundaret, quam spiritus malus, si non fecerat, tamen infecerat, vt non esset etiam in vtero vita ipsius otiosa, dum nouem mensibus purgat vulnus antiquum scrutans, vt dicitur, vsque ad imũ putredinem virulentam, vt sanitas sempiterna succederet. Et tunc iam operabatur salutem in medio terræ, in vtero videlicet Virginis Mariæ, qui mirabili proprietate terræ medium appellatur; ad illam enim, sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium seculorum, respiciunt & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos, qui sumus, & qui sequentur. *Is. 1. 6. Ps. 57. 4.*

Petrus Dam. serm. de S. Victore. Est & in medio Virginis ipsius vtero substantialiter illapsus, qui medietatem staterae comprehendit humanæ: Deus enim noster Rex antè secula operatus est salutem in medio terræ, terræ vtique illius, de qua scriptum est. Nemo qui operaretur terram. *Gen. 2. 5.*

ANNOTATIONES.

1. Operatus est salutem in medio terræ. Medium terræ infima pars est huius elementi, nouissimum inter res creatas locum tenens, & à cælorum ambitu quam longissimè distans. Ex eo autem quod Virgo dicatur à Propheta medium terræ, bene conijci potest summa animi eius demissio, ac profunda humilitas, qua præ ceteris creaturis vilem se, abiectamque reputans vltimum inter easdem locum sibi semper elegit: quamobrem veniens è cælo

nuptias cũ humana natura celebraturus filius Dei in ipsius vtero, tamquam in nouissimo loco, recumbere dignatus est, idipsum opere præstans prius, quod dein docuit, *Cum inuitatus fueris*
Luc. 14.8. *ad nuptias, non discumbas in primo loco, sed vade recumbe in nouissimo loco*; adeo vt quemadmodum ipse virorum nouissimus di-
Is. 53.3. ctus est ab Isaia, ita eius mater nouissima mulierum dici potuerit à D. Bern. serm. signum magnum, vbi referens de discipulis, quod redeuntes, vt in Actibus Apostolorum legitur, de monte Oliueti vnanimiter perseuerabant in oratione, *Quid?* inquit: *si forte Ma-*
Act. 1.14. *ria affluit, nominetur prima, quæ super omnes est tam filii prærogatiua, quam sua priuilegio sanctitatis: Petrus, Andreas, ait, Iacobus, Ioannes, & ceteri, qui sequuntur: hi omnes perseuerabant vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre eius. Itane & mulierum sese vltimam exhibebat, vt nouissima omnium poneretur? Verè carnales adhuc discipuli, quibus necdum spiritus*
Io. 7.39. *erat datus, quia Iesus necdum fuerat glorificatus; quando facta est inter illos contentio de primatu; cum Maria quanto maior erat, humiliaret se non modo de omnibus, sed & præ omnibus. Meritò facta est nouissima prima; quia, cum prima esset, omnium sese nouissimam faciebat; meritò facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat ancillam; meritò denique super Angelos exaltata est, quæ & infra viduas, & pœnitentes; infra eam, de qua eiectæ fuerant septem dæmonia, ineffabili sese mansuetudine declinabat.*

Ad hæc medium terræ centrum est mundi: Rectè igitur dicta est Virgo medium terræ, quæ centrum est vniuersi. Ad mundi centrum grauia quæque suo pondere feruntur, & in eodem conquiescunt, itidē ad Mariā impetu nescio quo, & occulta quadā vi res tēdūt vniuersæ: quāuis enim nō res omnes graues sint grauitate molis, at omnes tamē pōdus suū habent, siue amoris: *est quippe amor* ex D. Bern. de nat. & dignit. amoris diuini c. 1. initio *vis animæ naturali quodam impetu eam in locum, vel finem suum ferens*, vel, si amoris incapaces sunt, impetus quidam, *quo*, vt docet D. Aug in præfat. ad enarrat. 2. ps. 29. *res velut conatur abire in locum suum*. Porrò *ad Mariam tamquam ad medium, seu centrum respiciunt*, auctore eodem Bern. serm. 2. de Pent. *ac feruntur, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur de ipsis: illi qui sunt in cœlo, vt resarciantur; & qui in inferno, vt eripiantur; qui præcesserunt, vt propheta fideles inueniantur; qui sequuntur, vt conglorificentur*: & in eadem etiam conquiescunt. *quoniam*, vt subdit idem Bern. *in ea Angeli lætitiam,*

tiam, iusti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum, vnde ad Virginem se conuertens concludit. *Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ; quia in te, per te, & de te benigna manus omnipotentis quidquid creauerat, recreauit.*

Quid quod non vniuersæ modo creaturæ, sed creatoris etiam ipsius centrum est Virgo? quandoquidem & eius humilitatem respexit altissimus, & in eamdem singularis cuiusdam amoris impetu, omniumque donorum, ac gratiarum pondere grauis, onustusque descendit, & ita descendit, vt in ipsa sola, tamquam in amoris sui centro, requieuerit. Bene aduertit D. Aug. lib. 4. de Gen. ad literam, post primam rerum creationem requieuisse Deũ die septimo; non tamen, vt scribit Moyses, In vniuerso, sed Ab vniuerso opere, quod patrarat, tametsi cuncta quæ fecerat opera bona essent, & valde bona: Verum ex singulari priuilegio in Virginis solius vtero propter vnius scilicet huiusce operis excellẽtiam, & planè admirandam sanctitatem requiescere dignatus, ipsamet attestante, *Et qui creauit me, requieuit In tabernaculo meo*; *Eccl.* 24. 12. Quo mirandum est minus, eam substantiuè Dei ipsius requiem dici à Psalmista, vbi illum alloquens, *Surge*, inquit, *Domine in requiem tuam, Tua enim requies est virgo*, resumit statim Chrysippus præsbyter Hierosol. hom. de S. Maria deipara, *& vterus tua requies; quia tibi cubile efficietur, & habitatio*: quin & Petr. Dam. lib. 2.ep.14. eamdem ob causam sabbati diem Virgini sacratum voluit, *Sabbatum enimuero*, ait, *quod requies interpretatur, quo videlicet die Deus requieuisse legitur, satis congruè B.Virgini dicatur, quam nimirum sibi sapientia domum ædificauit, atque in ea per humilitatis assumpta mysterium, veluti in sacratissimo lectulo requieuit.* *ps.*131.8. *Prou.* 9. 1.

SALVA MATRIS INTEGRITATE NASCITVR NOCTE INTEMPESTA, ET IN SVMMA ORBIS TOTIVS PACE.

§. X.

1 *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo ps.* 18. 6.
2 *Veritas de terra orta est ps.* 83. 12.
3 *Terra dedit fructum suum ps.* 66. 7. *& ps.* 84. 13.
4 *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te ps.* 2.7.
5 *Ex vtero ante Luciferum genui te ps.* 109. 3.
6 *Tu es, qui extraxisti me de ventre; spes mea ab vberibus matris meæ ps.* 21.10.

7 *Et nox illuminatio mea in delitijs meis ps.* 138. 11.
8 *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis ps.* 71. 7.

1 D. *Greg. hom.* 38. *in Euang.* Tamquam ſponſus quippe de thalamo ſuo proceſſit, qui ad coniungendam ſibi Eccleſiam Incarnatus Deus de incorrupto vtero Virginis exiuit.

Rupertus lib. 1. *in Oseam c.* 2. Nuptiæ iſtæ iam nobis innotuerunt, quales ſint, quia tunc Deus Pater, & Rex filio ſuo nuptias fecit, quando illum incarnari voluit, & nuptiarum illarum thalamus fuit vterus Virginis: in illo namque vtero natura mulieris huius, natura noſtra, natura humana coniuncta eſt naturæ Dei, & exinde qui Deus erat, proceſſit Chriſtus Deus homo; & ideo ſponſus, ſicut ſcriptum eſt in pſalmo, Et ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo: iſta ſponſalia æterna ſunt: cum ergo
Os. 2. 19. dixiſſet, Et ſponſabo te mihi, addidit; in ſempiternum.

2 *D. August. tract.* 41. *in Io. initio.* Ipſa eſt veritas Verbum Dei, Deus apud Deum, vnigenitus filius: hæc enim veritas carne induta eſt propter nos, vt de Maria Virgine naſceretur, & impleretur prophetia, Veritas de terra orta eſt.

D. Bruno Episc. B. Virgo Maria, & terra vocatur, & cælum. terra per naturam, cælum per gratiam; terra, quia de terra facta eſt, cælum quia Dei habitatio eſt: Veritas igitur de terra orta eſt, quia ſaluator noſter de Virgine natus eſt: ipſe enim & via eſt, & veritas, & vita. Et iuſtitia de cælo proſpexit, quia idem ipſe Saluator noſter, qui de ea natus eſt, quæ & cælum vocatur, & terra, mundum iſtum miſericorditer reſpicere, & impios, & peccatores iuſtificare dignatus eſt. Benè autem cælum dixit, quam terram vocauerat, ne tantæ perſonæ iniuriam tali nomine feciſſe videretur.

D. Laur. Iustin. de casto connubio verbi, & animæ c. 23. Abſq; detrimento virginitatis ſuæ ſine dolore partus ſuam pudiciſſima mater genuit prolem; quem vt vidit mente, & corpore humillimè adorauit, ipſumque reclinauit in præſepio; quia teſte Euan-
Luc. 2. 7. gelio, non erat ei locus in diuerſorio: Tunc quidem verus Adã de terræ limo plaſmatus eſt; tunc terra herbam germinauit virentem, de qua fons irrigauit ſuperficiem terræ, tunc iuxta prophetæ vaticinium veritas de terra orta eſt.

Pet. Dam. hom. 46. *de nat. Virg.* Poteſt etiam per repromiſſionis terram non incongruè ipſum beatiſſimæ Dei genitricis corpus intelligi, ex quo Redemptor noſter velut ſingularis botrus voluit humanitus germinari iuxta illud, quod ſcriptum eſt, Veritas de terra orta eſt. Et benè caro beatiſſimæ Virginis terra repromiſſionis eſt dicta, quæ longè ante paritura Saluatorem mundi

à Prophetis multifariam eſt promiſſa; quæ verè lac, & mel manauit, dum Deum, & hominem intemerata virginitate profudit. *Deut. 6. 3.*

3 *D. Bruno Episc.* Etenim Dominus dabit benignitaté, & terra noſtra dabit fructum ſuum, Certiſſimè credite, & nullatenus dubitare velitis, quia reuera Dominus dabit benignitatem; & ſicut per me ipſum, & alios prophetas promiſit, in tempore præfinito mittet nobis filium ſuum; Et terra noſtra, ſicut modo dixi, dabit fructum ſuum. Felix terra, quæ talem fructum fecit: Feliciſſima Virgo, quæ talem filium genuit.

D. Chryſol. ſerm. 117. Priùs vtique terra, quàm fructus, ſed non tam precioſa terra, quàm fructus: illa gemitus exigit, & labores, hic ſubſtantiam largitur & vitam. Meritò propheta de tali fructu gloriatur dicens, Terra noſtra dedit fructum ſuum: qué fructum? nempè illum, de quo alibi dixit, De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. *pſ. 131. 11.*

D. Greg. in lib. 1. Reg. non longè ab initio, Terra quippe fructum ſuum dedit, quia quem Virgo peperit, non concepit materiali opere, ſed Sancti ſpiritus obumbratione. Hinc Iſaias ait, Erit fructus terræ ſublimis; nam quem Virgo genuit, non ſolùm homo ſanctus fuit, ſed etiam potens Deus. *Iſ. 4. 2.*

D. Laur. Iuſtin. de triumph. Chriſti agone c. 17. Non de terra hac, quæ calcatur pedibus procreatus, ſed de intemeratæ Virginis vtero, de illa videlicet terra; de qua Propheta gratulabundus cecinit dicens: Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dedit fructum ſuum, & de qua alius vates dixit, & fructus terræ ſublimis, ſublimis, inquam, nam excelſior eſt cunctis, & ſublimior vniuerſis, dominatur enim à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. *Iſ. 4. 2.* *pſ. 77. 8.*

4 *Origines in cat. apud Corderium* Illud, hodie, nomen eſt temporis, & idem eſt ac præſens dies: hoc autem dicit propter Saluatorem, qui factus homo in tempore natus fuit.

Theodorus Antioch. in cat. apud eumdem Dominus dixit ad me, &c. Qui ante ſecula erat filius, hodie naſcitur homo factus.

5 *D. Aug.* Ex vtero ante Luciferum genui te: ex vtero virginali: Ante Luciferum genui te ex vtero; ſi enim illa Virgo ducens propaginem ex carne Dauid, ex illo vtero natus eſt Chriſtus, tamquam ex vtero genitus à Dauid: ex vtero, quo maſculus non acceſſit; ex vtero prorſus; propriè de vtero, quia ſolus ex ſolo vtero. Et hoc ipſum ante Luciferum ſignatè dictum, & propriè dictum, & ſic impletum; noctu enim natus eſt dominus ex vtero Virginis Mariæ: indicant teſtimonia paſtorum, qui vigilias exercebant ſuper gregem ſuum. *Luc. 8. 2.*

Tertull. lib. 5. aduer. Marcionem c. 9 Sed nec & generaui te,

edi-

Is. 1. 2. edixisset Deus, nisi filio puero; nam & si de toto populo ait, Filios generaui, sed non adiecit, Ex vtero. Cur autem adiecit, Ex vtero, tam vanè quasi aliquis hominum ex vtero, natus dubitaretur, nisi quia curiosius voluit intelligi in Christum? Ex vtero generaui te, idest ex solo vtero, sine viri semine, carni deputans ex vtero spiritus. Ibidem Nos, edimus Euangelia nocturna natiuitate declarantia Dominum, vt hoc sit ante Luciferum, & ex stella Magis intellecta, & ex testimonio Angeli, qui nocte pastoribus annunciauit, natum esse tum maximè Christum; & ex loco partus, in diuersorium enim ad noctem conuenitur. Fortasse an & mysticè factum sit, vt nocte Christus nasceretur, lux veritatis futurus ignorantiæ tenebris?

6 *D. Aug. enarrat.* 1. *in ps.* 21. Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, Non solùm de illo ventre virginali, nam omnibus hominibus lex ista nascendi est, vt de ventre extrahantur, sed etiam de ventre Iudaicæ gentis, cuius tenebris obtegitur, & non dum in lucem Christi natus est quisquis in carnali obseruatione sabbati, & circumcisionis, ceterorumque talium salutem ponit. Spes mea ab vberibus matris meæ: spes mea, Deus, non ex quo vberibus Virginis lactari cæpi; nam & ante vtique, sed ab vberibus Synagogæ, sicut de ventre dixi, extraxisti me, ne carnalem consuetudinem sugerem. In te confirmatus sum ex vtero, ipse est vterus Synagogæ, qui me non pertulit, sed iactauit me, non non antè cecidi, quia continuisti me. De ventre matris meæ, &c. Non effecit venter matris meæ, vt tamquam paruulus oblitus essem tui.

Idem August. enarrat. 2. *in eumdem ps.* Verbum illud, per quod facta sunt omnia, non extractum est de ventre, nisi quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quoniam tu extraxisti me de ventre, Deus meus, ab vberibus matris meæ: nam ante secula Pater meus; ab vberibus matris meæ Deus meus. In te iactatus sum ex vtero, idest vt mihi solus esses spes, iam tamquam homo, iam tamquam infirmus, iam Verbum caro factum est: De ventre matris meæ Deus meus es tu: Non de te Deus meus; nam de te Pater meus; sed de ventre matris meæ Deus meus.

Idem epist. 120. *cap.* 2. Sed quid est, Tu extraxisti me de ventre, si ad ipsum Iesum de Virgine procreatum referatur? quasi alios Deus non extrahat, in cuius prouidentia est omnis ordo nascendi. An inde significare voluit partum Virginis seruata Virginis integritate mirabili, cum ait, Tu extraxisti me de ventre matris meæ, vt quod illic mirabiliter factum est, cum Deus fecisse dicitur, nemini incredibile videatur?

D. Cyrillus Hierosl. catechesi 12. Tu es qui extraxisti me de vê-

tre

tre significans illum sine viro de Virginis vtero ex carne extractũ, & natum esse; eorum enim, qui lege nuptiali nascuntur, alius est modus.

Eusebius in cat. graca Tu es, qui extraxisti, &c. Ostendit non iuxta naturæ ordinem, neque perindè ac reliqui homines, neque de more ceterorum animalium, quæ ex mare ex fœmina generantur, ortum eius extitisse, sed excellentius quid supra communem nascendi conditionem habuisse.

S. Hildephonsus lib. de virginitate S. Mariæ. Propheta in persona Christi ad Patrem, Tu es, inquit, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ. Ergo cum dicit, tu es, qui extraxisti me, singularem suam declarat natiuitatem, suauiter de ventre enixus. Alius autem omnis, qui de ventre matris venit ad lucem in mundo, non nisi nutu, & operatione Dei procreatus venit Christus autem de Virgine speciali, & ineffabili quodammodo procreatus absque vexatione matris ingressus est mundum. Et ideo pium est credere, quod non sicut ceteri, sed nouo, & admirabiliori ordine Deus, & homo natus est in mundo. Hinc ergo est, quod Hieremias testatur. Faciet Dominus nouum super terram, & mulier circumdabit virum, quod si vtique nouum fuit, Hier. 13. & admirabile, quod Virgo concepit sine semine, & sine corruptione viri, vetustas non potuit esse in partu. Et ideo nihilominus credendum, quod simili modo, nouo, & admirabili ordine natus sit in mundo sine dolore, & sine gemitu, & sine vlla corruptione carnis. Et hinc est pro gratiarum actione, quod speciali modo in psalmo, qui de illo totus est, ad Patrem ait, Tu es, qui extraxisti me de ventre: ac si patenter dicat, extraxisti me, quia non eo ordine sum egressus de vtero, vt ceteri nascuntur, cum ingenti vexatione matris, sed nouo egressu. Addidit: spes mea ab vberibus matris meæ. Ergo vbi mater & vbera narrantur, veritas carnis, & non phantasma prædicantur; qui licèt clauso vtero sit natus, quoniam ipse sibi peruium fecit, saluo sigillo pudoris, sicut & conceptus, tamen de carne Virginis procreatus est, & ideo vberibus iure lactatus commemoratur. Sic itaque totum factum est, vt fieret nouum super terram, quoniam Verbum caro factum est, & vocatum est Emmanuel, quod est nobiscum Deus.

Nicephorus in cat. graca. Tu extraxisti, Tu eduxisti me de ventre, siue de vtero matris meæ, virgineis claustris nullatenus apertis.

Theodorus Heracleota in comment. ps. 21. apud Corderium, Neque enim secundum legem naturalem ex viri semine conceptum fuit; quare etiam haud consueto modo de matris visceribus excidit, seminis scilicet efformatione egressum vrgente: sed quoniam

de

de Spiritu sancto conceptum fuit, ipsum Patrem habuit fœtui obstetricantem, & de vulua partum extrahentem.

Tertull. lib. de carne Christi c. 20. Misit Deus filium suum factũ ex muliere, numquid per mulierem, aut in mulierem? hoc quidem impressius, quod factum potiùs dicit, quã natum; simplicius enim enunciasset natum: factum autem dicendo, Et verbum caro factũ est consignauit, & carnis veritatem ex Virgine factam adsignãuit. Nobis quoque ad hanc speciem psalmi patrocinabũtur non quidẽ Apostatæ, Hæretici, & Platonici, & Valentini, sed sanctissimi, & receptissimi Prophetæ. Dauid ille apud nos canit Christum, per quem se cecinit ipse Christus: Accipe Christum, & audi Dominũ Patri Deo colloquentem, quia tu es, qui auulsisti me ex vtero matris meæ: Ecce vnum: Et spes mea ab vberibus matris meæ; super te sum proiectus ex vulua: Ecce aliud: Et ab vtero matris meæ Deus meus es tu: Ecce aliud. Nunc ad sensus ipsos decertemus: Auulsisti, inquit, ex vtero, quid auellitur, nisi quod inhæret, quod infixum, innexum est ei, à quo, vt auferatur, auellitur? si non adhæsit vtero, quomodo auulsus est? Si adhæsit, qui auulsus est, quomodo adhæsisset, nisi, dum ex vtero est, per illum neruum vmbilicarem, quasi folliculi sui traducem adnexus origini vuluæ? Etiam cum quid extraneum extraneo agglutinatur, ita concarnatur, & conuisceratur cum eo, cui agglutinatur, vt cum auellitur rapiat secum ex corpore aliquid, à quo auellitur, quasi sequelam quamdam abruptæ vnitatis, & traducis mutui coitus. Ceterum quæ vbera matris suæ nominat? sine dubio, quæ hausit.

7 *D. Amedeus hom. 4. de laud. Virg. Mariæ.* Puta, quando enixa est puerpera, faciem vniuersitatis risisse, & lætum orbem suo plausisse Domino: puta, cælum absterfis nubibus induisse decorem, & sidera dicentia, adsumus, luxisse ei cum iucunditate: puta, noctem effudisse lumen in tenebris, & pro caligine ministrasse splendorem. Nox illa dedit lumen, antequam oriretur, & lucem, quæ ob nimium splendorem solis iubar obnubilat: de hac nocte per Psalmistã dicitur, Nox illuminatio mea in delicijs meis. Et conuersus ad Dominum dixit, Tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ eius ita & lumen eius.

Baruc. 3. 18.

ps. 138. 11. 12.

8 *Idem Amedeus homilia 7.* Dauid cum de filio eius (*idest Mariæ*) Domino nostro loqueretur, Erit, inquiens, in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, aptè de illa mox intulit, donec auferatur luna: Luna ipsa est, quæ cælo terrisque irradians astris Sanctorum longè superior coruscat. Donec, ait, auferatur luna, quæ eleuato sole iustitiæ stetit in ordine suo, prima Ecclesiæ primitiuorum infulsit: Tradit fides maiorum iuxta veritatem historię

Abac. 3. 11.

ab

ab ortu Saluatoris vſque ad tranſitum Glorioſę terrarum accolas, ſopita armorum rabie, continua ac tranquilla pace quieuiſſe.

Anonymus in cat. apud Corderium Sancta erit, inquit, pacis abundantia, quæ fiet in aduentu eius, vt etiam ad futura tempora extendatur; quando Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum.

D. Bruno Epiſc. Hæc pax, & hæc iuſtitia inter Sanctos, & in Eccleſia à diebus Saluatoris noſtri orta eſt; quia ipſi ſunt, qui iuſtitiam pacemque cuſtodiunt. Nam & ſecundum literam quando Dominus natus eſt, maxima pax vbique erat, toto mundo ſub Romano imperio conſtituto: vnde & dignè ſatis in eius natiuitate Angelorum voces auditæ ſunt clamantium, & dicentium, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et hæc quidem pax, & iuſtitia non auferetur à Sanctis, & ab Eccleſia Chriſti, donec ipſa eleuetur, & ſuper cælos extollatur, quæ modo hoc in loco per lunam ſignificatur: & luna à ſole, & eccleſia à Chriſto ſuæ claritatis lumen ſuſcipiunt.

Euſebius in cat. apud Corderium Ab aduentu vſque ad conſũmationem ſunt iam dicti Saluatoris noſtri dies, cum ſecundum diuinitatem ante ſecula genitus ſit: quapropter Diſcipulis dixit, Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſũmationem ſeculi, in quibus pax facta eſt, omni poliarchia ceſſante, cunctis gentibus ſub vna monarchia conſtitutis, & ſibi mutuo permixtis. Porro iſtud, donec auferatur luna, dicit de conſumatione, quando ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum; ex parte enim mundi conſummationem declarauit. *Mat.* 28. 20. *Mat.* 24. 29.

D. Hieronym. Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis: quod impletum eſt tempore Auguſti Cæſaris, cum Dominus de thalamo virginali proceſſit: nam ita his diebus omnia illa quieuerunt, vt etiam illud impleretur, quod alius Propheta cecinit dicens, Conuertent gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Dies autem eius ſunt, cum concipitur, cum naſcitur, cum moritur. *Iſ.* 2. 4.

Innoc. III. ſerm. 2. in Nat. Domini Cum plena pax, & perfecta per totum orbem vniuerſaliter abundaret, quod nunquam ante contingerat, nec diu poſt vnquam euenit, natus eſt Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis: Vnde Propheta, Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundãtia pacis, donec auferatur luna. *Iſ.* 9. 6.

ANNOTATIONES.

5 IN *ſplendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te.* Verba hæc nonnulli de æterna Chriſti generatione intelligunt;

gunt; alij de temporali, Sanctus verò Augustinus de vtraque. Et si quidem de æterna sermo sit, verba sunt Dei Patris affirmantis se ex vtero generare. *Quid? numquid si Deus habet filium, numquid & vterum?* inquit August. *Sed sicut carnis corpora non habet, quia nec sinum, dictum est tamen, qui est in sinu Patris, ipse*
Io. 1. 18. *narrauit; qui est autem sinus, ipse est vterus. Ex vtero ergo genui te, hoc est ex occulto, de me ipso, de mea substantia; hoc est ex*
Is. 53. 8. *vtero, quia generationem eius quis enarrabit? Ante Luciferum: Lucifer hic pro sideribus positus est tamquam à parte totum significante scriptura, & ex eminenti stella omnia sidera, quæ cum sint in signa, & tempora, & dies, & annos, idem est dixisse ante Lu-*
Gen. 1. 14. *ciferum & sidera; quod ante tempora: quod si genitus ante tempora Dei filius, certè ab æternitate genitus est. Iam si de temporali Christi generatione dictum illud accipiamus, verba sunt Dauidis ipsius, qui dominum suum dixit filium suum: potuit autem rectè dicere*, Ex vtero ante Luciferum genui te, *Ex vtero scilicet virginali, cum enim Virgo illa de Dauid progenie propaginem duceret, de virgineo ipsius vtero natus est Christus, tamquam ex vtero Virginis genitus à Dauid: & quidem ante Luciferum, quia noctu na-*
Sap. 18. 15. *tus est Dominus ex vtero Virginis Mariæ, cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet.* Ita Augustinus.

Porro vtraque generatio, & natiuitas tum secundum diuinitatem æterna, tum etiam secundum humanitatem temporalis omnimodè pura, illabata, integra est; nam & Pater filium absque matre, & mater eumdem genuit absque patre, & propterea additum est, In splendoribus Sanctorum: quod autem in vulgata legimus, Sanctorum, in Hebræo neutrum est, idemque valet quod sanctitatis. In splendoribus ergo, & decoribus sanctitatis secundum vtramque Christus naturam genitus est. Et verò ad omnimodam puritatem, & munditiem indicandam, qua filius Dei à Deo in æternitate, idemque filius hominis ab homine processit in tempore, bene similitudo luminis, ac splendoris adhibetur; lux enim, solisque radius tam purus est, tamque ab omni semper immunditia immunis, vt vel in ipsis sordibus non sordescat. In vtraque autem natiuitate vnus Dei, idemque Virginis filius processit, vt splendor absque vlla eius, à quo emanauit vel immutatione substantiæ, vel diminutione virtutis. Nam de æterna verbi genera-
Sap. 7. 25. tione dicitur in libro Sapientiæ. *Emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit; candor est enim lucis æternæ, & speculum Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*, ex quo loco illa sibi verba mutuatus videtur Apo-
Heb. 1. 13. stolus, dum de eodem Dei filio ad Hebræos scribens dicit *Qui cum*

sit

sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. Cum autem similitudo hæc splendoris in multis appareat, vt docet D. Aug. hoc ipsum Pauli testimonium afferens serm. 35. de verb. Domini, in eo tamen signanter agnoscitur à D. Athanasio in epist. de Decretis Nycenæ Synodi, quod *quemadmodum Sol idem manens non minuitur radijs ab eo effusis, ita nec substantia Patris mutationem perpessa est, cum habeat suam ipsius imaginem filium.* Iam verò quod idem verbum similiter instar splendoris, ac luminis secundum temporalem generationem à matre processerit, docet nos Isaias illis verbis. *Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur, vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur.* Vbi de Messiæ aduentu loquitur, quem antonomasticè iustum nominat, vt aduertunt Hieron. & Cyrillus Alex. in hunc Isaiæ locum, & D. Athan. de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, iuxta illud Hieremiæ, *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, dominus iustus noster;* eumdemque benè prædicit tamquam splendorem egressurum; propterea quod sicut claritas solis per vitrum sine vlla fractione, læsioneue pertransit; sic ille de matris vtero, salua illius integritate, & absque carnis scissione proditurus esset in mundum. Nec minus eleganter adiecit, eumdem lampadis instar accensum iri, quemadmodum enim extincta lampas si accensæ cuipiam admoueatur, flammam statim ab ea concipit nullam ob id pristini splendoris, ac luminis diminutionem passa; eodem planè modo Verbum diuinum, quod secundum diuinitatem spiritus est, in vterum Virginis descendens naturam humanam assumpsit, carnemque ab ea suscepit, nulla in matre facta iactura pudoris.

Is. 62. 2.

Hier. 23. 6

Denique eamdem in genitrice integritatem, & castimoniam expressit propheta, cum idem Verbum ex vtero simpliciter genitum dixit. *Ex vtero*, inquit Augustinus, *quò masculus non accessit, ex vtero, propriè de vtero, quia solus ex solo vtero.* Et Tertull. lib. 5. in Marcionem c. 9. *Sed nec et generaui te edixisset Deus, nisi filio puero: nam etsi de toto populo ait, filios generaui; sed non adiecit ex vtero: Cur autem adiecit, ex vtero, tam vanè, quasi aliquis hominum ex vtero natus dubitaretur; nisi quia curiosius voluit intelligi in Christum? Ex vtero generaui te, idest ex solo vtero sine viri semine.* Vnde, & alibi solius fructus ventris ab eodem propheta dictus est Christus, cum eius promissio Dauidi facta est illis verbis, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam,* vt idem Tertull. aduertit aduersus eumdem Marcionem lib. 3. c. 20. contra quem disputans. *Quis iste venter est?* inquit, *ipsius Dauid? vtique non; neque enim pariturus esset Dauid, sed nec vxoris eius; non enim dixisset, Ex fructu ventris tui, sed vxoris tuæ. Ipsius*

Is. 1. 2.

Ps. 131.

ergo dicendo ventrem, superest, vt aliquem de genere eius ostenderit, cuius ventris futurus esset fructus caro Christi, qua ex vtero Mariæ floruit; ideoque & fructum ventris tantum nominauit, vt propriè ventris, quasi solius ventris, non etiam viri: Et ipsum ventrem ad Dauid redegit, ad principem generis, & familiæ patrem; nam quia viro deputare non poterat, Virginis eum ventrem patri deputauit.

EIVS NATIVITAS PASTORIBVS PER ANGELVM, MAGIS PER STELLAM ANNVNCIATVR.

§. XI.

1 *Cæli enarrant gloriam Dei ps.* 18. 1.

1 D. *Aug. serm. 30. de temp.* Illis (ideſt Magis) dies iſte primus illuxit, anniuerſaria nobis feſtiuitate rediji: illi erant primitiæ gentium, nos populi gentium: Nobis hoc lingua nuntiauit Apoſtolorum, ſtella illis tamquam lingua cælorũ, & nobis idem Apoſtoli, tamquam alij cæli enarrauerunt gloriam Dei? Cur enim non agnoſcamus eos cælos, qui facti ſunt ſedes Dei, ſicut ſcriptum eſt, anima iuſti ſedes ſapientiæ: per hos enim cælos ille cælorum fabricator, & habitator intonuit, quo tonitruo mundus tremuit, & ecce iam credit.

Idem Aug. ſerm. 31. de temp. Quid erat illa ſtella, quæ nec vnquam antea inter ſidera apparuit, nec poſtea demonſtranda permanſit; quid erat, niſi magnifica lingua cæli, quæ narraret gloriã Dei, quæ inuſitatum Virginis partum inuſitato fulgore clamaret, cui non poſtea apparenti Euangelium toto orbe ſuccederet?

D. Leo PP. ſerm. 2. de Epiph. c. 1. Iam tunc ergo cæli enarrauerunt gloriam Dei, & in omnem terram ſonus veritatis exiuit; quando & paſtoribus exercitus Angelorum Saluatoris editi annũciator apparuit, & Magos ad eum adorandum præuia ſtella perduxit.

Rupertus lib. 2. de honore, & gloria filij hominis initio. Vidimus ſtellam eius in oriente, Nonne iam tunc cæli gloriam iſtam enarrauerunt? vtique enarrauerunt; & alios cælos (*ideſt Apoſtolos*) de quibus iam dictum eſt, enarraturos eſſe ſignificauerunt: Et ſicut tunc Magi, ideſt ſapientes, vtique gentiles claritatem ſiue illuſtrationem iſtius cæli inanimati, ideſt ſtellam cognoſcentes, atque ſequentes venerunt dicentes, vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? (*Matt. 2. 2.*) Sic futurum erat, vt gentes illuminationem cælorum rationalium, ideſt Apoſtolorum, videlicet donum Spiri-

ritas S. quod acceperant, intelligentes venirent, & pœnitentiam sibi ad vitam donari postularent.

FIT MVLTITVDO CAELESTIS EXERCITVS LAVDANTIVM DEVM. *Luc. 2.*

§. XII.

1 *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis, laudate eum omnes Angeli eius ps. 148. 1.*

2 *In splendoribus sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te. ps. 109. 3.*

1 D. *Ambros. lib. 2. in Lucam.* Benè Angelorum nominantur exercitus, qui ducem cælestis militiæ sequebantur: cui igitur laudem Angeli, nisi Domino suo dicerent? Iuxta quod scriptum est, Laudate dominum de cælis, laudate eum in excelsis, laudate eum omnes angeli eius. Impleta igitur prophetia: Laudatur de cælis Dominus, & videtur in terris.

2 D. *Athan. in cat. apud Corderium.* Illud autem in splendoribus Sanctorum tuorum nihil aliud nobis significat, quam choreas illas Angelorum, quæ nocte illa, qua Christus nascebatur, exclamabant, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax.

VENIVNT MAGI, ADORANT, ET MVNERA OFFERVNT. *Mat. 2. 11.*

§. XIII.

1 *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent ps. 71. 10.*

2 *Venient legati ex Aegypto, Aethiopia præueniet manus eius ps. 67. 32.*

3 *Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ ps. 71. 15.*

4 *Omnes gentes quascumque fecisti venient, & adorabunt coram te Domine ps. 85. 9.*

5 *Afferte Domino patriæ gentium, afferte domino gloriam, & honorem ps. 95. 7.*

6 *Ecce reges terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum: ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos ps. 47. v. 5. 6. & 7.*

D. Chry-

1 D. *Chrysost. hom. 1. ex varijs in Matt.* Dauid quoque de his testatur, Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, &c. Et vt potissimum cui hæc dona essent donanda, monstraret, addidit in hoc eodem psalmo, Et dabitur ei de auro Arabiæ. Idem quoque Dauid in alio psalmo de myrrha non tacuit, cum de passione domini loqueretur dicendo: Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis.

Ps. 44. 9.

D. Hieron. Omne hic mundiale imperium, honores, & ordines ad Christum dominum accedere, eique colla submittere, bonorumque morum bona deferre propheta pronunciat: quod ex magorum muneribus intelligimus inchoatum.

Hugo Card. Hoc impletum est in die Epiphaniæ, quia de his regionibus fuerant tres Magi, qui & reges, qui Domino munera obtulerunt: vnde hic psalmus in die illo cantatur, & iste versus frequenter cantatur in illa die.

a *D. Chrysol. serm. 160.* Iamque videns (*Magus*) credere se, & non discutere, mysticis muneribus confitetur thure Deum, auro Regem, vt eum diuiti placaret obsequio; quem curioso, & importuno incesserat instituto, atque implet illud, quod multi de spadone Aethiopiæ suspicantur, Aethiopia præueniet manus eius Deo. Videt Christum Magus Iudæum præueniens manibus suis; quia quando Christum Iudæus Herodi scelere prodebat, tunc Magus Deum Christum muneribus fatebatur.

D. Chrysost. hom. 1. ex varijs in Matt. De his Magis idem Dauid significare monstratur, cum dicit, Venient legati ex Aegypto, Aethiopia præueniet manus eius. Nam quia mundum istum sæpe scriptura diuina Aegyptum nuncupat, rectè Magos illos intelligimus Aegypti legatos, qui quasi totius mundi legati electi in muneribus, quæ obtulerunt, credulitatem omnium gentiū, ac fidei initia dedicauerunt.

D. Greg. lib. 18. mor. c. 34. initio. Aliquando Aethiopiæ nomine specialiter gentilitas designari solet infidelitatis prius nigra peccatis. Dauid ergo propheta videns, quod ad Iudæam redimēdam veniret Dominus; sed ante gentilitas crederet, & postmodū Iudæa sequeretur, sicuti scriptum est, Donec plenitudo gentium introiret, & sic omnis Israel saluus fieret, dicit, Aethiopia præueniet manus eius Deo, idest priusquam Iudæa credat, saluandam se offert omnipotenti Deo peccatis nigra gentilitas.

Rom. 11. 25. 26.

3 *D. Bruno Episc.* Viuet, *inquit*, non ad tempus, vt ceteri Reges, sed in æternum, & in seculum seculi: Et dabitur ei de auro Arabiæ. Hoc in Magis completum est, qui inde venientes aurū, thus, & myrrham Domino obtulerunt.

D. Cyrillus Alex. lib. 4. in Isaiam c. 49. Quod innumeri fuerint

rint vocati, & ex omni parte sub cælo congregati, ostendit dicēs, Ecce è longinquo venient; & hi quidem ab Aquilone, & mari; alij ex terra Persarum. Illud è longinquò videtur indicare partes australes: Aquilo aquilonares: Mare occidentales: regionum horum enim sic mentionem facit Psalmodus, Aquilonem, & mare tu creasti: Illi verò è terra Persarum esse possunt, qui capti, & inescati sunt ad Orientem; versus enim radium solis est Persarum terra. Fortassis etiam Magos intelligere conuenit, qui eum adorarunt; venerunt enim in Iudæam percontantes, & dicentes, Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? nam vidimus stellam eius in oriente, & venimus adorare eum; siquidem adorarunt, & donis honorarunt, thure, inquam, auro, & myrrha. Meminit huius etiam Psalmodus, cum dicitur de omnium nostrum Seruatore Christo, Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ. Arabiam enim hic Persarum regionem nominat.

Is. 49. 12.

Ps. 88. 13.

Mat. 2. 2.

4 *D. Leo PP. serm. 3. de Epiph. cap. 4.* Omnes gentes quascūque fecisti, venient, &c. Quod vtique exinde fieri nouimus, ex quo tres Magos de longinquitate suæ regionis excitatos ad cognoscendum, & adorandum Regem cæli, & terræ stella perduxit.

5 *D. Maximus hom. 2. in Epiph. Domini.* Adorant itaque Magi dominum, & offerunt munera, vt impleretur quod ait ille præcipuus prophetarum: Afferte domino patriæ gentium, afferte domino gloriam, & honorem: Domino, & domino, quod dicit, dominum illum esse secundùm Deum, dominum & secundùm hominem mystico sermone declarat: quod enim Deus, creator est mundi; quod homo est, redemptor est mundi; quomodo ergo non priuilegio vtriusque substantiæ dominus est omnium Christus, qui sibi vniuersa, aut creatione, aut redemptione subegit? Afferte, inquit, domino gloriam, & honorem. Honoris ergo est, carissimi, quod offerunt Gentiles munera; gloriæ, quod adorant. Munera Chaldæi offerunt, & adorant: vnum ab illis defertur vt Regi, aliud exhibetur vt Deo.

6 *D. Bern. aliusue serm. 2. de Natiu. Domini Incipit Exultate fratres habetur to. 2.* Ambulant reges in splendore ortus eius; quoniam ecce Reges terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum: ipsi videntes sic Deum, & hominem nascentem, matrem, & Virginem parientem admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt; tremor apprehendit eos in tantorum luce miraculorum.



PRAE-

Luc. 2. 22. § XIV.

1 *Suscepimus Deus misericordiã tuã in medio templi tui ps. 47. 10.*

1 D. *Bernardus serm. 1. de purificat. ante med.* Suscepit hanc misericordiam Dauid, suscepit Simeon, suscepimus nos, & quicumque sunt præordinati ad vitam; siquidem Christus heri, & hodie, & in æternum.

Mal. 3. 1. *Innoc. III. Serm. 1. in festo Purificat.* Venit dominator dominus ad templum sanctum suum, ad templum materiale, de quo legitur in Euang. quadraginta, & sex annis ædificatum est templũ

Io. 2. 20. hoc, & in psalmo: Suscepimus misericordiam tuam in medio templi tui.

Mat. 2. 12.

ILLVDITVR HERODES A MAGIS.

§. XV.

1 *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum ps. 32. 10.*

1 ORig. *hom. 3. in diuersos.* Sentiens Herodes, quod illusus sit à Magis, deridere volens derisus est, spernendo sanctos spretus remansit, & subdolis cogitationibus fraudis suæ, atque articulis suis superatus, atque confusus expauit. Sentiens quod delusus sit à Magis, delusa est eius animi peruersitas à sancta iustitia, sicut scriptum est, Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum; consilium autem domini manet in æternum, cogitationes cordis eius in generatione, & generationem. Hæc conuenienter vel de Herode, vel de similibus eius dicta à Sanctis prophetis, atque conscripta sunt.

ANNOTATIONES.

1 SErmoni Dauidis Iobi etiam dicta concordant de Deo sic loquentis c. 5. 13. *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia prauorum dissipat.* Id quod pluribus variisque exemplis ostendit, ac probat D. Greg. lib. 6. mor. c. 12. & 13. *Nam à fratribus, inquit, ideo venditus fuerat Ioseph, ne adoraretur; sed ideo est adoratus, quia venditus. Saul cum Dauid quotidiano succrescere virtutum successu conspiceret, suam ei in coniugem filiã spondet, atque in eius dote centum dari ab eo Philistinorum præ-*

pu-

putia petijt, vt, cum prouocatus miles vltra se excrescere quæreret, inimicorum gladijs traditus vitam finiret: verùm cum se Dauid centum dare præputia perhibuisset, ducenta præputia reportauit; sicque Saul vnde succrescentis militis vitam se extinguere credidit, virtutis eius gloriam cumulauit. Prudenter Ionas sapere voluit, cum ad prædicandum Niniuitarum pœnitentiam missus, quia electis gentibus Iudæam deseri timuit, prædicationis officium implere recusauit, nauem petijt, fugere Tharsis elegit; sed protinus tempestas exoritur, sors mittitur, vt videlicet cognoscatur, cuius culpa mare turbetur: Ionas in culpa deprehenditur, in profundum mergitur; ceto sorbente repente deuoratur, atque illic gestante bellua peruenit, quò ire sponte contempsit: Ecce fugitiuum Dei tempestas inuenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit, & quia auctori suo obedire renititur, ad locum, quo missus fuerat, suo reus carcere portatur. Denique cum ad Redemptoris nostri miracula credentium turba confluerct, cum Sacerdotes populi inuidiæ facibus accensi mundum post eum ire cernerent, vt proclamarent dicentes, Videtis, quia nihil proficimus; ecce totus mundus post eum abijt, vt ab Io. 12.19.
illo vim tantæ conuersionis abscinderent, finire eius potentiam morte conati sunt dicentes, expedit, vt vnus moriatur, & ne tota gens Io. 11.50.
pereat. Sed redemptoris mors ad coniunctionem sui corporis, idest Ecclesiæ, valuit, non ad separationem. Persecutores igitur peregerunt hoc, quod perniciosè moliti sunt, intulerunt mortem, vt ab eo abscinderent fidelium deuotionem; sed inde fides creuit, vnde hanc se extinguere infidelium crudelitas credidit. Sic nimirum, sic dissipat Deus cogitationes gentium, & prauorum consilia Principũ, vt scilicet quas aggrediuntur, contra res accidant, quam ipsi opinentur, ac velint. Porro Herodis consilium ex eo dolosum fuisse colligit D. Chrysol. serm. 158. quòd clàm ad se Magos vocarit, à quibus stellæ tempus addisceret: *Occultè*, inquit, *vocat Magos, quia palam nil audet simulata mens, conscientia dolosa.* De sęuitia autem, & dolosa Herodis mente Christi necem in infantium cæde frustra molientis loquens Origenes hom. 3. in diuersos hæc habet, *Misit, & occidit omnes pueros: quare occidit? propterea vt post Magorum illusionem, sicut putabat, puerum inter istorum neces deperderet; sic & antea iniquus fecerat Pharao, qui & ipse vniuersos paruulos in flumine necari mandauit; Moysen enim quærebat occidere, propter quem infantes iussit occidi; etsi ad* Ex. 1. 22.
exercitum suum alia loquebatur; vt ne multitudo cresceret filiorum Israel; ideo debere necari infantes; tamen in corde Moysen maximè interficere cogitabat; ita & iste nunc malignissimus Herodes propter vnius, ad cuius festinabat pueri necem, cunctos ante præmissum ætatis occidit infantes. Sed huius, quemadmodum & il-

lius consilium bellè dissipatum est: *Recolant*, inquit D.Bern.ser. 1. in octaua Paschæ, *quibus nota est historia veteris testamenti, quemadmodum in Aegypto dum paruuli omnes Israelitici germinis necarentur, expositum in aquis Moysen tulerit filia Pharaonis; & vide, si non manifestè Christi, & in hoc ipso videtur praecessisse figura: simili nempe cum Pharaone etiam Herodes suspicione laborans ad eadem conuersus est crudelitatis argumenta: sed eodem modo est & ipse delusus. Vtrobique pro vnius suspecta persona trucidatur numerositas puerorum: vtrobique, qui quærebatur, euadit & quomodo Moysen filia Pharaonis, ita quoque Christum Aegyptus (qua non immerito Pharaonis intelligitur filia) suscepit conseruandum.* Verum in eo quoque Herodis regis consilium reprobatum est quod *volens*, vt ait Leo PP. serm. 2. de Epiph. *primordia suspecti sibi regis extinguere, huic dispensationi nesciens seruiebat, vt, dum atroci intentus facinori ignotum sibi puerum indiscreta infantium cade persequitur, annunciatum cælitus dominatoris ortum insignior vbique fama loqueretur, quam promptiorem ad narrandum, diligentioremque faciebat & superna significationis nouitas, & cruentissimi persecutoris impietas.*

Mat.2.16.

INFANTES PRO CHRISTO OCCIDVNTVR.

§. XVI.

1 *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem ps.8.3.*
2 *Innocentes, & recti adhæserunt mihi ps.24.21.*

1 D. *Bern. serm. in natali SS. Innoc. circa med.* Ceterum hi (Innocentes) sunt planè martyres tui, Deus, vt, in quibus nec homo, nec Angelus meritum inuenit, singularis tuæ prærogatiua gratiæ commendetur: Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem: Gloria in excelsis Deo Angeli dicunt, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: Magna quidem, sed audeo dicere necdum perfecta laus, donec veniat, qui dicat, sinite paruulos venire ad me, quia talium est regnum cælorum; & pax hominibus etiam sine voluntatis vsu, in sacramento pietatis.

Matt. 19. 14.

D. Chrysost. hom. 2. ex varijs in Matt. locis. De quibus & Dauid significare monstrauit, cum dicit, ex ore infantium, &c. In hac enim persecutione infantes adhuc paruuli, & lactentes pro Christo occiduntur, & perfectæ laudis martyrium consequuntur. Rex impius Herodes destruitur, qui aduersus Regem cælorum regnum sibi defendere vsurpabat.

2 *D. Fulgentius serm. de Epiph. domini, & Innocentibus.* Videbam

bam dominum amicos sibi deligentem, Innocentes ad se vocantè, vt sit innocens amicus, sicut est innocens dominus, agnus immaculatus, qui tulit peccatum mundi, & facti sunt ei Innocentes amici, sicut scriptum est, Innocentes & recti adhæserunt mihi, quia sustinui te domine. Sustinuit fugiens in Aegyptum, & fecit sibi amicos legiones infantium, quibus dedit sine dolore martyrium; quia & dolebant matres, & nescientes lætabantur infantes. *Et infra*: Inter matrum planctus, & filiorum vlulatus in fuga erat dominus: Spiculatores percutiebant; matres sepeliebant; & Angeli spiritum suscipiebant; & Christus dicebat, Innocentes, & recti adhæserunt mihi.

ANNOTATIONES.

1 SI infantes eos dicimus, qui fari nesciunt, qua demum ratione ex ore infantium perfecta laus est? At non sola voce laudatur Deus, verùm testimonio etiam fidei: Certè recens nati Redemptoris præconium Innocentes non loquendo, sed moriendo confessi sunt, quod nondum poterant sermone, passione testimonium perhibentes: habet enim & vocem suam sanguis; nec vnum illorum os; tot singulis fuerunt ora, quot vulnera. Forte etiam suspirantium, & gementium ore parentum locuti sunt, quarum inter lamentationes, & vlulatus oblatio filiorum transibat ad cælum. Audiatur vel matris vnius eiulatus ex Theophane Cerameo hom. 52. *Videbatur enim*, inquit, *mulier hoc fere modo flebiliter lamentari. O infelix puer infelicioris matris, ignorabas igitur te gladio, atque acerba morti progigni! O vterus frustra fœcundus! O scilicet inuidenda fœcunditas, qua gaudij paululum, molestiæ misera mihi plurimum attulisti! ò tenera membra, & lingua dulcè balbutiens; nunc verò, heu! in perpetuum obmutescens! O dextera iniqua, quæ gladio armata non ante matrem, quam te ò puelle, interemit! Expergiscere, fili, viscera mea, excute profundum hunc somnum, quem tibi immitis satelles immisit: conijce te in vlnas miseræ genitricis; prehende mammam olim tibi cupitã; suauiter matri, ac de more subride; sed non id permittit imperium crudele tyranni. Hac loqui verisimile erat, & forsan illa Niobes, & Alcestidis adiungebat: Nequaquam igitur te, Nate, educaui; frustra me fatigaui, & laboribus fregi: inuideo mulierum conditionem nuptiarum, & prolis expertium, præstat enim non parere, quam parere ad lacrymas*. Legi etiam potest D. Aug. serm. 1. de Innoc. & D. Fulgentius serm. de Epiph. Domini, & Innocentibus. Heb. 12. 24.

Io. 1.6. PRAECVRSOR IOANNES TESTIMONIVM PERHIBET DE CHRISTO.

§. XVII.

1. *Paraui lucernam Christo meo. ps. 131. 17.*

1 D. *Ambr. serm. 16. post med.* Istum mundi solem, priusquã oritur, adhuc ante lucem propter necessarios vsus hominum solet lucerna præcedere. Habet autem & Christus sol lucernam suam, quæ eius ortum præcessit, sicut dicit propheta, Paraui lucernam Christo meo: quæ autem ista lucerna sit, ostendit Dominus dicens de Ioanne Baptista, ille erat lucerna ardens: ipse autem Ioannes vt præcedens lucernæ lumen exiguum ait, Ecce venit post me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius; ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igni: simul etiam intelligens lumen suum solis radijs offuscandum ante prædixit, illum oportet crescere, me autem minui: sicut enim lucernæ claritas destruitur solis aduentu, ita & Ioannis pænitentiæ baptismum, superueniente Christi gratia, vacuatum est.

Io. 1. 27. & 30. & Matt. 3. 11.

Io. 3.30.

D. *Augus. tract. 22. in Ioannem.* Nullumne testimonium perhibuit Ioannes? perhibuit planè, sed tamquam lucerna, non ad sociandos amicos, sed ad confundendos inimicos: iam enim antea prædictum erat à Persona Patris, Paraui lucernam Christo meo, inimicos eius induam confusione; super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Idem Aug. serm. 43. de verb. domini initio. Quæsitus est Ioannes, qui testimonium perhiberet veritati, & audistis quid ait. Vos venistis ad Ioannem, ille erat lucerna ardens, & lucens, & vos voluistis exultare ad horam in lumine eius. Lucerna ista ad confusionem eorum parata est, quia de hoc dictum est ante tantũ tempus in psalmis, Paraui lucernam Christo meo. Vt quid lucerna soli? vt inimicos eius induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. Denique hinc sunt confusi quodam loco per ipsum Ioannem, quando dixerunt domino Iudæi, In qua potestate ista facis? dic nobis: quibus respondit, Dicite mihi & vos, Baptisma Ioannis de cælo est, an ex hominibus? Audierunt, & tacuerunt; cogitauerunt enim apud se citò: si dixerimus ab hominibus lapidabit nos populus, quia prophetam habẽt Ioannem: si dixerimus de cælo, dicturus est nobis, quare ergo non credidistis ei? quia Ioannes perhibebat Christo testimonium: angustati in cordibus suis, quæstionibus suis, & illaqueati laqueis

Io. 5. 35.

Matt. 21. 23.

queis suis responderunt, nescimus: quæ potuit alia vox esse tenebrarum? Rectum est quidem homini, vt, quando nescit, dicat, Nescio; quando autem scit, & dicit, nescio, testis est contra se. Vtique nouerant excellentiam Ioannis, & quia de cælo erat baptismum eius, sed nolebant acquiescere, cui testimonium perhibuit Ioannes. At vbi dixerunt, nescimus respondit eis Iesus, nec ego dicam vobis, in qua potestate ista facio: Et confusi sunt, & impletum est, Paraui lucernam Christo meo, vt inimicos eius induam confusione.

D. Bruno Episc. Illuc producam cornu David, paraui lucernam Christo meo: Illuc enim idest ad Sion, & ad Ecclesiam, produxit Dominus, & ante omnes alios prædicatores, præmisit cornu Dauid, idest Ioannem Baptistam præcursorem filij sui, qui seipsum cornu esse ostendens ait Ego vox clamantis in deserto, parate viā domini: & ipse quidem est, quem dominus parauit lucernam Christo suo, sicut scriptum est, Erat enim Ioannes lucerna lucens & ardens; sed non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. *Is.* 40. 3. *Io.* 5. 35. *Io.* 1. 8.

D. Hieron. Ioannes Baptista, siue præcursor domini, & Saluatoris nostri, à Deo Patre dicitur præparata lucerna, qui eum in huius mundi tenebris venturum annunciauit; sic enim & ipse dominus vocauit eum dicens, ille erat lucerna ardens, & lucens. *Io.* 5.35.

D. Laur. Iustin. serm. in nat. Io. Baptistæ. Lucernam sibi parauit non ad lucem, neque ad solatium, sed testimonium, suique aduentus præsagium, atque diuinitatis indicium: Paraui, inquit Pater per prophetam, lucernam Christo meo: lucernæ huius vis habere notitiam? Dominum Christum de Ioanne Baptista referantem obserua, ille, ait, erat lucerna ardens, & lucens: & Ioannes Euangelista inquit de eodem, Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, videlicet Christo. Lucerna Ioannes esse dicitur ob suam præcipuam humilitatem, suique contemptum: cum enim tantæ esset virtutis, vt à populis Christus crederetur, confessus est Christum, & se minimè negauit, quis esset, Qui post me, inquit, venit, ante me factus est, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti. *Io.* 1. 7. *Io.* 1. 27.

Tertull. adu. Iudæos c. 9. Ioannes non tantum Angelus Christi vocatus est, sed & lucerna lucens ante Christum, Paraui enim, inquit, lucernam Christo meo Dauid prædicat. Quare ipse Christus veniens adimplere prophetas dicit ad Iudæos, ille fuit, inquit lucerna ardens, & lucens, vtpote qui non tantum vias eius parabat in heremo, sed & agnum Dei demonstrando illuminabat mentes hominum præconio suo, vt eum esse intelligerent agnum, quem Moyses passurum nominabat. *Io.* 5. 35.

AN-

QVi sensum secundum literam persecuntur, lucernam hic iuxta phrasim hebraicam splendidam posteritatē intelligūt, quæ scilicet virtute sua, & gloria, tamquam lampas, patris nomen, totamque familiam illustrat. Allegoricè autem plerique cum D. Augustino, D. Hieronymo, alijsque Patribus lucernam hanc Ioannem Baptistam esse dicunt: Lucerna siquidem non ipsa sanè lux, sed vas lucis est; itidem Ioannes non lux fuit,
Io. 1. 8. sed vas quoddam lucis, in quo, tamquam de se testimonium perhibente, terris Christus illuxit: vnde de ipso legitur, non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. *Hanc lucernam,* inquit Albertus M. *parauit Dominus, testam fabricando in Ioannis conceptione, candelam non accensam interponendo in animæ infusione, accendendo in Ioannis sanctificatione, de secreto educendo in ipsius natiuitate, super candelabrum ponendo in officij prædicandi executione.* Denique de eodem Ioanne Baptista Christus ipse,
Io. 5. 35. ille erat lucerna ardens, & lucens: quem locum afferens D. Bern. serm. de Natiu. eiusdem multa docet, quæ hic strictim, & compendiosè subijcio. Ait enim primo, vanum esse lucere tantùm; parum verò tantùm ardere; ardere autem simul & lucere perfectum. Secundo Ardens dictus est Ioannes, & lucens, non contra lucens & ardens, vt ex feruore splendor, non feruor prodeat ex splendore: qui enim non eò lucent, quia feruent, sed magis feruent, vt luceant, hi nimirum non feruent caritatis spiritu, sed studio vanitatis. Tertiò ardens fuit Ioanues tum in seipso, vehementi scilicet austeritate vitæ; de ipso enim dominus Iesus, venit Ioannes neque manducans, neque bibens: tum erga Christū
Matt. 11. 18. feruentissima deuotione; inde enim exultauit in vtero, inde expauit in Iordane. tum denique aduersus incestuosum regem tota
Mat. 6. 18. eum libertate spiritus arguendo, Non licet tibi habere vxorem fratris tui.

Matt. 3. *Luc.* 3. *Mar.* 1.

BAPTIZATVR IN IORDANE, ET VOX PATRIS DE NVBE TESTIMONIVM DE FILIO PERHIBENTIS AVDITVR.

§. XVIII.

1 *Vox domini super aquas, Deus maiestatis intonuit ps.* 28. 3.
2 *Filius meus es tu; ego hodie genui te ps.* 2. 7.

D. Ba-

D. *Basilius in schol. ad ps.28.* Prædicit hoc oraculum vocem illam cælitus ad Iordanem delapsam: vocauit autem eam tonitru propterea quod per Euangelij prædicationem in vniuersum orbem excurrit.

Idem Basil. in expl. eiusdem psalmi. Forsan & secretiore modo Vox domini super aquas erat, quando Baptizato facta est supernè vox, Hic est filius meus dilectus: tunc enim dominus super aquas erat multas, eas per baptismum sanctificans: Deus autem gloriæ magnificentia testimonij supernè intonuit.

D. Chrysol. serm. 160. Hodie Christus Iordanis alueum mundi peccatum lauaturus intrauit; ad hoc enim venisse Ioannes ipse testatur, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hodie seruus dominum, homo Deum, Ioannes Christum tenet, accepturus veniam, non daturus: Hodie, sicut ait propheta, Vox domini super aquas: quæ vox? Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: Hodie vox Dei super aquas, quia Pater Deus vt probaret generis fidem; ipse sui testis filij, ipse assertor assistit, Hic est filius meus dilectus, quia alterum, qui testimonium diceret, non habebat; arcanum Patris arbitrum non habebat, testem generatio nescit diuina; diuinitas externam non excipit notionē, ipso filio dicente, Nemo nouit filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi filius. Hodie Spiritus S. supernatat aquis in specie columbæ, vt, sicut illa columba Noe nunciauerat diluuium discessisse mundi; ita ista indice nosceretur perpetuum mundi cessasse naufragium: neque sicut illa à veteris oliuæ surculum portaret, sed totam in caput parentis noui chrismatis pinguedinem fundit, vt impleat illud, quod propheta prædixit Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Hodie dominus super aquas: benè super aquas, & non subtus aquas, quia Christus baptismati suo non seruit, sed imperat sacramentis. Hodie Deus manifeste intonuit; Et si Pater de cælo intonat, si Filius Iordanis insistat fluentis; si Spiritus S. corporaliter apparet de supernis, quid est, quod Iordanis, qui fugit ad præsentiā legalis Arcæ, ad totius Trinitatis præsentiam non refugit? quid est? quia pietati obsequitur, incipit non esse timori: hic Trinitas exercet gratiam, totam secum loquitur caritatem; ibi elementa corripit, vt seruulos instituat ad timorem.

Io. 1.29. · *Mat. 11.27.* · *ps.44.8.*

D. Chromatius Aquileiensis Episc. in fragmento ad illud Matt. 3.4. Ego à te debeo baptizari, &c. post med. habetur to. 2 bibl. PP. Vt in Domini corporea natiuitate, ita quoque in baptismo eius omnia admiratione digna, & maiestati eius congrua paruerunt; Cæli igitur, de aquis ascendente Domino post baptismum, patuerunt; S. Spiritus in habitu columbæ specie corporali descendit

dit testimonium Patris super filium deferens; vox etiam Patris statim de cælis auditur, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Cuius sacræ vocis auditum super aquas Dauid quoque ante prænunciauerat dicendo, Vox domini super aquas Deus maiestatis intonuit: in hoc vtique, in quo, vox paternæ maiestatis testimonium filio perhibens, quasi quoddam tonitru sonuit.

D. Gregorius Nyssenus orat. de sancto baptismate. Diuinus Dauid etiam vocem prædicens, quam de cælis Pater super filium, dũ baptizaretur, emisit, vt ad naturalem Deitatis dignitatem deduceret audientes, qui prius ad eam, quæ sub sensum cadebat, humanam vilitatem respiciebant, libro psalmorum suo dictum illud inscripsit: Vox domini super aquas, vox domini in magnificẽtia.

2 *Tertull. lib. 4. aduer. Marcionem c. 22.* Nec nunc muta nubes fuit, sed vox solita de cælo, & Patris nouum testimonium super filio, atque in secundo psalmo Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Pulchrè nec mutam nubem, & solitam uocem dixit, quia eadem vox, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, semel è nube audita est, cum Christus dominus baptizaretur in Iordane, iterum, cum transfiguraretur in monte.*

AQVAS SVI ABLVTIONE SANCTIFICAT, ET BAPTISMI SACRAMENTVM INSTITVIT.

§. XIX.

1 *Iordanis conuersus est retrorsum ps. 113. 3.*
2 *Super aquam refectionis educauit me ps. 22. 2.*
3 *Qui fundauit terram super aquas ps. 133. 6.*

1 D. *Ambros. serm. 21. prope finem.* In Iordane baptizatus est dominus: Multa mirabilia in hoc flumine sæpius facta esse scriptura commemorat, inter cetera dicens, Et Iordanis
ps. 113. 3. conuersus est retrorsum. Puto autem esse mirabilius, quod domino Iesu Christo ibi posito factum est. Ante enim retrorsum aquæ conuersę fuerant, modo retrorsum peccata conuersa sunt: & sicut tunc impetus fluminis alueum sui cursus perdidit, ita & nunc impetus peccatorum dominium sui erroris amisit: quod quidem in propheta Helia iam illo in tempore factum puto; sicut
4. Reg. 2. 8 enim Helias in Iordane diuisionem fecit vndarum, ita, & spiritus Domini in eodem Iordane separationem operatus est peccatorum; & sicut sub Helia fluctus primordia fontium, de quibus exierant, petiuerunt, ita & sub Christo Domino homines ad originis suæ infan-

infantiam, de qua fuerant exorti, sunt reuersi.

Idem Ambr. serm. 23. circa med. Quadraginta & duorum dierum numero Israel populus peruenit ad fluenta Iordanis, eodémque dierum circulo Christianus populus peruenit ad fluenta baptismatis; & sicut ait propheta, Iordanis conuersus est retrorsum: illic introeunte Israelita in aquam fluminis, vnda superfugit; *Ps. 113. 3.* hic descendente in fontem Christiano, criminum peccata diffugiunt: & mirum in modum illic retrorsum conuersus fluuius in originem suam reuertitur; hic in posterum reuocatus homo in originis suæ infantiam reparatur: ibi fontem suum, de quo egressa fuerat, vnda petiuit; hic hominem suum, à quo exierat, innocentia recognoscit: ibi exinanitur alueus fluctibus; hic euacuantur corda criminibus: ibi, vt seruos Dei illic aqua cœnosa non madidet; hic famulos Dei cōscientia terrena nō persuat: Iordanis enim quidam fons est lauacri, per quem qui transierit, relictis sordibus, paradisum repromissionis ingreditur.

2 *Albertus Magnus* Aquam refectionis vocat aquam baptismatis, quasi iteratæ factionis; quia primò factum corporaliter per naturam, postea fit iterum per aquam baptismalem spiritualiter, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu S. non introibit *Io. 3. 5.* in regnum cælorum.

D. August. Super aquam refectionis, super aquam baptismi, quo reficiuntur, qui integritatem, viresque amiserant, educauit me.

D. Bruno Carth. Super aquam refectionis, &c. idest super aquam baptismatis fundatum educauit me, idest enutriuit lacte doctrinæ. Merito autem aqua baptismatis aqua refectionis dicitur; quia per eam iustitia, & innocentia nostra, quæ defecit in Adam, reficitur.

D. Chrysost. Super aquam refectionis educauit me. Magna ista aqua, & aqua catholica, in qua ostenditur fons æternus, qui reficit, idest iterum facit, quomodo generatio, & regeneratio reficit animas; quia innouat in fide, abluit sordes, tollit maculas, rudem facit aptum, expolians veterem hominem cum actibus suis, induens nouum eum, qui secundum Deum creatus est. Hæc aqua primatum tenet in elementis; sed cum istud elementum acceperit Spiritum S. fit sacramentum, & iam non erit aqua potationis, sed sanctificationis; non erit aqua communis, sed refectionis.

D. Hieron. Super aquam refectionis abluendo per baptismum me enutriuit.

Hugo Card. Super aquam refectionis, idest baptismum, educauit me spiritualiter. Et dicitur baptismus aqua, quia ad literam in

in aqua fit; sed aqua refectionis duobus modis: quia reficere est reformare; & reficere est satiare: Baptismus reficit, idest reformat in homine similitudinem Dei, quam diabolus deformauerat per peccatum; iterum baptismus reficit, idest satiat, quia in baptismo datur Spiritus S. qui replet, & satiat.

3 *D. Aug. lib. 2. de Gen. ad literam c. 1.* Qui fundauit terram, &c. Illud namque in psalmis figuratè dictum rectè accipi potest, vt quoniam cœli, & terræ nomine sæpe in Ecclesia spirituales carnalesque significantur, cœlos ostenderit pertinere ad serenā intelligentiam veritatis dicens Qui fecit cœlos in intellectu; terram verò ad fidem simplicem paruulorum non fabulosis opinionibus incertam, atque fallacem, sed prophetica, & Euangelica prædicatione firmissimam, quæ per baptismum solidatur; & ideo subiecerit dicens; Fundauit terram super aquam.

D. Bruno Carth. Fundauit terram super aquas baptismatis, quæ
Io. 3. 5. fundamentum, & initium sunt virtutum; nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu S. non potest introire in regnum Dei.

D. Hieron. Qui firmauit terram super aquas: Licet dicatur, terra super aquas pendere, hoc est inani pondere; tamen terram nostram fundauit, & firmauit in baptismate. Non dixit, sustollit, aut exaltauit, aut in cœlos fecit ascendere; baptisma enim peccata dimittit, & quasi de carcere liberat; regna autem cœlorum non potest donare; si non enim aliquis per opera, & fidem intrauerit, non potest securus esse.

Hugo Card. Firmauit terram super aquas baptismi, idest super fidem, quæ datur in baptismo, quæ est fundamentum, super quod Ecclesia est fundata: supra psalmo 23. 1. Domini est terra, & plenitudo eius, &c. quia ipse super maria fundauit eam. Dicitur autem Ecclesia terra primo propter stabilitatem, Qui fundasti te-
ps. 103. 5. ram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi.
Io. 4. 2. Secundo propter fertilitatem, Erit fructus terræ sublimis; & quāto plus teritur, tanto plus fertilis efficitur: filij Israel quanto
Exo. 1. 12. plus opprimebantur, tanto plus crescebant, & multiplicabantur: *aliasque ob causas, quas ibidem recenset.*

ANNOTATIONES.

MIrum non sit, aquam dici reficientem; aliqui enim pisces ex sola nutriuntur aqua; Porrò homines piscibus comparari satis compertum est ex Abacuc c. 1. 14. Vbi dicitur, Et facies homines, sicut pisces maris. Pulchrè Tertull. lib. de bapt. c. 1. *Nos, inquit, pisciculi in aqua nascimur; nec aliter, quam in aqua permanendo, salui sumus*, significans, quod sicut vitam à bap-

à baptiſmi aquis accipimus, ita in aquis pænitentiæ vitam poſt baptiſmum amiſſam recuperare, ac conſeruare debemus.

TENTATVR IN DESERTO, VICTORQVE A CONGRESSV CVM TENTATORE IAM ILLVSO DISCEDIT.

Matt. 4. Mar. 1. Luc. 4.

§. XX.

1 *Operui in ieiunio animam meam, & factum eſt in opprobrium mihi pſ. 68. 11.*

2 *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei pſ. 103. 27.*

1 D. *Hieron.* Opprobrium enim ei inferre conabantur, cum tentans eum Satanas ait, Dic vt lapides iſti panes fiant, vel quando dixerunt diſcipuli, Rabbi manduca. Et in alio loco, Operamini cibum, qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Sed eſuriebat Chriſtus ſalutem humani generis; vel eſuriebat fidem Eccleſiæ, quia nullum cibum à Iudæis inueniebat. Matt. 4. 3. Io 4. 31. Io. 6. 27.

D. Hilarius. Operui in ieiunio animam meam, & factum eſt mihi in opprobrium, quia per eſuriendi opprobrium vſque ad adorandi Satanæ contumeliam tentatus eſt.

2 *D. Chryſoſt. hom. 5. ex varijs in Matth. locis.* Tentationes igitur Dominus ab inimico ſuſtinuit, vt homini quidem victoriā reportaret, diabolum verò illuderet ſecundum quod & Dauid ante prænunciauit dicens, Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei: & iterum, Et humiliabit calumniatorem: Et iterum Tu confregiſti caput draconis per aquam. Hunc draconem in hac tentatione illudi, & decipi dominus in libro Iob ante teſtatus eſt dicens, Adduces autem draconem in hamo. Et videamus, cur in hamo dicatur adductus; ſicut in hamo eſcæ præda poſita piſces illudimus, & decipimus, qui videntes eſcam hamum non conſiderant, & dum auidi prædam volunt rapere, hamo capiuntur; ſic & diabolo contigit; dum tantùm corpus hominis in filio Dei conſiderat, & Deum in corpore non agnoſcit, quaſi ad præparatam ſibi prædam ſolita rapina feſtinat: ſed dum vult auidus prædam rapere, ipſe draco, vt piſcis adductus in hamo, præda domini captus efficitur. pſ 71. 4. pſ. 73. 13. Iob. 40. 20

ANNOTATIONES.

2 NOn eas tantùm in deſerto tentationes ſuſtinuit dominus Ieſus à dæmone, quem probè illuſum iuxta vaticiniū

Dauidis cum D. Chrysost. considerauimus; sed aliam quoque in Caluariæ monte longe grauiorem est passus: signanter enim dixit D. Lucas, *consumata omni tentatione diabolum ab illo recessisse vsque ad tempus* significans animum tentatori fuisse instaurandi prælium, viribusque à triplici illo congressu resumptis, maiore iterum cum impetu in eumdem insurgendi, vt bene aduertit D. Hieron. lib. 2. adu. Iouin. dicens, *Filium Dei tentare ausus est, & prima eius & secunda sententia repercussus, nihilominus caput leuat, & tertiò vulneratus vsque ad tempus recedit, differens magis tentationem, quam auferens*, & D. Chrysost. in expos ps. 2. vbi ait, *Scriptum est ab ipso ad tempus abscessisse obseruantem tēpus Crucis: quando ergo venit tempus passionis; tunc Reges, & Principes, dæmones, & mali principes cum Herode, & Pilato conuenere aduersus Christum*: Verum hoc quoque passionis ipsius tempore illusum deceptumque dæmonem adducta eadem piscis similitudine docent D. Cyprianus, & D. Gregorius. Nam Cypr. in symb. ad illa verba Passus sub Pontio Pilato *Sacramentum*, inquit, *illud susceptæ carnis hanc habet causam, vt diuina filij Dei virtus, velut hamus quidam habitu humanæ carnis obtectus principem mundi inuitare possit ad agonem, cui ipse carnem suam, velut escam, tradidit, vt hamo eum diuinitatis intrinsecus teneret insertum: Sicut ergo hamum esca conseptum piscis si rapiat, non solum escam cum hamo non remouet, sed & ipse de profundo esca alijs factus educitur; ita & is, qui habebat mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus Iesu sentiens in eo hamum diuinitatis inclusum; sed vbi deuorauit, hæsit ipse continuò, & disruptis inferni claustris, velut de profundo extractus est, vt esca ceteris fiat*. Fortasse postremis hisce verbis alludit ad illud psalmi. *Tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Aethiopum*: Iusta siquidem, & digna satis retributio, vt quemadmodum ille homines deuorat, &, vt loquitur Iob, *fluuium absorbet* hoc est humanum genus ad ima cursu mortalitatis defluens *fiduciamque habet quod etiam Iordanis*, hoc est electus, *in os suum influat*, quemadmodum interpretatur Greg. lib. 33. moral. c. 7. ita vicissim deuoretur ipse, & in escam cedat populis Aethiopum, hoc est Gentilibus, vel etiam iniustis fidelibus prius per infidelitatem, vel peccata nigris, horridisque; dein vocatis ad fidem, vel ad statum gratiæ, bonamque frugem redeuntibus; quatenus ad Deum iam conuersi alios exemplo suo inuitent ad veniam, vel in corpus Ecclesiæ, cuius sunt dentes, trahant, sibique vniant: atque hoc modo deuoretur consumaturque diabolus in membris suis, ijs scilicet amissis, qui in ipsius iamdudum potestate erant: id quod multo ante præfiguratum legimus tum in cinere vituli cō-

Luc. 4. 13.

ps. 73. 14.

Iob. 40. 18

minu-

minuti epoto, tum in bestijs, etiam immundis. Apostolorum Ex.32.20.
Principi ad mactandū,& ad māducandum oblatis. D. etiam Greg. Act. 10.
eodem, quo piscis, modo illusum diabolum docet. lib. 33. mor. 13.
c. 12. in illud Iobi, *An extrahere poteris Leuiathan hamo?* quo Iob.40.20.
nomine diabolum notari existimat: *Leuiathan quippe, vt ipse ait, additamentum eorum dicitur, ipse autem primo homini persuasione callida diuinitatem additurum se perhibuit, sed immortalitatem abstulit: additamentum ergo hominum per irrisionem dici potuit, quibus dum hoc quod non erant se addere spopondit, etiam hoc quod erant fallendo subtraxit:* Et statim subdit: *Sed Leuiathan iste hamo captus est, quia in Redemptore nostro, dum per satellites suos escam corporis momordit, diuinitatis illum aculeus perforauit: quasi hamus quippe fauces glutientis tenuit, dum in illo, & esca carnis patuit, quam deuorator appeteret; & diuinitas passionis tempore latuit, qua necaret. In hac quippe aquarum abysso, idest in hac immensitate generis humani, ad omnium mortem inhians, vitam pene omnium vorans, huc illucque aperto ore cetus iste ferebatur, sed ad mortem ceti istius hamus in hac aquarum profunditate caliginosa linea mira est dispensatione suspensus. Huius hami linea illa est per euangelium antiquorum Patrum propago memorata: nā cum dicitur Abraham Isaac, Isaac genuit Iacob: cumque successores interposito Ioseph nomine vsque ad Mariam Virginem desponsatam describuntur, quasi quedam linea torquetur, in cuius extremo Incarnatus dominus, idest hamus iste ligaretur, quem in his aquis humani generis dependentem aperto ore iste cetus appeteret, sed eo per satellitum suorum saeuitiam morso, mordendi vires vlterius non haberet. Ne ergo ipse humanis moribus cetus insidians, quos vellet, vltra deuoraret, hamus hic raptoris fauces tenuit, & sese mordentem momordit.* Similia habet lib. 33. mor. c. 10. & hom. 25. in Euang.

Mat.1.2.

Ad hæc D. Ambros. in expos. ps. 40. ad illa verba *Vniuersū stratum eius versasti in infirmitate eius* eumdem dæmonem illusum victumque tamquam luctatorem in spirituali palæstra considerat. *Habent hoc luctatores*, inquit, *vt se subijciant ijs, quibus congrediuntur, atque luctantur, vt opprimi posse videantur; & subito cum existimantur elidi, quadam arte se versant, vt effundant superiorem: cadit qui portabatur, & is, qui portabat, superior inuenitur, vt sternat vrgentem. Spirituali itaque palestrā Dominus Iesus onera nostra suscipiens in illa se passionis sua congressione subiecit, & infirmitatis specie vt eum aduersarius hominem parem ceteris indicaret, quem facile posset opprimere, diuinitatis arma deposuit, humanitatis tegmen assumpsit, & in illa morte, in illa sui corporis sepultura cum existimaretur oppressus, elisus sua se virtute*

tute versauit : cecidit aduersarius, dominus resurrexit.

Denique alio etiam modo eumdem dæmonem à Christo domino illusum accipe ex Ruperto lib. 12. de victoria Verbi Dei cap. 10. *Verum*, inquit, *cecinit Psalmista, Draco iste quem formasti ad illudendum ei, & ipse Dominus ad B. Iob de illo dicit, Numquid*
Iob.40.24 *illudes ei, quasi aui? Item Ecce spes eius frustrabitur eum: vere il-*
Ibid. 28. *lusus est; & frustrata est eum spes eius, quia nunquam moriendo Christus deuorandus erat, aut deuoratus est; imo per mortem eius effectum est, nec nisi per mortem illam fieri oportebat, vt iret in dispersionem gentium, & doceret gentes. Consideremus sacramenta, per quæ in ipso secundum promissiones benedicenda erant, & benedicentur omnes gentes, & in draconem istum ad laudem Dei, qui eum ad illudendum formauit, mirari poterimus magnitudinem illusionis; quia dum auersari cupit, famulatur proposito Dei, dum deuorare se putat talem beatæ mulieris filium, valde proficuum cõsilio eius præstat obsequium.* Accipe etiam ex D. Greg. lib. 33. mor. cap. 21. *Numquid illudis ei quasi aui? Quippe quasi aui dominus illusit, dum ei in passione vnigeniti filij sui ostendit escam, sed laqueum abscondit: vidit enim, quod ore perciperet; sed non vidit, quod gutture teneret: nam quamuis eum fuerat ipse confessus filiũ Dei, velut purum tamen illum hominem mori credidit, ad cuius mortem Iudæorum persequentium animos concitauit; sed in ipso traditionis eius tempore tarde iam cognouisse intelligitur, quod ipse eius morte puniretur: Vnde & Pilati coniugem somnis terruit, vt*
Matt. 27. 19. *vir illius à iusti persecutione cessaret; sed res interna dispensatione disposita nulla valuit machinatione refragari. Expediebat namque vt peccatorum mortem iustè morientium solueret mors iusti iniustè morientis.*

Matt.4. Mar. 1. Luc.9.

PISCATORES AD SE VOCAT, VT APOSTOLORVM MVNERE FVNGANTVR.

§. XXI.

1 *Qui descendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera domini, &c. ps. 106. 23.*

1 THeophanes Cerameus hom. 22. Videns porrò filios Zebedæi descendentes mare in nauibus, vt illud Dauidis v-
Mat.4.21. surpem, facientes operationem in aquis multis, ait illis, sequimini me.

Rupertus lib. 3. in libros Regum c. 30. Misit viros nauticos, & gnaros maris, de quibus scriptum est in psalmo, qui descendũt ma-

mare in nauibus facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera domini, & mirabilia eius in profundo: Misit, inquã, Apostolos suos, & cepit eos, & adduxit eos, & ecce praeclara talium ingenia proficiunt Verbo Dei sanctas explanando scripturas, & pro fide certando seruiunt magno Regi.

DOCET HOMINES, ET PLERVMQVE SEDENS, VIAM SALVTIS. *Luc. 19.*

§. XXII.

1 *Annunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine, tu scisti ps. 39. 11.*
2 *Tu cognouisti sessionem meam ps. 138. 2.*
3 *Aperiam os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. ps. 77. 2.*

1 D. *Chrysost.* In ecclesia magna: Non eam, quam diruit, sed hanc magnam appellat, non solum vt quae sit maior multitudine (extensa est enim per omnem orbem terrarum) sed etiam vt quae maiora suscipiat mysteria: non solum enim legem, & prophetas, quos illa, sed etiam Euangeliorum accepit latitudinem. In hac Christus iustitiam, primùm quidem seipsum annũciat, deinde praecepta, quae dedit, quae etiam iure dicuntur iustitia; summa enim iustitia fuit in ipsis praedicata. Ecce labia mea non prohibebo. Non prohibet enim suam à nobis doctrinam, licet nos ea simus indigni; quin etiam cum muliere Samaritana, & cũ multis alijs peccatoribus disserebat. Domine tu scisti iustitiam tuam: Verè Christus est Patris iustitia, qui verè, & propriè ab eo cognoscitur; quemadmodum enim nemo cognoscit Patrem nisi filius, ita etiam nemo filium, nisi Pater. Non abscondi in corde meo veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Veritas Patris non solum dicitur Filius, sed etiam S. Spiritus; testatur autem id saepe dominus dicens, Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt sit vobiscum in seculum, spiritum veritatis. Idẽ est etiam salutaris; in ipso enim nostra salus merito nominatur: Hoc non celauit Christus, sed dixit, & declarauit Apostolis, per eius praesentiam seruari Ecclesiam; quando dixit eis, quoniã haec locutus sum vobis tristitia impleuit corda vestra: sed ego veritatem dico vobis. Vide, quomodo non celat veritatem, sed eam eloquitur: quaenam autem ea sit, subiunxit in ijs, quae consequuntur, Expedit vobis, vt ego vadam, si enim ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos, non diuidens gloriam Trinitatis,

Matt. 11. 27. *Io. 14. 16.* *Io. 16. 6.* *Ibid. 7.*

tis, sed ostendens, quod nullo modo seruari possumus, si Patrem solum, vel Filium adoremus, sed per solam adorationem, & cōfessionem Trinitatis.

2 *D. Bernard: serm. 1. in festo omnium Sanctorum ante med.* Et cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli eius; Cum sedisset, *inquit*, alioquin quis ad excelsum illum gigantem posset accedere? benignissime prorsus inclinauit se, & exinaniuit vsque ad sessioné vt dicat Patri, Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectioné meam; sedit enim vt ad eum, quem ne ipsi quidem Angeli stantem attingere poterant, etiam publicani, & peccatores accedant: Accedat Maria Magdalene, accedat & latro de cruce. Et cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli eius, non tam incessu pedum, quam affectu cordis, & imitatione virtutum.

Mat. 5. 2. 3 *Idem Bern. loco prox. cit.* Aperiens os suum docebat eos dicens Beati pauperes spiritu: verè apertum est os eius, in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ sunt reconditi. Et vere e-
Ap. 21. 5. ius hæc doctrina, qui in apocalypsi loquitur Ecce noua facio omnia, qui per prophetam ante prædixerat, Aperiam os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi: quid enim tam absconditum, quam paupertatem esse beatam? Attamen veritas loquitur, quæ nec falli, nec fallere potest; & ipsa est, quæ dicit, Quoniam beati pauperes spiritu. Sic vos insensati filij Adam diuitias quæritis, diuitias desideratis vsque adhuc, cum iam beatitudo pauperum diuinitus commendata, prædicata mundo, credita sit ab hominibus? Quærat eas paganus, qui sine Deo viuit: quærat Iudæus, qui terrenas promissiones accepit. Sed qua fronte magis, aut qua mente Christianus diuitias quærit, postquam Christus beatos esse pauperes prædicauit? Quousque filij alieni, quousque vanitatem loquetur os vestrum, vt beatum dicatis populum,
ps. 143 15. cui hæc sunt, hæc visibilia, hæc præsentia, cum filius Dei os suū
Luc. 6. 24. aperiens locutus sit veritatem, beatos esse pauperes, & væ diuitibus?

VTITVR PARABOLIS IN DOCENDO.

Matt. 13. 34.

§. XXIII.

1 *Aperiam in parabolis os meum ps. 77. 2.*

1 **H**Oc *Dauidis vaticinium affert S. Matthæus dicens*. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur quod dictum erat per prophetam dicentem, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abs-

abſcondita à conſtitutione mundi. *Notat autem ad hunc Matthæi locum D. Hieronymus, moris id fuiſſe, & maximè Palæſtinis, ad omnem ſermonem ſuum parabolas iungere, vt quod per ſimplex præceptum teneri ab Auditoribus non poteſt, per ſimilitudinem, exemplaque teneatur.*

D. Cyrillus Alex. lib. 3. in Iſa. cap. 32. ſub initium ad illa verba, Et erit homo occultans ſermones ſuos: Plurima, *inquit*, locutus eſt in parabolis Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui etiam proclamauit hoc ipſum ante voce Dauidis: Aperiam in parabolis os meum, eructabo occulta à conſtitutione.

Theoph. Cerameus hom. 2. plures afferens cauſas, cur Chriſtus in dicendo parabolis vteretur, hanc ſubnectit, Forſan etiam prophetiam implet Pſalmiſtæ cythara de eo decantatam in pſalmo 77. Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio.

Tertull. lib. 4. in Marcionem c. 11. Nec forma ſermonis in Chriſto noua, cum ſimilitudines obijcit, cum quæſtiones refutat: de ſeptuageſimo ſeptimo venit pſalmo, Aperiam, inquit, in parabolam os meum, ideſt ſimilitudinem; eloquar problemata, ideſt ediſſeram quæſtiones.

ANNOTATIONES.

PArabola in eum finem videtur inuenta, vt per eam ſermo quandoque reddatur obſcurior; vnde Chriſtus dominus, *Vobis, inquit, datum eſt noſſe myſterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligãt;* Luc. 8.11. Quandoque verò planior clariórque reddatur. Vtrumque enim fit parabolarum vſu, vt nimirum, & quæſtiones valde obſcuræ de rebus præſertim, quæ ſub ſenſum non cadunt, adhibitis ſimilitudinibus, per quas ſenſibus ſubijciuntur, lucem accipiant, vnde facilè intelligi poſſint; ſimulque res ſublimiores, ac diuinæ iiſdem ſimilitudinibus obuoluantur, ne dentur Sancta canibus, & margaritæ mittantur ante porcos. Matt. 7.6. Antiquis quoque ſapientibus in vſu fuiſſe parabolas, quibus ſuam ipſorum ſapientiam, rerũque cognitionem obtegerent, auctor eſt Clemens Alex. lib. 5. ſtromatum. Certe Xenophon, & Plato in ſuis ſcriptis parabolis abundant: circumferuntur etiam Pythagoræ ſimbola: extant prætereà Aegyptiorum hieroglifica Sacerdotum, de quibus fusè Pierius. Et verò excitari magis auditorum ſtudium, & inquirendi diligentiã, cum ea audiunt, quæ non intelligunt, & nihilominus magnarum rerum habere ſignificationem animaduertunt, fatetur Chryſoſt. hom. 46. in Matt. præterquam quod multo iucundior accidit, quæ per parabolas fit, quam ſimplex, nudaque rerũ narratio.

RES MIRAS AD CONFIRMANDAM SVAM DOCTRINAM OPERATVR.

§. XXIV.

1 *Fulgura coruscationem, & dissipabis eos ps. 142. 6.*
2 *Fulgura multiplicauit, & conturbauit eos ps. 17. 15.*
3 *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, commota est, & contremuit terra ps. 76. 19.*
4 *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit, & commota est terra ps. 96. 4.*

1 D. *Bruno Carth.* Fulgura coruscationes, idest splendescere fac miracula, quæ coruscationes dicuntur, eo quod homines videntes stupidos reddunt, ad modum coruscationũ fulgurum. Et dissipabis eos, idest diuides saluandos à conformitate perdendorum.

2 *D. Greg. lib. 27. mor. c. 6.* Quid enim sentire fulgura, nisi miracula debemus, de quibus per Psalmistam dicitur, Fulgura multiplicabis, & conturbabis eos?

3. *D. Basil. in Schol. ad ps. 76.* Lux enim illa miraculorum instar fulguris vniuersum orbem percutit: timore sunt omnes, audita potentia sua, repleti.

D. Laur. Iustin. in ligno vitæ tract. 12. de virt. humilit. cap. 1. Alluxerunt coruscationes tuæ, ò domine, idest manifestatæ sunt in carne passibili virtutes tuæ, doctrina tua, miracula tua, orbi terræ: Vidit hæc homo Dei fide, spiritu, & oculis: Et mota est terra, mota sunt planè corda terræ hærentia, terram diligentia, & terram possidentia.

4 *D. Bruno Carth.* Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, idest resplendebunt omnibus gentibus habitantibus orbem terræ miracula eius, quæ per Apostolos operabitur: dicta fulgura, eo quod videntes se attonitos, & stupidos faciunt ad similitudinem fulgurum oculos hominum suo fulgore tangentium. Et illa fulgura vidit terra, & commota est, idest illa miracula videbunt terreni, & adueniente in eos igne gratiæ specialis commouebuntur à terrenitate ad specialitatem.

GRADITVR SVPER MARE.

Matt. 14. 25.

§. XXV.

1 *In mari via tua, & semita tua in aquis multis ps. 76. 20.*

D. Ber-

1 D. *Bernardus serm. 6. in Cant. ante med.* Denique ambulat super vndas carnalibus pedibus, cui necdum carne vestito iam psalmista præcinerat, In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis. *Sed & ad sensum mysticum sententiam referens subiungit*, conculcans corda tumentia superborum, & fluxa desideria carnalium comprimis, iustificans impios, & superbos humilians: quod tamen quia inuisibiliter fit, carnalis non sentit; vnde & subdit, Et vestigia tua non cognoscentur.

TIMENTIBVS, ET EXORANTIBVS APOSTOLIS MARIS TEMPESTATEM SEDAT. *Matt. 8.*

§. XXVI.

1 *Exaltati sunt fluctus eius, ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat: turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius; & omnis sapientia eorum deuorata est, & clamauerunt ad dominum, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos, & statuit procellam eius in auram, & siluerunt fluctus eius ps. 106. 25.*

2 *Exurge quare obdormis, domine? exurge adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum ps. 43. 23.*

1 T*Heoph. Ceram. hom. 26. in fine.* Dauid manifestissimè præsignauit in psalmo centesimosexto commotionem procellæ, seditionem vndarum, Apostolorum consternationem, latas ad dominum preces, spirituum obiurgationem, sedationemque tempestatis; id quod liquidius constabit, si verba ipsa commemorabimus. Ac de tempestate quidem sic ait, Stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus maris ascendentes vsque ad cælos, & descendentes vsque ad abyssos. De pauore autem discipulorum, Turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius; timor apprehédit eos; Post hæc subiungit, Clamauerunt ad dominum, cum tribularentur. Demum exitum miraculi, & suauem Iesu vocem, qua mare, suscepta obiurgatione, tranquillatum est, Et imperauit procellæ, & stetit in auram, & siluerunt fluctus eius. Vides, quam apertè psaltæ cithara hoc miraculum pronunciauit.

2 *D. Chrysost. siue Auctor imperfecti in Matth. hom. 23 discipulorum trepidationem suscitantium Dominum, & orantium*, Domine salua nos perimus *agnoscit in verbis illis psalm.* 43. 23. Exurge, quare obdormis domine? *Cum dormiente domino*, inquit, *sæuiente procella vsque ad periculum nauis violenti fluctus insurgerent, discipuli timore perculsi dominum suscitant, dicentes, Domi-* *Mat. 8. 25.*

 ne

ne libera nos, perimus: quod idipsum Dauid ex persona Apostolorum suscitantium dominum significasse videtur, cum dicit, Exurge, quare obdormis domine? exurge ad-iuua nos, & libera nos propter nomen tuum. Imperium autem in mare aduertis in verbis psalmi 76. 17. Viderunt te aqua Deus, viderunt te aqua, & timuerunt; & turbata sunt abyssi, subdit enim ibidem, Surgens ergo dominus ait illis: Quid timidi estis modica fidei? & imperauit vento, & mari; & facta est tranquillitas magna. In quo manifestè diuinitatis sua potentiam declarauit, dum violentos maris fluctus diuina potestatis verbo compescuit: Neque venti, vel mare obedire poterant, nisi domino, & creatori suo, quod futurum ante praenunciauerat Dauid dicendo, Viderunt te aqua, & timuerunt, & turbata sunt abyssi. Denique exclamationem Apostolorum confitentium Christum Deum post visum miraculum, vt habetur Marc. 4. 40. agnoscit in sequentibus verbis eiusdem psalmi 76. 18. Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes, *Et qua*, inquit, *ista nubes sunt qua tumentibus aquis vocem dederunt, nisi discipuli, qui viso signo diuina virtutis exclamauerunt dicentes, Vere hic filius Dei erat? Nubes autem idcirco Apostoli intelliguntur quia modo nubium de terra surgentes ad calos sine aliquo pondere peccati spiritualis natura lenitate feruntur, & ad riganda corda credentium pluuiam diuina praedicationis infundunt.*

Ps. 43. 23. & 26.

Mat. 8. 26.

Idem denique Auctor nonnulla alia eodem spectantia congerit loca: sic autem habet: Alio quoque loco idem Dauid, quòd diuino imperante Verbo maris violentia mitiganda esset, ita testatus est dicens, Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas: Et iterum: Dixit, & stetit Spiritus procellæ, & siluerunt fluctus eius: Et iterum Qui conturbas profundum maris sinum autem fluctuum eius tu mitigas; Et iterum: Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, hanc vtique vocem, quia diuinæ potestatis virtute ventis imperante maris tranquillitas restituta est: *Sequitur:* Cũ igitur sedata tẽpestate maris iussione Verbi esset tranquillitas restituta, Hi, *inquit*, qui erant in mari mirati sunt dicentes; qualis est hic, quòd venti, et mare obediunt ei? Hanc autem dominici verbi virtutem, & eorum, qui in naui erant, admirationem olim S. Dauid prænunciauerat in psalmo dicendo, qui descendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera domini, & mirabilia eius in profundo: Et iterum: Statuit procellam in auras, & siluerunt fluctus eius, & lætati sunt, quia siluerunt.

Ps. 88. 10.
Ps. 106. 25.
Ps. 64. 8.
Ps. 67. 35.
Mat. 8. 27.
Ps. 106. 23.
Ibid. 29.

VE-

VENIENTES AD SE PECCATORES BENIGNE RECIPIT

§. XXVII.

1 *Cinerem tamquam panem manducabam ps.* 101. 10.

1 D. *Brun. serm.* 71. *in Cant.* An non cinerem tamquam panem manducat? Ego autem quia peccator sum, cinis sum, vt manducer ab eo: Mandor cum arguor; glutior, cum instituor; decoquor, cum immutor; digeror, cum transformor; vnior, cum conformor.

D. Greg. hom. 19. *in Ezech.* Conuersi peccatores sic ditantur virtutibus, sicut illi sunt diuites, qui cadere in peccati pœnitentiam vitauerunt, vnde & psalmistæ voce per Dominum dicitur, Cinerem sicut panem manducabam; quia sic pœnitentes recipit, vt iustos: scriptum quippe est de peccatoribus, Olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent: Cinis ergo, sicut panis comeditur, quando auctori suo peccator per pœnitentiam, sicut innocens, reuocatur. *Matt.* 11. 21.

Idem Greg. in psalmum 5. *penit. qui est in ordine psalterij* 101. *ad hæc ipsa verba, Cinerem tamquam panem manducabam,* Ex hoc maximè Scribæ, & Pharisæi Redemptorem nostrum criminabantur, quia publicanos, & peccatores non solum non respuebat, sed etiam cum illis in cibo, & potu communicabat: vnde quidam eorum indignè ferentes dicebant, quare cum publicanis, & peccatoribus māducat, & bibit magister vester? sed ille, qui non iustos, sed peccatores vocare venerat, quid dicebat? Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. O immensam Dei clementiam! O inæstimabilem gratiæ caritatem! Illos volebat curare, qui salutem nolebant habere, qui aduersus salutem suam armati, & phræneticorum more medicum incusantes volebant potius ex infirmitate mortem incurrere, quam vitam ex salute inuenire: Sed cineres Redemptor noster manducabat, quando in corpus suum eos traijciebat: Cineres namque erant; qui dum principem tenebrarum magis, quam auctorem sequerentur luminis, in eorum cordibus, quasi extinctus fuerat diuini prorsus ignis amoris: cineres, inquam, erant, videlicet nulli apti vsui, & sine caritatis glutino omnino dissoluti. Quis non has miretur misericordiæ Dei diuitias? Quis iam de remissione peccatorum desperet? Quis non credet, se, si conuertatur, veniam consequi, cum audiat, etiam incredulos tanta benignitate admitti? Vnde ait Apostolus, Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mor- *Mat.* 9. 11 *Ibid.* 12. *Rom.* 5. 10

mortem filij sui, multo magis reconciliati salui erimus ab ira per ipsum. Quia ergo Redemptor noster in mundum veniens vasa iræ fecit vasa misericordiæ, & omnibus ad se venientibus pietatis suæ signum aperuit, rectè nunc dicit, Quia cinerem tamquā panem manducabam.

Mat.4.23. Luc.6.19.

MORBOS OMNES CVRAT.

§. XXVIII.

1 *Dominus soluit cōpeditos, dominus illuminat cæcos ps.145.8.& 9.*
2 *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis ps. 44. 9.*
3 *Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius ps.40. 4.*

1 D. *Ambros. lib. 5. in Lucam de missione discipulorum Ioannis ad Iesum*. Ite, *inquit*, renunciante Ioanni, quæ videtis, & auditis: Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiūt, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Plenum sanè testimoninm, quo Dominum propheta cognosceret, de ipso enim, non de alio fuerat prophetatum, Quia dominus dat escam esurientibus, dominus erigit elisos, dominus soluit compeditos, dominus illuminat cæcos, dominus diligit iustos, dominus custodit aduenas, orphanum, & viduam suscipiet, & viam peccatorum exterminabit: qui ista, inquit, faciet, regnabit dominus in perpeuutm. Ergo non humanæ ista, sed diuinæ virtutis insignia sunt, cæcis perpetuæ tenebras noctis aperire, defossorumque oculorum vulnera infusa luce sanare, auditum insinuare auribus surdorum, laxatis soluta membra reformare compagibus, in lucem quoque, ac fuso vigore viuendi, reuocare defunctos. Hæc ante Euangelium vel rara, vel nulla. Receperit licet Tobias oculos, vnus est in exēmplo, & tamen Angeli fuit illa medicina; Elias mortuum suscitauerit, ille tamen rogauit, & fleuit; Elisæus leprosum mundari fecerit, non tamen illic valuit præcepti auctoritas, sed figura mysterij; Non defecerit ad escam viduæ esurientis propheticis se multiplicans farina præceptis, vnam tamen viduam farina illa, vel potius eadem quoque Sacramenti species præfigurata seruauit: sed tamen parua adhuc ista dominicæ testificationis exempla sunt; plenitudo fidei, Crux domini, obitus, sepultura est, & ideo cum illa superiora dixisset, addidit, Beatus, qui in me non fuerit scandalizatus.

Mat.11.4. ps.145.7. 8. & 9. Ibid. 10. Tob.11.15 3.Reg.17. 22. 4.Reg.5. 14. 3.Reg.17. 16. Mat.11.6.

2 *S. Bruno Episc.* Per has tres species omnes alias intelligimus: & myrrha quidem inter alias amarissima; casia verò, quæ & fistula dicitur, dulcissima est; at verò gutta, quæ amomacum nomina-

natur, multis, & magnis infirmitatibus medetur. Fluebant igitur hæc, & alia omnia remedia infirmitatum à vestimentis Christi; quia quicumque, sicut in Euangelio dicitur, eum tangebant, sani fiebant, à quacumque infirmitate detinebantur. Vestimentũ Christi ipsa eius humanitas est, qua videlicet veste pretiosa diuinitas induta ab hominibus videri non poterat: Nam & ipsæ fimbriæ vestimenti eius multos infirmos sanasse leguntur. Non erat igitur illis necessarium medicamina suscipere, qui ad Christi vestimenta accedere poterant; siquidem non solum species apta sanitati, sed ipsa quoque sanitas ab eius vestibus defluebat. *Matt.* 14. 36. *Mar.* 6. 56 *Luc.* 8. 44. *Matt.* 14. 36.

3 *S. Maximus hom. 1. temp. hyem.* Ad Paralyticum dictum est à Domino, Surge, tolle lectum tuum, & ambula: In hoc planè completa est prophetica illa sententia, Versasti stratum eius in infirmitate eius, vt versa vice portaret lectum, in quo fuerat paulo ante portatus. *Mat.* 9. 6.

TRANSFIGVRATVR IN MONTE. *Mat.* 17. 2.

§. XXIX.

1 *Amictus lumine sicut vestimento ps.* 103. 2.
2 *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachiũ cum potentia ps.* 88. 13. & 14.

1 THeoph. *Ceram. hom.* 59. *afferens verba Marci c.* 9. 2. Et vestimenta eius facta sunt splendentia, & candida nimis, veluti nix, qualia fullo non potest super terram candida facere, Fullones, *subdit*, vocans prophetas, & pracones, quorum nemo sic dealbare poterit naturam humanam, vt dominus, qui eam diuinitatis luce lustrauit: Hoc etiam modo Psalmographus ad ipsum clamabat, Qui amictus es lumine, sicut vestimento.

2 *Genebrardus Thabor, & Hermon, &c.* Fortasse respicit ad miracula, quæ in illis erant patranda à Domino: in Thabor enim Christus est transfiguratus: in Hermon quinque panibus, & duobus piscibus multa hominum millia pauit; tuum brachium est cũ potentia, tuum brachium est potens, & robore præditum, adeo vt miranda possit. *Matt.* 14. 19. & 20.

S. Io. Damasc orat. de transfig. domini. Adsit Dauid, & diuinitus sonantem Spiritus citharam pulset, planiusque nunc, atque expressius vocem hanc moduletur, quam olim propheticis, ac puris oculis Verbi Dei, ad nos carnalem aduentum, tamquam futurum longe ante prospiciens, vaticinatus est. Thabor, & Hermon nomine tuo exultabunt: Hermon enim prius cum filietatis nomẽ,

quod

quod aperto testimonio Christo tribuebatur, audisset, exultauit, cum præcursor Ioannes tamquam veteris, ac noui testaméti mediator baptizandi causa proficisceretur, in hoc videlicet missus, vt thesaurum in deserto absconditum, tamquam in tenebris, hoc est in mundo, lucentem, inaccessam illam lucem, atque ijs incognitam, qui oculorum caligine laborabant, in publicum proferret, cum in medio Iordane aqua veniæ stabat mundum purgans, non autem ipsa purgata, cum paterna quidem voce cælitus intonante dilectus filius esse asserebatur is, qui baptizatur, à columba autem tamquam à spiritu veluti digito indicabatur is; cui testimonium dicebatur: Nunc autem exultat, ac lætitia perfunditur Thabor, diuinus inquam, ac sanctus ille mons, nec minus gloriæ, ac splendoris ratione, quam ingenti quadam altitudine sublimis: Nunc merito exhilaratur; de gratia enim cum cælo certat: nam in quem illic Angeli immotam oculorum aciem intendere nequeunt, hunc regni sui gloria collucentem selecti Apostoli in hoc monte perspiciunt: In hoc mortuorum resurrectioni fides astruiur, ac mortuorum, ac viuorum dominus esse declaratur, vt qui scilicet ex mortuis Moysen assumpserit; viuum autem Eliam testem adhibuerit, qui iam olim è terra in æthereum regionem igneo curru subuectus fuerat: In hoc nunc quoque prophetarum præstantissimi vaticinantur Domini per crucem ex hac vita discessum indicantes; eoque nomine lætitia gestit, & exultat, atque arietum saltus imitatur, cum filiationis testimonium ex nube, hoc est ex Spiritu, vitæ datori Christo á Patre tributum audit: hoc enim est nomen, quod est super omne nomen, cuius causa Thabor, & Hermon exultant, Hic est filius meus dilectus.

Mat. 17.5

ANNOTATIONES.

IN Transfiguratione Dominus Iesus gloriam corporis sui secundum dotem solius claritatis exhibuit; tres siquidem reliquas, subtilitatis scilicet, agilitatis, & impassibilitatis seorsim aliàs, antequam à mortuis resurgeret, palam fecit: Et subtilitatis quidem, cum virgineis claustris nullatenus apertis de incorrupto matris vtero nasceretur; agilitatis autem, cum incederet super mare; impassibilitatis verò, cum manducaretur in cęna.

LAZARVM A MORTVIS SVSCITAT.

Io. 11.43.

§. XXX.

1 *Vox domini in virtute; vox domini in magnificentia ps. 28. 4.*
D. Aug.

1 D. *Aug. ferm.* 104. *de temp.* Cum ergo remouissent lapidé à monumento, ait magna voce, Lazare veni foras, ostédens se esse, de quo scriptum erat, Vox domini in magnificentia: & iterum, Ecce dabit voci suæ vocem virtutis. Virtutis planè, *ps. 67. 35.* & magnificentiæ vox ista est, quæ statim Lazarum de morte ad vitam reuocauit, & ante anima corpori reddita est, quam sonum vocis miserat: licet alibi esset corpus, alibi anima; tamen vox illa domini statim & animam corpori reddidit, & corpus animæ repræsentauit. Deterrita enim mors est, audita voce tantæ virtutis: nec mirum sanè, si ad vnam vocem Domini resurgere Lazarus potuit, quando omnes, qui in monumentis sunt, ad vnam vocem solam resurrecturos in Euangelio ipse declarauit dicendo; Venit hora, quando omnes, qui in monumentis sunt, audient vo- *Io. 5. 28.* cem filij Dei, & resurgent. Vnde sine dubio tunc mors audita voce Domini omnes mortuos à se potuisset dimittere, nisi propriè vocatum Lazarum cognouisset.

ANNOTATIONES.

Virtutem, & magnificentiam huiusce vocis persensit Tartarus, qui aduersus Christum Dominum ad suscitandum Lazarum sese accingentem per consuetos nuntios recurrens ad cælum in hac ferè verba inuidiosa interpellatione deplorans inducitur à D. Chrysologo ferm. 65. *Ego, Domine; etsi extremus creaturæ tuæ, etsi tristi seruitio mancipatus precepta tua inuiolabili lege seruo; peruigilo, nequis sententia tua vetustum ius nouus temerator immutet: sed apparuit homo, qui dicitur, Christus, tuum se filium iactans sacerdotes tuos notat, scribas tuos arguit, sabbata tua violat, legem tuam soluit, & animas exemptas carne, & pænaiam, meaque custodia deputatas ad corpora, in quibus scelerate vixerant, redire compellit; & tantis quotidie procedit ausibus, vt Lazarum iam carcere nostro clausum, iam lege nostra vinctũ, iam in iure nostro manentem, effractis claustris inferi, conetur eruere. Aut cito subueni; aut si patefecerit semel ianuas, omnes, quot tot seculis seruauimus, nunc amittis.* Hæc ille. Sed Christo nihilominus, qui est resurrectio, & vita, coactus obtemperare, *Io. 11. 25.* vt qui reos iussus capere, innocentes quoque, sanctosque diriperet, Lazarum ligatis manibus, ac pedibus, vt erat, a se statim dimisit, suum computans lucrum, si ad vnam iubentis vocem vnius tantùm, & non simul omnium, quos tenebat, iacturam faceret. *Tunc Tartarus*, subdit ibid. Chrysologus, *ligatis manibus, & pedibus Lazarum retulit ad superna timens, ac tremens, ne, dum soluit; ne, dum moras facit; ne, dum tardus refert vnũ,*

omnes cogeretur aferre; sic factus est viuorum relator, qui raptor esse consueuerat mortuorum.

Io. 11. 47. Mat. 26. 3.

COLLIGVNT PONTIFICES, ET PHARISÆI CONCILIVM ADVERSVS IESVM.

§. XXXII.

1 *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius ps. 2. 1.*

2 *Cogitauerunt consilium, quod non potuerunt stabilire ps. 20. 12.*

1 D. *Athan. in qq quæst.* 109. Quidnam est? quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Gentes dicit Romanos, francorum videlicet genus, qui Christum crucifixerunt; populum verò dicit caput Iudæorum. Astiterunt reges terræ Pilatus, & Herodes, Principes verò Annas, & Caiphas.

D. Aug. Vt quid fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, &c. Pro eo dictum est, vt quid? ac si diceretur, frustra: non enim impleuerunt, quod voluerunt, vt Christus extingueretur. Dicitur hoc ergo de persecutoribus
Act. 4. 25. & 26. Domini, qui & in Actibus Apostolorum commemorantur, Dirumpamus vincula eorum, & abijciamus à nobis iugum ipsorum.

D. Ber. ser. 5. *de assumpt. Virg. post med.* Sed sciendum, quia alia est vnitas Sanctorum, alia est facinorosorum: de hac enim
Matt. 22. 15. scriptum est Astiterunt reges terræ, &c. De hac iterum Euangelista Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperent Iesum in
Io. 11. 47. sermone, Et iterum, Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium: vt quid hoc? sicut Ioannes testatur, vt interficerent Iesum.

D. Chrysost. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnū aduersus quem? dicito, vt, qui audiuerint, perimescant: aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Opus aduersus opificem, figmentum aduersus fictorem, lutum aduersus figulum, foenum aduersus ignem. Vidisti cæcum bellum; pugnam, quæ non potest committi? Interrogat autem propheta, non vt discat ab ipsis, sed lapsos esse conuincat; vel de impudenter se gerentibus triumphum agat; vel, vt non habentes quid loquantur ac respondeant, maleficij arguat, quando Gentes, & Populi, Reges, & Principes, hi inquam quatuor ordines. Deum quatuor finium crucifixerunt; crucifixerunt autem, quoniam sustinuit, qui crucifigebatur: hoc enim nos docuerunt Apostoli dicentes, Domine

tu es Deus, qui fecisti cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, qui Spiritu S. per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? astiterunt, &c. Deinde quinam fuerint, interpretantes dixerunt, Conueniunt enim aduersus sanctum filium tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israel ad faciendum, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri. Quas ergo personas interpretati sunt Apostoli, fieri nō potest, vt aliter interpretemur. Sed dicit quispiam: Certe ecce gentes, & populus Israel ostendunt, quod Christo crucifixo Iudæi, & milites, & custodia concurrerunt: cur ergo, cum pluraliter dictum sit, Astiterunt reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, Apostoli vni Regi Herodi, vni Principi Pilato id dictum attribuerunt dicentes, Conuenerunt enim verè in hac ciuitate Herodes, & Pontius Pilatus. Numquid Herodes Reges? Numquid Pilatus Principes? Sed non errauerunt Apostoli, qui sic sunt interpretati; cum rege enim Herode peccati quoque regem diabolum ostenderunt; & cum Principe Pilato dæmonum potestates, & Principatus significarūt, de quibus dicebat Apostolus, non regnet ergo peccatum in vestro mortali corpore; Non est enim vobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principatus, & potestates, aduersus rectores mundi. Quia enim Deus in carne erat, qui crucificebatur, & qui sub visum non cadebat, in eo quod videbatur, afficiebatur iniuria, dæmones cum hominibus, & qui carnis erant expertes cum carnalibus aduersus eum conuenerunt. Vis videre Reges, & Principes conuenisse aduersus Christum? Quando Christus ascendit in montem, vt tentaretur à diabolo, tunc Archidæmon in puncto temporis omnia regna mundi, & gloriā eorum coegit, & cum omnibus visus est, vt cum omnibus euanesceret; & de omnibus cōtendebat, vt in omnibus caderet, & vinceretur; faciebat enim quod nesciebat, & passus est, quod ignorabat; & qui prius quærebat adorari, retro eijciebatur audiens, Vade post me Satana; scriptum est enim, diabolum ab ipso ad tempus abscessisse observantem tempus Crucis: quando ergo venit tempus passionis, tunc Reges, & Principes, dæmones, & mali Principes cum Herode, & Pilato conuenerunt aduersus Christum. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum. Quando? quando bis mille dæmones, & legio in vnum hominem ingressi, in eo habitarunt. Illud ergo Cur fremuerunt gentes? pro eo quod est, Cur gentes insolentes euaserunt, & supercilium erexerunt? Quænam gentes, & populi, & quando maxime meditati sunt inania? quando Iudæi, & Gentes, Herodes, & Pontius Pilatus, & cu-

Act.4.24

Rom.6.12

Eph.6.12.

Mar.5.10.

ps. 87. 6. ſtodia, & Milites Ieſum tamquam mortuum ſeruabant, qui erat inter mortuos liber: cum viuo bellum geſſerunt, & à mortuo victi ſunt. Cur fremuerunt gentes? cur mortuum ſeruare non potuerunt, qui mortuus dicebatur, Deus autem cetnebatur? quando lapidem obſignarunt, & petram non tenuerunt. Cur fremuerunt gentes? thecam tutò cuſtodierunt, & quod in ea conditum erat, non habuerunt. Cur fremuerunt gentes? Mors enim bene dominans fecit reſurrectionem; & ſepulchrum accepto corpore depoſito territum, quod Patris theſaurum acceperat, depoſitum cum timore reddidit. Cur fremuerunt gentes? Et milites quidē lapidem, vt lapides, ſeruabant; Angeli autem ſepulchrum Dei monumentum oſtenderunt; quemadmodum enim milites priuati ſepulchrum non cuſtodiunt, ita ſepulchrum hominis minimè ſeruant Angeli.

Idem Chryſoſt. aduer. Gent. quod Chriſtus ſit Deus Coactum eſt concilium iniquitate plenum, conuenientibus Iudæis, & Gentilibus. Vides, quomodo etiam prædixerit propheta dicens, quare fremuerunt gentes, & populi, vſque abijciamus iugum ipſorum à nobis: quę vox eſt eadem cum illa, quam clamauerunt, cum, Io. 19. 15. Pilato dicente, Regem veſtrum crucifigam? reſponderunt, Nos regem non habemus, niſi Cæſarem.

D. Hieron. Audacis eſt hunc locum interpretari velle poſt Petrum; imo de eo ſentire aliud, quam in actibus Apoſtolorum dixerit Petrus. Aſtiterunt, &c. non ſolum Herodes Rex, ſed etiam illi Reges aduerſus dominum conſtiterunt, quorum regna ei in puncto temporis diabolus oſtendit.

Luc. 4. 5. *Tertull. lib. de reſur. carnis c. 20.* Tumultuatæ ſunt gentes in perſona Pilati, & populi meditati ſunt inania in perſona Iſraelis, Aſtiterunt reges terræ, Herodes, & Archontes congregati ſunt in vnum; Annas, & Caiphas aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius.

2 *D. Auguſt. Cogitauerunt conſilium, &c.* Cogitauerunt cō-
Io. 18. 14. ſilium dicentes, expedit vnum pro omnibus mori: quod non potuerunt ſtabilire, neſcientes, quid dixerunt.

ANNOTATIONES.

Conſpirationem, conuentumque plurium Regum aduerſus vnum Regem Chriſtum diſertè proponit explicatque D. Chryſoſt. in expoſ. pſ. 2. *Aſtiterunt Reges terræ: quinam Reges? atqui ſolus Herodes in paſſione eum examinauit. Quinque reges aduerſus Chriſtum in humana eius natura ſuſceptione aſtiterunt. Primus diabolus. Secundus Mors. Tertius Peccatum. Quartus Herodes,*

des, qui propter ipsum infantes interfecit, & quintus alius Herodes, sub quo passionem sustinuit. Quoniam ergo Pentas Regum, & egregia Pentapolis aduersum cælestem regem insurrexerunt, Astiterunt reges terræ. Quod autem Satanas ferens nomen alienum, & tamquam fugitiuus, Domini suscepto nomine, Rex dictus sit, audi. Quando dominus fugauit dæmones, & curauit dæmoniacos, dicebāt Iudæi, in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia: deinde Dominus, Omne regnum in se diuisum desolabitur: & subiungit: Si ergo Satanas quoque in seipso diuisus est, quomodo stabit regnum eius? Cum autem eius regnum dicit, eum dici regem ostendit. Quod autem Rex est mors impietatis, dicit Paulus, sed regnauit mors ab Adā vsque ad Mosem. Quod autem etiam quod malum facit peccatum rex sit, audi, Ne regnet ergo peccatum in vestro mortali corpore. Quod vero etiam qui infantes interfecit Herodes rex sit, scriptum est, Cum autem audisset rex Herodes famam Iesu turbatus est, & omnis Hierosolyma cum ipso: Quod autem hic mortuus esset Herodes, & Archelaus filius eius regnasset post Archelaum alius Herodes regnauerit, scriptum est. Audiuit autem Herodes rex famam Iesu: Quia ergo quinque reges aduersus Regem vnigenitum conspirarunt, Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum.

Luc. 11. 18
Rom. 5. 14
Rom. 6. 12
Mat. 2. 3.
Mat. 14. 1.

INGREDITVR HIEROSOLYMAM SVB SPECIE TRIVMPHI, CLAMANTIBVS TVRBIS, OSANNA, BENEDICTVS QVI VENIT IN NOMINE DOMINI, REX ISRAEL:

Io. 12. 13.

§. XXXII.

1 *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem ps. 8. 2.*
2 *O Domine saluum me fac, ò domine bene prosperare; benedictus qui venit in nomine Domini ps. 117. 25. 26.*

1 HOc de se Dauidis testimonium affert Christus ipse apud Matth. c. 21. 16.

Theoph. Ceram. hom. 26. Cum alijs mirabilibus editis operibus, tum præsertim extracto ex inferni faucibus Lazaro, victorem se mortis ostenderat; quod erat reliquum, post trophæa atque victorias, vt imperator exercitu stipatus intrat in vrbem, ac simul prophetarum implet oracula. Etenim Patriarcha Iacob alligare ipsum dixit ad vitem pullum suum, & ad helicem pullū asinæ suæ: Et magnus ille Dauid puerorum acclamationem ante pro-

Gen. 49. 11.

prospiciens sic ait, Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem.

2 *Rupertus de victoria Verbi Dei lib. 12. c. 24. sub finem*. Sed & illud non leuiter attendendum, quod taliter dixit, *Maledictus* Deut. 21. 23. *à Deo est, qui pendet in ligno*, quamuis Apostolus Græcis scribens, & pro necessitate temporis translationem lxx. interpretum, quæ apud illos iamdudum accepta fuerat, sequens dixerit, *Male-* Gal. 3. 13. *dictus omnis qui pendet in ligno*: Sequitur c. 25. *Satis liquet, quia translationis vtriusque nonnulla distantia est, sed quanta ex tribus literæ diuersitatibus conijci potest. Nam in Græco, Omnis additur, quod in hebraico nō habetur: è contra in hebraico habemus A Deo, & substantiuum verbum Est, quæ in Græco non habentur itaque quid de maledicto senserint impij volentes in eo destruere laudem, quam ex ore infantium, & lactentium audierant prædicatum versiculo psalmi 117. Osanna, benedictus, qui venit, &c. nos quidē scimus, quia sic senserunt, quomodo sentire voluerunt, quos excecauit malitia eorum: sed nihilominus in laudem suscipiamus quod dictum est, quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno, vt sit sensus, omnis quidem qui peccauit quod morte plectendum est, & adiudicatus morti pendet in ligno, maledictus est; subauditur, à peccato suo: Hic autem vnus iustus, qui adiudicatus quidem morti fuit, & in ligno pependit; sed quod morte plectendum esset non peccauit; imo nullum vnquam peccatum fecit, non à peccato suo maledictus, sed à Deo satis est afflictus, tamquam maledictus, tamquā peccator, & non quidem vere peccator, sed verè peccata portans* Is. 53. 9. *omnium; quia inquit Isaias, Posuit in eo iniquitates omnium nostrum.*

ANNOTATIONES.

2 O*Sanna*, vt ait S. Greg. hom. 17. in Ezech. latina lingua Salua nos dicitur. *Albertus M. in Matthæi c. 20.* Osanna idem esse *ait*, ac salua obsecro, compositum ex corrupto verbo, & integro: Osi enim est salua; Anna interiectio desiderantis, & aufertur I media per synallepham, & dicitur Osanna; hoc est Salua obsecro *D. Hieron. epist. 145. quæ est ad Damasum*, In centesimo, *inquit*, decimo septimo psalmo, vbi nos legimus, ò domine saluum me fac, in hebræo legitur, Anna Adonai Osianna; *adduitque*. Et quia Osianna, quod nos corruptè per ignorantiam dicimus, Osanna, Saluifica, siue saluum fac exprimatur, omnium interpretatione signatum est. *Quamquam D. Aug. lib. 2. de doctr. Christ. c. 11. Verbum Osanna motum potius animi (id quod maximè interiectionibus accidit) significare ait, quam sententiæ concep-*

ta.

ta vllam particulam, adeoque latantis esse vocem, sicut racha indignantis. Idemque repetit tract. 51. in Ioannem.

NEGOTIATORES DE TEMPLO EIICIT, ET ACCLAMATVR A PVERIS. §. XXXIII. *Matt. 21. Io. 2.*

1 *Zelus domus tuæ comedit me ps. 68. 10.*
2 *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem ps. 8. 3.*

1 D. *Aug. tract. 10. in Ioannem*, Recordati sunt discipuli, quia zelus domus Dei eiecit illos de templo domini. *Io. 12.17.*
D. Chrysost. tract. aduer. Gent. quod Christus sit Deus, zelus domus tuæ, &c. Eiecit vendentes columbas, & nũmularios faciens hoc zelo domus Dei, & ostendens quod non sit contrarius Deo, idem sentiendo quod Pater: vnde & iustè vindicabat, quia facta erat domus Patris domus negotiationis: cuius rei conscius propheta mentem, qua faciebat, prædixit in hunc modum, zelus domus tuæ comedit me. Quid hoc euidentius dici potuit?

Rupertus lib. 4. in Amos c. 9. Cum quotidie disputaret contra auaritiam illorum, illud maximè concitauerat eos, quod diutius non ferens pertinaciam auaritiæ, propter quam demum Patris, domum orationis, speluncam fecerunt latronum, scripturã impleuit dicentem zelus domus tuæ comedit me, mensas nummulariorum, cathedrasque vendentium columbas conuertens, factoque de resticulis quasi flagello cunctos eijciens.

Idem Rupertus lib. 3. comment. in Ioannem. Recordati verò sũt discipuli, quia scriptum est, zelus domus tuę comedit me: Ex tunc recordati sunt hoc de illo scriptum esse, ex quo aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas; quia viderunt impletum, zelus domus tuæ comedit me: quod longè sonorius dictum est, quam si dictum fuisset, zelus domus tuæ inflammauit, vel accendit me: *Luc. 24. 45.* Infirmitas namque humanitatis eius orat in illo psalmo, quæ cum diuinitatem in se habitantem ita contegeret, vt inter homines ambulans hominibus non appareret, repente sic illum commouit zelus Patris sui, vt ipsa infirmitas eius quasi non compareret, quæ hactenus hoc agebat, vt diuinitas lateret: quid enim aliud facere potuisset, si naturæ nostræ infirmitatem non haberet? comedit ergo illum zelus domus Dei, dum diuinitatis fulgurantis splendor se exerens naturam infirmam aperuit, vel abscondit.

2 *D. Ambros. orat. in Auxentium.* Vident pueros Christi gloriam concinentes, quia scriptum est, Ex ore infantium, & lac-

Luc. 19. 40. lactentium perfecisti laudem. Irrident istam ætatulam fidei plenã, cum dicunt, Ecce quid clamant? Respondit ijs Christus, si hi tacuerint, lapides clamabunt, hoc est fortiores clamabunt, clamabunt & iuuenes, clamabunt & maturiores, clamabunt & senes, isti lapides ad illum iam solidatum lapidem, de quo scriptum est,

Mar. 12. 10. Lapidem, quem reprobauerunt, hic factus est in caput anguli.

D. Chrysost. tract. aduer. Gentiles quod Christus sit Deus Ingresso aliquando in templum pueri adhuc ab vbere pendentes, & inexpeditam habentes linguam cecinerunt in illum hymnos, sic dicentes Osanna in excelsis, benedictus qui venit in nomine domini. Hoc multo ante prædixerat propheta sic dicens, Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem, dum destruis inimicum, & vltorem, idest Iudaicum populum, contra quem pugnabat natura, & opificem prædicabat, fungebaturque apostolico munere innocens ætas, necdum loqui valens.

Idem Chrysost. in cat. apud Corderium. Ex ore infantium, & lactentium, &c. Alius habet. Ex ore infantium fundasti potentiam. Alius, Constituisti potestatem: quod autem ait est istiusmodi, quasi dicat, Potentiam tuam hinc vel maximè declarasti, quòd immaturam ætatem ad glorificationem illam illustrasti; prædicit enim hic glorificationem illam Christi, quæ à pueris in têplo facta est. Atqui cur propheta hic, alijs miraculis, vt mortuorum suscitatione, leprosorum mundatione, dæmonum expulsione omissis, puerorum mentionem fecit? quia nimirum illa etiam

4. Reg. 4. 35. antea contigerant, tametsi non tam præclara: Etenim ab Elisæo, & mortuus suscitatus, & leprosus mundatus, & à Dauide dæ-

Ibid. 5. 14. mon expulsus fuit; chorus autem puerorum tunc primum locu-

1. Reg. 16. 23. tus est.

D. Hieron. epist. 145. quæ est ad Damasum. Euangelistarum scriptura commemorat, Pharisæos, & Scribas super hoc indignatione commotos quod viderent populum psalmi prophetiam super Christo intelligere completam clamantes pueros Osanna filio

Mat. 21. 16. Dauid, dixisse ei, Audis quid isti loquuntur? & Iesum respondisse, nunquam legistis quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem? centesimum decimum septimum psalmum octaui psalmi assertione firmantem. Et de eo quidem quod facile exprimi poterat, Benedictus qui venit in nomine domini, omnium Euangelistarum scriptura consentit; de verbo autem Osanna, quia in græcum non poterant transferre sermonem, sicut in Alleluia, & in Amen, & in plerisque factum videmus, ipsum hebræũ posuerũt dicentes, Osanna.

PAS-

PASCHA FACIT CVM DISCIPVLIS SVIS DICENS DESIDERIO DESIDERAVI, &c. *Luc.* 22. 15.

§. XXXIV.

1 *Desiderium cordis eius tribuisti ei ps.* 20. 3.

1 D. *Aug.* Desiderium animæ eius dedisti ei: Desiderauit manducare Pascha; & ponere, cum vellet, atque iterum, cum vellet, sumere animam suam; & dedisti ei.

ADMIRABILE CORPORIS, ET SANGVINIS SVI SACRAMENTVM INSTITVIT. *Matt.* 26.

§. XXXV.

1 *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech ps.* 109. 4.
2 *Parasti in conspectu meo mensam ps.* 22. 5.
3 *Panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo ps.* 77. 24.
4 *Cibauit eos ex adipe frumenti ps.* 80. 16.
5 *Escam dedit timentibus se ps.* 110. 5.
6 *Edent pauperes, & saturabuntur, &c. ps.* 21. 27.
7 *Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ ps.* 21. 30.
8 *Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius ps.* 64. 10.
9 *Et calix meus inebrians, quam præclarus est? ps.* 22. 5.

1 D. *Bruno Episc.* Tu es, inquit, Sacerdos in æternum secundum quod Apostolus ait, Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, non secundum ordinem Aaron, qui iam destructus est, sed secundum ordinem Melchisedech, cuius generatio, sicut scriptum est, neque initium dierum, neque finem habet. Sacrificium Melchisedech panis, & vinum fuit, in quibus Christi corpus, & sanguis significatur. Magnus Sacerdos magnum sacrificium fecit, in quo vniuersum mundum Deo Patri reconciliauit. *Heb.* 7. 24. *Ibid. v.* 3. *Gen.* 14. 18.

D. *Bruno Carth.* Tu es sacerdos constitutus secundum humanitatem, secundum ordinem Melchisedech, idest secundum multiplicem dignitatem; quæ consideratur ordinatim in Melchisedech. Melchisedech quippe Rex iustitiæ interpretatur; qui fuit Rex Salem, idest Rex pacis, sine patre, & sine matre, neque initium dierum, neque finem habens; non tamen vt ita esset in re, sed ideo

dicitur esse sine patre, sine matre, neque initium, neque finem dierum habuisse; quoniam in historia nihil de patre, nihil de matre, siue de initio, siue de fine dierum eius agitur. Iste quoque Melchisedech Sacerdos altissimi legitur fuisse, & panis, & vini sacrificium obtulisse. Hæc igitur omnia in Christo considerari potuerunt, qui nimirum iustitiæ Rex, & etiam pacis est, existens sine patre secundum humanitatem, & sine matre, & absque initio dierum, & fine secundum diuinitatem: qui etiam Sacerdos Altissimi Patris existens veri panis, & vini, scilicet corporis sui, atque sanguinis sacrificium in ara Crucis obtulit: Tu es, inquam, Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: Et hoc in æternum; ita vt sacerdotium eius in loco sacerdotij Leuitici iam euacuati admissum sit durans in æternum in te, & in tuis. In sui quidem persona sacerdos in æternum dicitur, non quòd sacrificium corporis, atque sanguinis in æternum offerat, sed quoniam in æternum pro filijs orat ad Patrem; sacerdotum enim non tantùm est offerre, sed & pro populo orare: In suis autem sacerdos est in æternum, & secundum oblationem, quam in æternum, idest vsque ad finé mundi iugiter offerunt, & secundum orationem; quotidie namque sacerdotes eius, & oblationem dominici corporis, & sanguinis offerunt, & pro populo orationem fundunt.

D. Cypr. epist. ad Cæcilium de Sacramento dominici calicis, quæ est 3. libri 2. secundum autem ordinem temporum 63. In Sacerdote Melchisedech sacrificij dominici Sacramentum præfiguratum videmus secundum quod diuina scriptura testatur, & dicit, Melchisedech Rex Salem protulit panem, & vinum; fuit autem Sacerdos
Gen. 14. 18. Dei summi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in psalmis Spiritus Sanctus ex persona Patris ad Filium dicens, Ante Luciferum genui te: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. qui ordo vtique hic est de sacrificio illo veniens, & descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit; quod panem, & vinum obtulit; quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificiú Deo obtulit, & hoc idem quod Melchisedech obtulerat, idest panem, & vinum, suum scilicet corpus, & sanguinem: Et circa Abraham benedictio illa præcedens ad nostrum populum pertinebat; nam si
Gal. 3. 6. Abraham Deo credidit, & reputatum est ei ad iustitiam, vtique quisquis Deo credit, & fide viuit, iustus inuenitur, & iam pridé in Abraham fideli benedictus, & iustificatus ostenditur, sicut B. Apostolus Paulus probat.

D. Hieron. Tu es sacerdos, &c. superfluum est, nos de isto versiculo velle interpretari, cum scilicet Apostolus ad Hebr. 7. ple-

nissimè disputauit: ipse enim ait, Iste est Melchisedech sine patre, sine matre, sine generatione, & interpretatur ibi diligentissimè, quare sine patre, sine matre, sine generatione, & ab omnibus ecclesiasticis dictum est, quoniam sine Patre dicitur secundum carnem; sine matre dicitur secundum Deum: Hoc ergo solum interpretemur. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: hoc solum dicamus, quare dixerit secundum ordinem: secundum ordinem: nequaquam sacerdos eris secundum victimas iudaicas, sed eris Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: quomodo enim Melchisedech Rex Salem obtulit panem, & vinū, sic & tu offeres corpus tuum, & sanguinem, verum panem, & verum vinum. Iste Melchisedech ista mysteria, quæ habemus, dedit nobis; ipse est, qui dixit, qui manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum: secundum ordinem Melchisedech tradidit nobis Sacramentum suum. *Io. 6.54.*

D. Leo PP. serm. de natali suo in die anniuersario assumptionis suæ ad Pontificatum. Tu es sacerdos in æternum? Ipse enim verus, & æternus est antistes, cuius administratio nec commutationem potest habere, nec finem: ipse est cuius formam Melchisedech Pōtifex præferebat, non Iudaicas hostias offerens Deo, sed illius sacramenti immolans sacrificium, quod Redemptor noster in suo corpore, et sanguine consecrauit: ipse est, cuius sacerdotium Pater non secundum ordinem Aaron cum legis tempore transiturum, sed secundum ordinem Melchisedech perenniter celebrandū cum firmamento insolubilibus iurationibus instituit: nam quia iusiurādum inter homines ijs definitionibus adhibetur, quæ perpetuis pactionibus sanciuntur, diuini quoque iuramenti testificatio in his inuenitur, promissisque incommutabilibus sunt fixa decretis; & quia pœnitentia mutationem indicat voluntatis, in eo Deus non pœnitet, in quo secundum æternum placitum non potest aliud velle, quam voluit.

Idem Leo PP. serm. 2. in die suæ assumpt. Dauidicum psalmum, dilectissimi, non ad nostram elationem, sed ad Christi Domini gloriam consona voce cantauimus; ipse est enim, de quo prophetice scriptum est, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, hoc est non secundum ordinem Aaron, cuius sacerdotium per propagationem sui seminis currens temporalis ministerij fuit, & cum veteris testamenti lege cessauit, sed secundum ordinem Melchisedech, in quo æterni Pontificis forma præcessit, & dum quibus parentibus sit editus, non refertur, in eo ille intelligitur ostendi, cuius generatio non potest enarrari. Denique cum huius diuini sacerdotis sacramentum etiam ad humanas peruenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod

caro, & sanguis creauit, eligitur, sed cessante priuilegio Patrum, & familiarum ordine prætermisso, eos rectores Ecclesia recipit, quos Spiritus Sanctus præparauit.

Rupertus de diuinis officijs lib.5. cap.15. Tu es Sacerdos in æternum, &c. Ipse Pontifex, ipse & hostia noui nobis sacrificij ritum instituit, qua nocte tradebatur accipiens panem, & calicem vini benedicensque, ac dicens, Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei. Tunc enim primum officio sui functus est sacerdotij finem imponens sacerdotio veteri, et post esum agni typici se ipsum, qui verus est agnus, Deo Patri suis offerens manibus. Atque hoc est, quod Apostolus ait, quia non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit in sancta, æterna redemptione inuenta: ipsum namque corpus, quod occisum est ab impijs, ipsum eumdem sanguinem, qui in cruce fusus est, ipse tunc sempiternus sacerdos obtulit, & de quo alio loco dictum est, cum illum Iudæi lapidare vellent, Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo: nunc verò de templo Iudæorum exiuit, & eorum sacrificia dereliquit, seque in sacrificio panis, & vini ita abscondit, vt ab impijs omnino agnosci non valeat, quod ibi sit.

Heb.9.12.

Io.8.59.

Idem Rupertus lib.4. in psalmos c.5. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos, &c. Illum ordinem suum tunc nobis instituit in sacramento corporis sui, dum de torrente in via biberet, atque mox per resurrectionem exaltato capite timentibus se sensum aperuit, vt intelligerent scripturas.

2 *D. Ambros. lib. de Elia, & ieiunio c. 10. initio.* Mystica quoque mensa ieiunio comparatur, illa mensa, de qua dicit Dauid, Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me: mensa ista famis acquiritur pretio, & poculum illud inebrians sobrietate cœlestium sacramentorum siti quæritur; dixit enim Dominus, qui sititis ite ad aquam, & quicumque habetis argentum, ite, & emite, & bibite, & manducate. *Et post pauca:* Meritò dicunt singuli refecti spirituali cibo, & spirituali potu, Parasti in conspectu meo mensam; &, Poculum tuum inebrians quam præclarum est.

ps. 22.5.

Is.55.1.

ps 22.5.

D. Bruno Carth. Parasti, idest statuisti mihi aduersus eos, qui tribulant me, ne per tribulationes deficiam, mensam, idest corporis, & sanguinis tui refectionem, quæ in altaris mensa suscipitur: mensam, dico, in conspectu meo, quem conspicio esse signũ mortis tuæ, vt & ego pro te tribulari, & mori non timeam.

Rupertus lib. 4. in psalmos c. 5. Quæ autem mensa, quam parasti in conspectu meo aduersus eos, &c. nisi corpus tuum, & sanguis tuus, cuius Sacramentum sub alijs speciebus proposuisti intel-

intellectui meo, ne inimici præualerent in me.

3 *D. Cyrill. Alex. lib. 4. in Euang. Io. c.* 10. Psalmista in spiritu clamat, Panem de cœlo dedit eis, panem Angelorum manducauit homo, Videtur enim hęc de maioribus suis dixisse; verè autem non de illis, sed de nobis potiùs dicit: furoris enim penitus plenum est, Angelos, qui natura incorporei sunt, rudiori vti alimento putare, patrocinioque indigere cibi, quemadmodum animata hæc, & terrestria corpora: patet enim quia spiritus sunt, naturàque intellectus, spiritali quoque illos, ac intellectuali frui alimento: quomodo igitur maiores Iudæorum panem hunc Angelorum spiritalem comederunt? Conspicuum igitur est, quoniam Christi, qui vniuersa continet, atque nutrit, figura quędã erat manna sensibile, idcirco quod vmbra veritatis erat, veritatis nomine in spiritu appellauit; & eo quod Angeli terrestri participare cibo nequeunt, vel nolentes ad veritatem à figura impellit auditores, & ad Christum, qui etiam ipsorum Angelornm panis est, ænigmatica oratione reducit.

D. Hieron. Ipse homini cibum præbuit, qui dixit, Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendi: qui manducauerit ex eo, viuet in æternum: hoc enim pane cæli Sancti reficiuntur, & Angeli. *Io. 35. 48.*

D. Lauren. Iustin. serm. de Euchar. n. 7. Cęterum vt manna in deserto Patribus præstitum Corporis Christi scias gessisse figurã, prophetam audi dicentem, Et pluit illis manna ad manducandum: panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo. Nusquam Hæbreorum populum legimus Angelorum manducasse panem, sed tantum coturnices, & manna: verùm neque Angeli mannæ illius vescebantur cibo, quippe cum pro refectione datam fuerit corporum, quibus illi carent; sed Christus Dominus Angelorum dictus est panis, non quod illum sacramentaliter, sed spiritualiter comedunt. Sanè cum Humanitatis ipsius excellentiã, gratiarum affluentiam, gloriæ sublimitatem, vnionem personalẽ, potestatem traditam, & capitis prærogatiuam contemplando mirantur, & diligendo fruuntur, eumdem spiritualiter edunt: At verò homo, qui per fidem ambulat, toties Angelorum manducat panem, quoties corporis, & sanguinis Christi percipit sacramẽtum; namquamuis non eodem modo, quo illi, eumdem tamen manducat cibum: vnus enim Deus vnius Dei, & hominum mediator homo Christus Iesus illis quidem reuelata faciẽ se præbet, hominibus autem per fidem. *Ps. 77. 24.*

Idem Laur. Iustin. de triumph. Christi agone cap. 4. Expergiscere nunc anima mea, Expergiscimini & vos amatores veri, & inconcussi boni, atque tota cordis intentione considerate, quàm dulciter, quam humiliter, quantoque dilectionis affectu Dominus

Iesus

Iesus adhuc passibilis impassibiliter seipsum tribuit in Sacramētū, & efficitor cibus hominum dominus, ac conditor Angelorum. Cōpletur planè nunc quod ore prophetico fuerat prænunciatum, Panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.

4 *D. August.* Et cibauit illos ex adipe frumenti, Miscuit eos sacrificijs suis, & Iudæ quando dedit buccellam, ex adipe frumēti cibauit.

D. Bruno Carth. Cibauit eos ex adipe frumenti, idest ex frumento animas impinguante, scilicet ex Sacramento corporis sui, quod animas impinguat, vt frumentum corpora.

D. Hieron. in illud Isaiæ 55.1. *Venite, emite absque argento vinum, & lac.* Pro lacte, *inquit*, in præsenti loco lxx. adipem trāstulerunt, de quo Dauid dixit in ps. 626. Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea: & in alio loco, Cibauit eos de adipe frumenti: qui adipes non aliud quam mysticam carnem sonant, ad quam Dominus discipulos hortatur dicens, Nisi comederitis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. *Io. 6. 54.*

D. Hieron. In fame pauit Eliam, in deserto populum Iudæorum manna pluit, & completum est, quod dicitur, escam dedit timentibus se. Hoc secundum literam. Escam autem dedit panē, qui de cælo descendit, quo, si digni sumus, pascimur: quanti enim Martyres fame correpti sunt, & nunc sunt cum domino?

D. Laur. Iustin. serm. de Euchar. Equidem donum istud Propheta longe ante considerans modo consueto cum admiratione dicebat, Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se, Misericors itaque dominus in se, & nostri miserator corporis sui sacramentaliter escam præbens suorum, quæ præcesserant, mirabilium specialem nobis voluit exhibere memoriam. Nonne mirabile caritatis indicium extitit, quod Israeliticus populus ex Aegyptiaca seruitute exiturus per esū agni percutiētis Angeli euaderet cladē? quod in deserto idem populus constitutus per annos quadraginta quotidiano mannæ pabulo nutriretur? quod Mosi virga percussa bis petra largifluæ adeo emanarent aquæ, vt sitientis populi ardorem extinguerent? quod propheta subcineritium comedens panem cum fortitudine cibi illius dierum quadraginta perageret iter? Mirāda prorsus hominibus quæ Deus nationi exhibuit Hebræorum munera extiterunt, vt per ipsa agnosceretur, coleretur, diligeretur; & tamen vmbræ fuerunt, quas miramur: peramplius igitur veritatem miremur, & laudemus. Apostolum de his disserentem audiamus, nolo, inquit, vos ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt; & omnes mare transierunt, & omnes *1. Cor. 10. 1.*

nes

nes baptizati sunt in nube, & mari; & omnes eamdem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eumdem potum spiritualem biberunt; bibebant autem de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus. Eamdem, ait, manducauerunt escam, & potum biberunt noui, & veteris testamenti patres, quamquam in vmbra veteres, & sub gratia fideles.

6 *D. August. epist. 120. c. 24.* Edent pauperes, & saturabuntur, &c. Ipsi enim saturabuntur pane, qui de cælo descendit, qui ei adhærentes, & eius pacem dilectionemque seruantes imitantur eius humilitatem. Ideo pauperes in hac paupertate, & satietate præcipuè Apostoli claruerunt. Et laudabunt dominum, inquit, qui requirunt eum, intelligentes non meritorum suorum, sed illius esse gratiæ quod saturati sunt: requirunt enim eum, qui non sunt ex eis, qui sua quærunt, non quæ Iesu Christi. Denique & si caro eorum, qui eum laudant, patitur temporalem tribulationem, vel mortem, viuent corda eorum in seculum seculi.

D. Bruno Episc. Illi, *inquit*, pauperes, qui non mundi honores, diuitias, & dignitates, sed dominum requirunt, quibus ipsa paupertas pro domino placet, edent cibum illum ineffabilem, & saturabuntur secundum hominem interiorem: & laudabunt dominum de tanto beneficio sibi attributo, qui enim manducat hunc panem, dicit dominus, viuet in æternum: Vnde & subditur, viuet cor eorum in seculum seculi. *Io. 6. 59.*

Eusebius in cat. apud Corderium. Edent pauperes: Paulò verò post dicit, Comederunt, sed non comedent. Ceterum cum comedissent, pingues facti sunt; priusquam verò comederent, pauperes appellabantur, quod nondum ipsius cibum accepissent. Saturati enim laudabunt Dominum; Et quis verò fructus? Viuent corda eorum in seculum seculi: nam panis vitæ immortalitatem confert, & vitam æternam; dixit enim, Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi, & do vitam mundo: & rursus: Si quis manducauerit ex meo pane, viuet in æternum.

D. Hieron. Edent pauperes, Apostoli edent corpus Christi: Laudabunt per fidem, & opera cognoscentes, quod ipse est panis viuus, qui de cælo descendit.

Rupertus lib. 2. in Michæam c. 5. Edent pauperes, & saturabuntur. Pascet ergo, scilicet terminos terræ quoadusque magnificabitur, non qualicumque edulio, sed corporis, & sanguinis sui sacramento, quod edentes, & bibentes pauperes saturabuntur: nam corda eorum, id est animæ viuent in seculum seculi: quemadmodum ipse dicit, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. *Io. 6. 52.*

7 *D. August. epist. 120. c. 27.* Manducauerunt, & adorauerunt

runt omnes diuites terræ. Neque enim frustra iam distincti sunt, vt de pauperibus supra diceretur, edent pauperes, & saturabuntur; hic verò, Manducauerunt, & adorauerunt omnes diuites terræ. Et ipsi quoque adducti sunt ad mensã Christi, & accipiunt de corpore, & sanguine eius; sed adorant tantùm, non etiam saturantur; quoniam non imitantur: manducantes enim pauperem, dedignãtur esse pauperes; quia Christus pro nobis passus est, relin-
1. Pet. 2. quens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius.
21. *D. Bruno Episc.* Manducauerunt, & adorauerunt omnes diuites terræ. Egregiè modo diuites dicit, quos paulo ante pauperes vocauerat; quoniam etsi caducis; & transitorijs diuitijs pauperes sint, æternis tamen, & spiritualibus bonis diuites sunt.

Eusebius in cat. græca. Manducauerunt, & adorauerunt, &c. Nunc sanè passim die resurrectionis, qui dominicus appellatur, cernere licet eos, qui mysticum, & sacrosanctum cibum, corpus scilicet Saluatoris sumunt, postquam comederint, adorare eum, qui viuifici cibi dator, & largitor est, & effectum admirari, qui nudis, & apertis verbis perficitur. Pingues terræ Symmachus abundantes terræ interpretatus est: quibus verbis significantur hi, qui animas cælesti cibo nutrierunt, & robustiores facti sunt; at isti quidem comederunt, & adorauerunt. Quoniam verò necesse est, vt omne genu illi flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, merito addidit, in cospectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram, pro quo Aquila vertit, Ante faciem eius flectent omnes, qui descendunt in puluerem: quibus verbis genuflectentes in Ecclesia Dei designauit, in qua flexis genibus, de missa in terram facie adorare consueuerunt.

D. Hieron. Manducauerunt, & adorauerunt omnes diuites terræ; idest Apostoli, vel ceteri Sancti manducauerunt corpus Christi, vt dixit superius. Diuites terræ, hoc est in fide, & opere, vel virtutibus, cognoscentes, quia suauis est Dominus?

Theodorus Heracleota in Comment. apud Corderium. In Ecclesijs hoc factum videtur; siquidem post mysticum istum cibum, qui animam impinguat, bonorum dator adoratur ab his, qui illo pasti sunt.

8 *D. Hilarius*: Habemus & cibum paratum, & quis hic ille cibus est? ille scilicet, à quo ad Dei consortium præparamur per communionem sancti corporis in communionem deinceps sancti corporis collocandi: id enim præsens psalmus significat dicens: parasti cibum illorum, quia cibo illo quamuis in præsens saluemur, tamen in posterum præparamur.

Matt. 15. 9 *D. Laur. Iustin. de triumph. Christi agone c. 4.* Nonne illa
20. vox tua est, quæ ait, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati

ruti estis, & ego reficiam vos? Si tua est, immo quia tua est, cur vociferationibus desideriorum laborantem, atque distillationis inquietate oneratum mærore non reficis? quare potius dolorem addis dolori? Num tu ille es, qui clamabas in templo, si quis sitit, veniat ad me, & bibat, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ? Vtrumque dixisti, Domine: ego itaque vtroque indigeo. Ne igitur, domine, verbis tuis dissimilis videaris in opere, refice me, pasce me de te, tuo me cruore inebria: nolo, vt de cælo manna descendere facias, & illo me pascas, sicut patres in deserto annis plurimis enutristi; sed carne tua, quam de me suscepisti: Neque peto, vt aqua sapientiæ me potes, aut spiritualem illam mihi præbeas aquam, quam Samaritanæ mulieri pollicitus es dicens, Qui biberit ex hac, quam dabo ei, aqua, fiet in eo fōs aquæ salientis in vitam æternam: Hanc in præsenti postpono, atque recuso: calicem exposco, quem in mensa positum conspicio tuo sanguine fœcundatum. De ipso prophetico ore dixisti, Calix meus inebrians quam præclarus est? Hunc postulo, hunc habere desidero. Io.7.37.38 Io.4.14.

ANNOTATIONES.

PVlchrè Rupertus lib. 4. in Gen. c. 4. & 5. in sacrificio Abelis Eucharisticum hoc Seruatoris nostri sacrificium figuratū agnoscit. *Nam primò quod fuit ille pastor ouium, mysterio non vacat; hic enim de se, Ego sum pastor bonus: ego sum pastor ouiū. Præterea obtulit Abel de primitijs gregis sui, & de adipibus eorū; quia verè sacrificium, quod illa nocte Pontifex noster Iesus Christus instituit, quamuis exteriori specie panis, & vinum sit, in veritate agnus est Dei primogenitus omnium agnorum, vel ouium, quæ pertinent ad caulas cœli, ad pascua paradisi.* Hæc Rupertus c. 4. Capite autem 5. *Et notandum*, inquit, *quod non dictum sit tantummodo de primogenitis gregis sui, sed additum, & de adipibus eorum; Etenim hoc verum panis & vini sacrificium non modo caro, & sanguis, sed spiritus & vita est; quia Verbum verum, quod incarnatum est, & vera diuinitas in pane, & vino est. Iste adeps in hoc primogenito est arietum, vel ouium, scilicet in carne, & sanguine eius vera diuinitas, & verum Dei Verbum: Vnde & nos hodieque cum propheta dicimus illi, Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat, vt videlicet sicut tunc, vbi per semetipsum hoc sacramentum condidit, ita & nunc vbicumque per ecclesiæ manus ipse conficit, pinguedo Spiritus, & vita adsit, nequaquam nostrum propter peccata diuina virtutis adeps refugiat, & ipse macrum sacrificij corpus, solummodo dentibus indignè con-* Io. 11. 14. Io.10.2. Gen.4.4. Ps.19.4.

1. Cor. 11. 27. *terendo corporis, & sanguinis Domini reus existat. Et respexit dominus, inquit scriptura, ad Abel, & ad munera eius; ad Cain*
Gen. 4. 4. *vero, & ad munera eius non respexit: Palam cum prophetico testimonio comprobatum est, quia iam non respexit Dominus ad ipsū* Cain, (in quo figuratur Iudæorum populus, Christi cognatione carnis, & secundum originem frater) *& ad munera eius; dicit*
ps. 49. 9. *enim illi per Psalmistam, Non accipiam de domo tua vitulos, ne-*
Ibid. v. 13. *que de gregibus tuis hircos, ac deinceps numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Et confestim de sacrificio huius veri Abel, ad quod Deus respicit; Immola, inquit, Deo sacrificium Cordis, & redde altissimo vota tua. Item cum prophetico quoque testimonio palam est, quia ad hunc Abel, & ad*
v. 14. *munera hac eius, munera inquam panis, & vini, Deus respicit; dicit enim de seipso Spiritus S. in Dauid, Iurauit dominus, & non*
ps. 109. 4. *panitebit eum: Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.*

Tu es Sacerdos in æternum, &c. D. Laurent Iustin. de triūph. Christi agone c. 4. longè ab initio. *Cum Dei filius in assumpta humanitate summi, & aeterni Sacerdotis fungeretur honore iuxta vaticinium Dauid dicentis, Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, officij dignitatem, sacrificijque libamen ad similitudinem perfecit Senioris Melchisedch, quamuis illo nobilior esset, genere, & oblatione: Nam Sacerdotis sui dignitatem non ab hominibus, sed à Deo; neque temporaliter, sed aeternaliter sortitus est, sicut dicitur, Tu es Sacerdos in aeternum; Generationem verò eius quis enarrabit; natus est enim in terris de matre sine patre, & in caelis de patre sine Matre; de Deo Deus; de aeterno coaeternus, ita vt illius, de quo genitus, sit imago inuisibilis absque vlla gloriæ, & diuinitatis dissimilitudine; oblatio quoque illius plusquam dici potest superuenies, & excedit: Nā Melchisedech oblatio figura fuit, illa autem Domini Iesu veritas figurata; illius sacrificium terrenum erat, huius verò caeleste; illud corrumpendum, hoc immortale secundum Sacerdotij qualitatem ita eorum oblatio. Mortales erant veteris legis Sacerdotes, ideo moriturorum, atque irrationabilium animalium victimas immolabant, & quoniam morte interueniente diu permanere prohibebantur, propterea plures fiebant in lege, ne sacerdotalis dignitas deperiret; Dominus autem Iesus, eo quod maneat in aeternum sempiternum habet sacerdotium, ideo per semet ipsum accessit non in sanguino alieno, neque victimas immolaturus iumentorum, sed sui corporis hostiam immaculatam pro totius mundi satisfactione delicti; Talis prorsus iuxta Apostoli sententiam decebat, vt nobis fieret Pontifex sanctus, innocens impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior caelis factus, qui non*

ba-

habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre; deinde pro populi. Hoc autem fecit in consumatione seculorum ad detestationem peccati per sui corporis hostiam, & ad suorum abolenda scelera electorum; cuius viuifica oblationis memoriam in sacramentali panis, & vini hostia dereliquit.

Christi Domini calicem etiam pro eiusdem passione positum reperies in scripturis, quemadmodum inter alios aduertit D. Hieron. in illud Matt. 20. 22. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Cuius excellentiam* (inquit D. Laur. Iustin. c. 7. de triump. Christi Agone) *expressit propheta, cum diceret, Calix meus inebrians, quam praeclarus est? Inebriat prorsus contemplantis animum dominicae passionis calix, & mentis rapit affectum, eumque iucundo amore perfundens tamquam ebrium facit. Quomodo non inebriet meditantem, cum amor ipse inebriauerit patientem? amore quippe ebrius Mediator suam coram omnibus exhibuit nuditatem: Alter quidem Noè praefiguratus in spiritu Ecclesiae plantauit vineā,* *Ps. 79. 12.* *qua extendit terminos suos à mari vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius. Huius vilis ebrietatis dulcedine obtecta Maiestatis gloria humanitatis verenda nudauit: caritatis eius percussus iaculo, serui forma suscepta, in cuius patibulo non erubuit mori.*

PRODITVR A DISCIPVLO.

Mat. 26. 15.

§. XXXVI.

1 *Et si ingrediebatur vt videret, vana loquebatur: cor eius congregauit iniquitatem sibi: egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum, &c. ps. 40. 7. & seqq.*

1 D. *Ambros.* De Iuda quoque proditore euidens prophetia subtexitur in his versiculis. Ingrediebatur ergo Iudas quaerens prodere Saluatorem, vt videret quid ageret, quidue loqueretur, vt eum caperet in sermone, & Iudaeis annunciaret. Sed nihil inueniebat, qui nihil intelligebat: bene ait Scriptura, quia intus cum Iesu non erat, qui de doctrina eius recesserat, & institutiones eius reliquerat. Volebat intrare, sed penetrare nō poterat, quia eum sua excludebat perfidia; omnis enim impudicus, aut auarus, aut immundus, quod est idolorum seruitus, non habet haereditatem in regno Christi, & Dei. *Eph. 5. 5.* Non solum ergo ingredi moliebatur, & non ingrediebatur, sed etiam volebat videre, & non videbat. Denique loquebatur Iesus in parabolis, sed non audiebat Iudas; denique diuina non audiebat mysteria; non enim omnes audiunt verbum Dei, qui sibi videntur audire: nam

Mat. 19. 12. si omnes audirent, non diceret Iesus, qui potest capere capiat, & ideo quia non audiebat, neque videre poterat, loquebatur va-
Mat. 26. 9. na pro veris, & putabat quod Iesum falleret dicens Potuit hoc venundari, & dari pauperibus; cum furtis suis, non pauperibus prouideret, appellans Rabbi, atque doctorem, a cuius magisterio deuiabat; cuius cor, in quod se immerserat diabolus, congregabat sibi, & augebat iniquitates; sibi enim erat iniquus, sibi infestus, sibi delinquebat, qui intra se dolum meditabatur, qui
Io. 13. 21. latere non poterat. Non enim circumueniebatur Iesus, qui pro-
Matt. 26. 25. debatur, volens, & testificabatur. Vnus ex vobis me tradet. Denique confessus est Iudas dicens; Nunquid ego sum Rabbi? & Dominus ait, Tu dixisti. Nec sic intellexit Iudas, quod cognosceretur; nam si intellexisset, non prodidisset: sed nihilominus egrediebatur foras, & loquebatur. Pulchre ait egrediebatur foras; foris enim lupi, foris prædones; intus Moyses in nube cum Iesu; foris Iudæi, intus Zacharias Sacerdos in templo; foris multitudo, intus Spiritus S. in cordibus nostris clamat ad Patrē; foris aduersarius noster, sicut leo, peruigilat ad rapinam; foris infidelis, intus fideles. Et ideo eos; qui foris sunt, iudicabit Deus; eos autem, qui intus sunt, Christus absoluit. Egrediebatur igitur Iudas, & loquebatur: egrediebatur de fide, egrediebatur de concilio, & numero Apostolorum; egrediebatur de concilio Christi ad latrocinium diaboli; egrediebatur de gratia sanctificationis ad laqueum mortis, qui vana ad perfidos loquebatur; egrediebatur foras, qui vitæ internæ mysteria relinquebat, egrediebatur, qui scripturæ interiora non nouerat: si enim scisset intellexisset dicentem, Nunquid qui dormit non adijciet, vt re-
ps. 40. 9. surgat? Intellexisset etiam illud, Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui semper mecum dulces capiebas cibos,
ps. 54. 13. in domo Dei ambulauimus cum consensu. Non intelligit ergo hunc psalmum, non centesimum, atque octauum, non alios, non alia testimonia scripturarum, de quo bene Euangelista dicit Ioannes, & ceteris infidelibus, Ex nobis exierunt, sed non erant ex
1. Io. 2. 19. nobis: Non manebat ergo cum Apostolis proditor, qui foras exibat, & cum perfidis susurrabat, quo verbo vsa est scriptura diuina demonstrans sine auctoritate esse perfidiam, quæ timet, quod loquitur, deprehendi: fideli autem dicitur, Exalta viribus vocem tuam. En quo deciderat Apostolus Iudas, qui missus erat fidem gentibus pleno auctoritatis præconio prædicare, vt in aure insusurraret insidiatoribus magistri sui, quod timet audiri. Nonne iudicio suo seipse damnauit? Sed erubescebat audiri, quia aduersus vitæ suæ, sanctificationis, & honoris auctorem, cogitabat mala, nec gratiam beneficijs rependebat, sed mala pro bonis bo-

no referebat magistro, quod etiam seculi homines damnare consueuerunt: Erubescebat ingratus deprehendi; erubescebat auarus videri, cum pro pecunia auctoris sui salutem proderet; Erubescebat videri perfidus: Similiter Iudæi, qui aduersus fidei magistrũ falsos testes perfidos subornabant, vt dicerent, quòd prædicasset, templum Dei, quod Salomon condidit, destruendum, cum ille de templo sui corporis significasset, soluite hoc templum, & in triduo suscitabo illud. Verè foris erant, qui à cognitione Verbi cælestis erant exclusi, Verbum inquit, iniquum proposuerũt aduersum me, idest illicitum, & contra ius, & nefas, sermonem proposuerunt mihi facientes de humano sanguine pactiones, quẽ sceleratissimè vendidit Iudas, Iudæi quoque emendum non minore scelere crediderunt, vanissimi homines, quasi qui dormit, non adiiciet, vt resurgat. Io. 2.19. Psal. 40.9.

D. Chrysost. Et si ingrediebatur, vt videret, vana loquebatur, Hoc apertè dictum est de Iuda proditore, quando in torrente Cedron cum laternis, & facibus explorans ingressus est: tunc enim frustra Iudæis loquebatur dans signum suæ proditionis, quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Si enim noluisset, non fuisset proditus; sed nec potuissent tenere, qui eum comprehenderunt; Cor eius congregauit iniquitatem sibi, & cogitabat. Id autem ostendit, quando Christus adesse permisit tempus propter nostram salutem; neque enim id aliter potuisset facere: id autem ostendit Ioannes talia de Iuda referens; dicit ei Iesus, quod facis, fac citius. Præsentis itaque psalmi prophetia ea per ordinẽ inducit, quæ cum historia Euangelica optimè conueniunt. Egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum. Vnde egrediebatur? A cœna Domini; hos enim adiuit hic ipse Theologus, quæ de Iuda dicuntur; Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuò, erat enim nox. Quid autem egressus loquebatur, nos docuit Matthæus Euangelista, Profectus autem vnus ex duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, & veniens ad Sacerdotes dixit ipsis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? illi autem constituerunt ei triginta argenteos. Quamobrem pulchrè conueniunt ea, quæ consequuntur, Aduersus me susurrabant omnes inimici mei, dicens Pontifices, qui vnà cum Iuda conspirabant, qui quidem de Iesu susurrabant cum Iuda paciscentes; neque enim id palam facere audebant, timentes multitudinem. Aduersum me cogitabant mala mihi: verbum iniquum constituerunt aduersum me. Marcus hoc rursum exponit, Quærebant sacerdotes, & Scribæ, quomodo ipsum dolo tenerent, & occiderent; dicebant enim, non in die festo, ne forte tumultus fiat populi. Hoc consilium non solum vocat malum, sed etiam iniquum, quandoquidẽ Matth. 26. 48. Io. 13.27. Io. 12. 30. 26. 15. 14. 2.

vo-

volebant, multitudinem festum differre; oportebat autem in festo Paschæ agnum tunc vendi, & sacrificari, quando typica ouis sacrificabatur.

Origenes in Catena apud Corderium. Occulti, & manifesti inimici Christi mortem ipsi machinabantur; Iudas verò ingrediebatur quidem vt videret ea, quæ fiebant, & dicebantur in parabolis; loquebatur autem variè, quippe non valens illa intellectu comprehendere propter malitiam, quæ ipsum excæcabat; Siue, cum à Saluatore, & Apostolorum conuersatione desciuisset, vanè loquebatur præceptorem dominum appellans, dum cor illius iniquitatem congregaret. Hic item egrediens, idest à Iesu disciplina desciscens loquebatur in idipsum Pharisæis aduersus Saluatorem, & clam mouebat proditionem; quin etiam cor praua cogitantis, & hæretica comminiscentis congregat iniquitatem sibi; qui quando acceperit, foras egreditur, de quibus dictum est,
Mar.4.11. Ijs, qui foris sunt in parabolis, & eos, qui foris sunt, Deus iu-
2. Cor. 5. 13. dicat.

Rupertus lib. 2. in Zaccheriam c. 5. Hinc est illud Psalmistæ, quod tam de traditore, quam de omni inimicorum cætu, qui di-
ps.40.6. xerunt, quando morietur, & peribit nomen eius? rectè intelligitur, Cor eius congregauit iniquitatem sibi, Egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum; aduersum me susurrabant omnes inimici mei; aduersum me cogitabant mala mihi; verbum iniquum constituerunt aduersum me. Nimirum sic agendo amphora intus versabatur; tunc autem egressa est, quando diffinito cōsilio tamquam ad latronem exierunt cum gladijs, & fustibus; &
Matt. 26. 47. seditiosis clamoribus petierunt, atque effecerūt, vt crucifigeretur.

Matt. 26. 21.

DE PRODITIONE IVDAE CONQVERITVR.

§. XXXVII.

1 *Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem ps.40. 10.*

2 *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique; & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. ps. 54. à v. 13.*

1 HVius psalmi de se testimonium affert dominus ipse Iesus Christus Io. 13. 18. dicens: Non de omnibus vobis dico; ego scio quos elegerim; sed vt adimpleatur scriptura, Qui man-

manducat meum panem, leuabit contra me calcaneum suum. *Ps. 40. 10.*

D. Ambros. Etenim homo pacis meæ, &c. Aliqui Iudam excusandum putant, quia refudit pecuniam, quam pro mercede proditionis acceperat; sed ecce quia vltra Iudæorum condemnatur infidelitatem: cui enim plus datum est, plus exigitur ab eo. Quid, inquit, de alijs querar? Homo pacis meæ, cui pacem meam dederam, pacem meam relinquere volebam, persecutoribus deductis me tradidit, & fefellit me, in quem speraui. Numquid ignorauit proditorem sui futurum, de quo prædixit, vnus ex vobis me tradet? Hoc autem dicebat de Iuda, sicut scriptum est in Euangelio: Non vtique, sed quò amplius condemnaret eum, de fide eius, sperasse se dixit. Aquila, Confisus eram, dixit: Symmachus posuit, Confidebam: plus enim grauamus eum, in quo plurimum spei, vel fiduciæ habuisse nos dicimus, si postea spem nostram, opinionemque destituit. Simul ostendit, quantauis diuinæ sanctificationis vis sit, quæ excludat malitiam, & deprauatum emendet ingenium, si forma propositi melioris accedat: *Et post pauca*: Ideo ergo sperasse se dicit, quasi iure præsumpserit, vt Apostolus superiora deponeret, meliora sequeretur; & qui sanctificandi alios munus acceperat, ipse in se sanctitatis gratiam custodiret, & sinceritatis inhæreret officijs. Bene ait, speraui, quia homini dedit eligendi arbitrium, quod sequatur. Posui, inquit, ante te bonum, & malum: si malum elegeris, non natura delinquit, sed eligentis affectus: si vnusquisque hominum damnatur, qui malum elegerit, quid de Iuda dicimus, qui prodidit eum, cui copulabatur suauitate conuiuij? Qui edebat, inquit, panes meos, magnificauit super me supplantationem. Quid est quod addidit, panes meos; potuit dicere, qui edebat panes mecum, nisi illam intelligas, quæ specialis est Christi, hoc est verbi cælestis alimoniam; non enim in solo pane viuit homo; sed in omni verbo Dei. *Matt. 4.4.* Denique alibi dicit, qui semper mecum dulces capiebas cibos: quibus versiculis benè vtimur aduersus eos, qui necandos esse crediderint, cum quibus videntur epulati: Gentiles hoc custodire memorantur, hostes plerumque; latrones etiam, vt parcant ijs, cum quibus recordantur, se iuisse conuiuium: feræ ipsæ pabulorum societate mitescunt; vnde propter huiusmodi affectum gratiæ conuiualis, si verba consideremus, non otiosè dulces cibos dixit quomodo enim dulces, qui cito corrumpuntur? Sed vide, ne cibos dulces dixerit verba vitæ, hos enim cibos nulla amaritudo corrumpit, nulla mortis corruptela contaminat: Vnde & semper dixit; non enim semper edere quis poterat; semper autem verbo Dei possumus inhærere, & noctibus, & diebus, si in lege Dei die, & nocte meditemur. Quid est etiam, Ampliauit? *Ps. 1.2.*

Græ-

Græciis Σμεγάλυνεν dixit, hoc est magnificauit. Verumque nobis exposuit Dominus, quod mouere nos posset dicens in Euangelio; Qui manducat meum panem, leuauit super me calcaneum. Et ego vidi aliquem puer athletam, cum elisisset aduersarium, frontem ei percussisse calcaneo, quod signum fuit, quod insultauerit victo: hoc est quod ait, Magnificauit super me supplantationem, quo verbo insultantis iactantiam declarauit. Leuauit ergo, & Iudas super Christum calcaneum suum, cum proderet eum, sed non leuauit impune. Et vtique ei pedes lauarat Christus, audierat dicentem, qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, & est mundus totus: sed quod lauit gratia, inquinauerat perfidia. Iudas ergo calcaneum leuauit ad vulnus: verè non tenuit caput, qui calcaneum super Christum leuauit. Adam super se leuauit, hic super Christum; & ideo eum serpens grauius, quam ceteros, vulnerauit. Leuauit calcaneum suum, qui fraudulentum osculum porrigebat, quo supplantaret auctorem, ideoque scriptum est in propheta, Ampliauit super me supplantationem. Ideo & Iudas supplantasse dicitur, quia osculo suo vulnus infixit, quo inuadendi Saluatoris signum persecutoribus demonstrauit. Supplantauit ergo quasi serpens, quia serpens ore venenum infundit, & vulnerat dente calcaneum; & hic enim non diuinitatem Christi sed corporis extremum calcaneum vulnerauit. Leuauit etiam Iudas calcaneum, quasi luctator insolens, & superbus, quo caput percuteret Saluatoris, sed caput Christi ferire non potuit, quia caput Christi Deus: suum sane caput informis laquei nodo ligauit, vt remedium sibi salutis auferret.

Io. 13. 18.

Io. 13. 10.

D. Basilius in scholijs ad ps. 40. Non enim, *inquit*, inimici mei mortem intentarunt, sed & homo ille qui mihi conuixit, & pacem, ac beneuolentiam hypocrita simulauit, qui eadem mensa, & alimonia mecum est vsus, dolum, quem habebat, enudauit: dolum enim calcaneum nominauit, ex eorum videlicet metaphora, qui decurrendi velocitate certantes eos, qui vna currunt, calcaneo, ad hoc vt impingant, & cadant, impedire conantur.

D. Bruno Episc. Etenim homo pacis meæ, &c. Væ tibi Iudas, côtra, quem ista dicuntur, qui dominum, & magistrum pacis osculo tradidisti, qui de te bonam spem prius habebat, & te, sicut alios diligebat: suis panibus, & spiritualibus, & corporalibus nutriebat, & per te quoque baptizabat, & miracula faciebat. Tu miser ampliasti aduersum me supplantationem; tu sponte tua te obtulisti ad traditionem; tu dixisti, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam, cum nemo ad tradendum, nisi diabolus, & auaritia tua te sollicitaret.

Matt. 26. 15.

D. Bruno Carth. Etenim homo pacis meæ, idest Iudas, homo sim-

simpliciter, non specialis, compos pacis meæ, idest erga quem pacem habeo ferendo eum patienter, cum ipse mihi nimis aduersetur, vel simulator pacis meæ, idest qui simulabat se mecum habere pacem, vt me osculo tradat. Qui edebat panes meos, idest qui conuictor meus est, vel panes meos speciales, idest doctrinam, qua pascuntur animæ fidelium, & sacramentum corporis & sanguinis mei: Super me existens; idest superior pro reputatione sua, magnificauit supplantationem, idest magnam parabit mihi deceptionem, vt osculo scilicet me tradat; non tamen deceptionem quantum ad me, sed quantum ad æstimationem suam.

D. Chrysost. *Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Pacem vocat prædicationem Euangelicam, per quam qui Deo tunc eramus inimici, pacem cum Deo habuimus. Homo ergo pacis meæ Iudas; quandoquidem fuerat discipulus prædicationis, in quo tantũ sperauit Christus, idest acquieuit, vt ipse comederet panes dominicos in catino cum ipso intingens: Hoc autem faciebat Christus neque ignorans, neque proditorem alijs præferens; sed nihil ei volens relinquere, quo suam posset defendere, aut excusare proditionem. Adeo in Iesum magnificauit supplantationem, vt, cum eum sæpe non inuitum supplantasset, hoc est in eum se improbè gessisset, vt ex loculis susciperet pecunias, postea ipsum quoque dominum per proditionem supplantare aggressus sit.

Idem Chrysost. adu. Gent. quod Christus sit Deus. Tradendus erat à participe mensæ suæ proditorem agente; Vides quomodo & illum reuelauerit Propheta? Qui comedit, ait, panem meum magnificauit calcaneum. Considera item; quam consonet Euangelium, Qui intinxit, ait, mecum manum suam in catinum, me tradet. *Mar. 14. 20.*

Eusebius in cat. apud Corderium. Manifestè de Iuda hoc dicit; erat enim Iudas homo pacis Saluatoris; cum audiuerit etiam ipse cum ceteris discipulis Saluatoris, Pacem meam do vobis; Sed in quo speraui, inquit, vel secundum Aquilam confisus sum, cum etiam ipsum æque, ac ceteros Apostolos æqualibus donis affecerit: *Io. 14. 27.* confidebat autem ei, & bonam de ipso spem habebat Saluator propter libertatem; non enim natura sua impossibile erat, ipsum saluari, sed poterat, si pariter cum ceteris Apostolis erudiri voluisset; non solum enim communem cum præceptore panem sumebat, sed illius etiam, qui animam nutrit, particeps extitit, de quo Saluator, Ego sum panis, qui de cælo descendi. *Io. 6. 51.*

D. Hieron. Manifestissimè hic Iudam denuntiat proditorem, sicut ipse Dominus in Euangelio ait, Cui ego panem intinctum dedero, ipse est: Et alibi Leuabit aduersum me calcaneum. Quod *Io. 14. 20.*

autem ait, Edebat, hoc est qui cælestem cibum vitam huic mūdo dantem sumebat, & alijs distribuebat, cum esset Apostolus, ipse hanc vitam, morti propter cupiditatis pretium destinauit.

S. Maximus hom. 1. de S. Latrone. Mira res! plus in Cruce latro Christum diligit, quam Iudas dilexit in cœna: ille per cibum supplantauit magistrum; hic credidit dominum per dolorem, sicut ait propheta, qui edebat panes meos, adamplauit aduersum me supplantationem.

Theodoretus in cat. apud Corderiū Etenim homo pacis meæ, &c. Non solum enim inimici mei machinati sunt mihi mortem, sed etiam homo, qui mecum consuetudinem habebat, & beneuolentiam simulabat, quique mecum vescebatur, dolum, quem continebat, patefecit; dolum enim calcaneum nominauit ex translatione eorum, qui de celeritate contendunt, & suo calcaneo moliuntur; vt concurrens impingat simul, & cadat: Hoc etiam Esau

Gen. 27. 36 à Iacobo deceptus dixit, Iustè vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me altera vice: primogenita mea ante tulit; & nunc surripuit benedictionem meam.

2 *D. Bruno Episc. quoniam si inimicus meus, &c.* Erat Iudas vsque ad id temporis vnanimis cum Domino, sibique familiaris, eiusque secretorum, & consilij particeps, quem, sicut ceteros, dominus diligebat; quamuis talem aliquando futurum sciebat. Sola præsentia iudicat dominus, nec præterita, nec futura intuetur. Qualiscumque fueris, si hodie bonus es, securus esto: peccator

Is. 43. 25. quacumque hora confessus fuerit, dicit dominus, omnium iniquitatum eius non recordabor: Sed vigilandum est semper,

Matt. 25, 13. quia nescimus diem, neque horam. Tu verò, inquit, homo vnanimis, dux meus, idest Dux, & Apostolus, sicut ceteri, aliorum omnium à me constituti: Et notus meus, quem ego inter primos, magisque familiares discipulos habebam: Qui simul mecum dulces capiebas cibos, & spirituales videlicet, & corporales secundum illud: qui intingit mecum manum in propside, hic me tra-

Mar. 14. 20. det: Nam & ipse de illis vnus erat, quibus Dominus dixerat,

Luc. 8. 11. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis: Et isti quidem erant cibi dulcissimi, quos simul cum domino capiebat. In domo Domini ambulauimus cum consensu: sæpe enim in templo Salomonis cum consensu, & reuerentia Dominum secutus se sibi coram omni populo, & amicum, & discipulum esse ostendit; vnde si Deum non timebat, vel faciem hominum erubescere debuerat.

D. Greg. hom. 18. in Ezech. Minus animum ad iracundiam commouent ea mala, quæ nobis ab apertis aduersarijs irrogantur, hoc plus solet dolere, quod à proprijs patimur: Vnde & per

Psal-

Psalmistam ipsa veritas contra traditorem suum loquitur dicens; quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, supportassem vtique. Tu verò vnanimis dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.

Idem Greg. hom. 35 in Euang. Minorem dolorem mala ingerũt, quæ ab extraneis inferuntur; plus verò nobis ea tormenta sæuiunt, quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præsumebamus, quia cum dãno corporis mala nos cruciant amissæ caritatis. Hinc est enim quod de Iuda traditore suo per Psalmistam Dominus dicit. Et quidem si inimicus meus maledixisset mihi, supportassem vtique; & si is, qui oderat me super me, magna locutus fuisset, abscondissem me vtique ab eo: Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Et rursum homo pacis meæ, in quo sperabam, & qui edebat panes meos, ampliauit super me supplantationem: Ac si de traditore suo apertis vocibus dicat, Transgressionem eius tanto grauius pertuli, quanto hàc ab eo, q ui meus esse videbatur, sensi.

D. Hieronymus Quoniam si inimicus meus, &c. Non hic tantũ de passione dominns quæritur, sed & de discipulo traditore: nã legimus in Euangelijs, quia absconderit se à Iudæis; à Iuda autem non se abscondit, sed eum etiam conuiuio sancto asciuit, sicut sequitur, Tu vero, &c. qui cum alijs coniunctus eras Apostolis: Dux meus ad prædicandum cum ceteris missus: Et notus meus; quia me per legis mysterium cognoueras esse venturum Dux meus, notus meus: Vox Christi de Iuda: Vnanimis, dicit; quia videbatur ab alijs quasi bonus: Dux dicit; propter quod Christũ tradidit, dux mortis fuit: Notus, quando misit eos binos ante faciem suam in prædicatione: qui simul mecum dulces capiebas cibos, Cum mandatis vitæ, & voluntate Patris plerumque refectus es; cibus enim dulcis est Patris facere voluntatem: vel cibus dulcis, idest corpus, & sanguis Christi, quod ipse accepit indignus. In domo Dei; &c. sæpe enim cum ipso Domino in templo Salomonis cum prædicationis consensu abijt.

Io. 8.59.

D. Hilarius Quoniam si inimicus meus, &c. Querela non de passione est, sed de Apostolo traditore: nam cum salutem generi humano suscepta crucis morte donaret, non potest videri sacramentum hoc magnæ pietatis arguere: nam vtique si inimicus esset, querelæ causa non esset, cum in se consummaretur, quod ad salutem nostram pateri ipse voluisset: & sicuti si odiens se locutus super se magna esset, absconsus ab eo fuisset, quia ei non cognitus in homine Deus esset, & ob hoc minus esset criminis nescienti. non enim gentes verbum carnem factum prænuncia-

 sibi

sibi lege didicerunt, quod vtique his, qui sub lege sunt, etiam ipsis gestis ad speciem futuræ veritatis aptatum est, cum, & hominem Abraham adorauit, & Iacob in homine Deum vidit, portasse se vtique hęc opprobria gentium, quod, cum esset homo Deum se faceret, quod dæmonium habens populum seduceret, quia ignorassent hæc omnia in lege, quæ ad Israel est, contineri. Verumtamen cum vnanimis, & dux, & notus hęc faciat; vnanimis, cum electus in Apostolum est; dux cum demorante domino ipse ad prædicationem aduentus sui ad castella præmissus est, futuri regni dux ab eo, ac princeps est constitutus; notus autem, cum omnes ingressus eius, egressusque didicisset, cognosceretque in hominis filio & Dei filium, qui & particeps in demutando ex aqua vino, & dulcificando in populi cibum hordeo extitisset, conuiuioque eodem vsus esset, secumque Dei domum semper esset ingressus maiorem de se querelam in hoc consortium diuini ministerij assumptus exhibuit.

Io. 18. EGREDITVR ORATVRVS TRANS TORRENTEM CEDRON.

§. XXXVIII.

1 *De torrente in via bibet ps. 109. 7.*

1 D. *Hieron.* Ipse dominus atque Saluator bibit, & calicem de torrente Cedron: sic enim scriptura refert, quando venerunt, & comprehenderunt eum, Venerunt, inquit, & comprehenderunt eum in torrente.

Albertus M. De torrente, De tribulatione, & angustia turbulenta, & transitoria bibet innitans consanguineos ad eumdem potum, Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Ad Matt. 20. 22. literam in horto trans torrentem Cedron captus fuit, & ad passionem ductus.

ANNOTATIONES.

D. Bern. in sententijs inter alios, quos recenset, torrentis quoque Cedron meminit. *Quinque*, inquit, *sunt torrentes: Crudelitatis, & malitiæ, qui est Cyson, apud quem Iabin occiditur: Philosophialis eloquentiæ, hic est Cedron, vltra quem Iesus egreditur: Passionis, & angustiæ, hic est in via, de quo Iesus dicitur bibisse: Cælestis sapientiæ, apud quem Elias pascitur: Iucunditatis, & lætitiæ, quo potantur electi.* Dauid cum in multis, tum

in eo potissimum figuram exprimit Saluatoris quod petitus ab inimicis transgreditur torrentem Cedron 2. Reg. 15. 23. statimque ascendit cliuum oliuarum adoraturus Dominum ibid. v. 30. & 32.

CAEPIT PAVERE, TAEDERE, ET MAESTVS ESSE. Matt. 27.

§. XXXIX.

1 *Cor meum conturbatum est in me; & formido mortis cecidit super me: timor, & tremor venerunt super me ps. 54. 5. & 6.*
2 *Factum est cor meum tamquam cera liquescens ps. 21. 15.*
3 *Quare tristis es anima mea? ps. 42. 5.*
4 *Circumdederunt me dolores mortis; & torrentes iniquitatis conturbauerunt me ps. 17. 5.*
5 *Repleta est malis anima mea ps. 87. 4.*

1 D. *Basil. in scholijs ad ps. 54.* Ipse Dominus Christus tametsi passionem suam prædixisset, hanc tamen, cum instaret, deprecatus est: idque vsque adeo, vt & guttas sanguinis sudaret; oportebat enim etiam hoc pacto natura passionis capacē declarare. Lu. 22. 44.

D. Hieron. Cor meum conturbatum est in me, &c. Secundum hominem, sed virtute diuina confortatum est; nam & Angelus, inquit Euangelista, accedens confortabat eum. Timor, & tremor, &c. Timor animæ, & tremor corporis: Timor animæ, siquidem dixit, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Lu. 22. 43.

Innoc. III. serm. de Annunc. V. In gradum pauoris ipse se descendisse fatetur in psalmo, Formido mortis cecidit super me, timor, & tremor venerunt super me.

2 *D. Basilius in schol. ad ps. 21.* Et ista circa passionis tempus facta sunt; nam cor quidem illius metu, sicut cera, calore ignis dissolutum est, & virtus priorem efficaciam non ostendit.

Theodoretus in cat. græca. Cor quidem præ timore, tamquam cera igni admota, euanuit.

3 *D. August.* Vt quid tristis es anima mea? & vt quid conturbas me? Vide, si non est ista allocutio in illo conflictu Apostoli in se præfigurantis quosdam, & forte nos, & dicentis, Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, &c. Tales ita pugnantes etiam ipse dominus præfigurare dignatus est, cum ait, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Rom. 7. 22

4 *D. Bruno Carth.* Circumdederunt, idest circumuallabunt do-

dolores mortis, idest ad mortem me deducentes: & ipsi dolores existentes timentes iniquitatis, idest cito transitorij, & immodicij, sicut timentes ab iniquitate eorum, non è meritis meis prodeuntes, conturbauerunt, idest conturbabunt me secundum carnē, vt in Euangelio cœpit pauere, & tædere. Et bene ponit Torrentes, cum impetu namque dolores illi ad modum torrentium affluxerunt, vt citissimè vitam extorquerent.

5 *D. August.* Audemus ne dicere, Animam Christi repletam malis, cum illa passionis afflictio in carne valuerit, quidquid valuit? Vnde & ipse suos ad tolerantiam passionis accendens, & tamquam ad respondendum exhortans chorum suum, Nolite,
Matt. 10. inquit, timere eos, qui corpus occidunt, animam autem nō pos-
28. sunt occidere. An occidi anima à persecutoribus non potest, malis autem repleri potest? Quod si ita est, quærendum, quibus? non enim vitijs, per quę homini dominatur iniquitas, animam illam repletam possumus dicere: sed forte doloribus, quibus anima suæ carni in eius compassione compatitur; non enim vel ipse, qui dicitur corporis dolor, potest esse sine anima, quem inenarrabiliter imminentem præcedit mæstitia, quæ solius animæ dolor est: dolere ergo anima, etiam non dolente corpore, potest; dolere autem corpus sine anima non potest. Cur itaque non dicamus, non hominis peccatis, sed tamen humanis malis repletam fuisse animā
Is. 53. 4. Christi, de quo alius Propheta dicit, quod pro nobis doluerit, &
Matt. 26. Euangelista, Assumpto itaque Petro, & duobus filijs Zebedei cœ-
27. pit contristari, & mœstus esse; & ipse Dominus de se ipso, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Hæc futura præuidens Propheta psalmi huius conscriptor, inducens eum loquentem, quoniam repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit: nam ipsam sententiam verbis alijs explicauit, qua dictum est, Tristis est anima mea vsque ad mortem; quod enim ait, Tristis est anima mea, hoc dictum est, Repleta est malis anima mea; & quod sequitur, vsque ad mortem, hoc dictum est, & vita mea inferno appropinquauit.

PETIT A PATRE, CALICEM A SE VT TRANSFERAT.

Matt. 26. 39.

§. XXXX.

1. *Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me: Erue me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salua me ps. 58. 1.*
2. *Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam ps. 21. 22.*

3 Libe-

3 *Libera me, quia egenus & pauper sum ego, & cor meum conturbatum est intra me ps. 108. 22.*
4 *Vitam petijt à te, & tribuisti ei. ps. 20. 5.*

1 D. *August.* Erant illi quidem viri sanguinum, qui iustum occiderunt, in quo nullam culpam inuenerunt. Erant illi viri sanguinum, quia cum vellet alienigena lotis manibus dimittere Christum, clamauerunt, Crucifige, Crucifige: Erant viri sanguinum, quibus cum obijceretur crimen sanguinis Christi, responderunt propinantes posteris suis, sanguis eius super nos, & super filios nostros.

2 *D. Basilius in schol. ad ps. 28. ad illa verba dilectus quemadmodum filius vnicornium.* Obseruatum est autem, inquit, quod ad vtrumque similitudine vnicornis scriptura vtitur: quandoque enim laudatur; interdum verò vituperatur. Libera, inquit, ex gladio animam meam, & à cornibus vnicornium humilitatem meam, populum seditiosum detestatus hoc dixit, qui Crucis tempore Domino rebellauit. ps. 21. 22.

3 *D. Bruno Episc.* Libera me, quia egenus, &c. Egenus quidem & pauper est, qui se à suis inimicis defendere non potest. Talis quantum ad se erat humanitas Christi; sed quia diuinitas sibi coniuncta erat, nihil erat, quod ipse non posset. Simul itaque, & pauper, & diues erat; & egebat, & non egebat. Et cor meum conturbatum est intra me: & hoc quidem ad humanitatem spectat, sicut de eo scriptum est, coepit tædere, & mæstus esse. Facit humanitas quod suum est, & diuinitas quod suum; quia nisi hoc faceret, quis eum hominem esse crederet? si enim solius diuinitatis naturam, & potentiam ostendisset, nemo eum hominem esse credidisset. Valde ergo nobis necessarium fuit, vt has afflictiones pati se esse Saluator noster ostenderet.

D. Bruno Carth. Libera me à mortalitate, & passibilitate; quia egenus, idest impotens alterius ope liberari, quam tua: & pauper, idest insufficiens ope mea saluari: quod est, ac si dicat mortalis sum, & passibilis, & non sit potens ad patiendum, vt nihil patiar; sed ita quod cor meum conturbatum est intra me, idest in potestate mea; scilicet hoc non fit præter voluntatem, & dispositionem meam, cum Deus sim, & omnipotens.

Hugo Card. Libera me à passionis angustia; quia egenus sine amicis, & pauper sine diuitijs: Et cor meum conturbatum est intra me, conturbatum erat cor eius, quando dicebat, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Matt. 26. 38.

4 *D. Bruno Episc. Vitam petijt à te.* Petijt quidem quando dixit, Pater si possibile est, transeat à me calix iste. Et tu quid fecisti? Matt. 26. 39.

cisti ? & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum seculi, plus, inquit, fecisti, quam ipse rogabat; quoniam ipse paucorum dierũ vitam postulabat, tu verò tribuisti ei longitudinem dierum in seculum seculi.

Luc.22. 43. ## CONFORTATVR AB ANGELO.

§. XXXXI.

1 Minuisti eum paulo minus ab Angelis ps. 8. 6.

1. RVpertus *lib. 2. in Zacchariam c. 2. ad illa verba capitis 3. 1. Et ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini, & Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei.* Quid illud, *inquit*, significauerit, in eadem visione innuitur his verbis *eiusdem v. 5. 8.* Audi Iesu Sacerdos magne, tu, & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt: ecce enim ego adduco seruum meum Orientem, &c. Itaque Iesus ille, quem, vel potius speciem, siue imaginem videbat in nocte stantem coram Angelo Domini portentum fuit serui Dei, serui inquam illius nomine Orientis, qui cum in forma Dei esset propter nos semetipsum exinaniuit formam serui accipiens; vnde
Phil. 2. 7. & rectè dicitur seruus Domini, quia propter nos seruiuit, & obe-
Phil. 2. 8. diens fuit vsque ad mortem, mortem autem Crucis. In illa forma stare habebat Sacerdos magnus coram Angelo Domini, Minuisti, ait enim, eum paulominus ab Angelis; minoritatem illam hæc dictio pulchrè innuit, stantem coram Angelo Domini. Pulchrius autem, & venerabilius illud in Euangelio, quod cum factus in agonia prolixius oraret, & sudaret sudorem sanguineum, apparuit
Luc.22. 43. illi Angelus de cœlo confortans eum, Maior vtique minorem, vtpote nunquam moriturus continuò moriturum.

ANNOTATIONES.

DEmissionem hanc Filii Dei venientem ad se Angelum ad confortandum excipientis nequit admirari satis D. Bern. serm. 1. de S. Andrea. *Apparuit, inquit, Angelus confortans eum; quem eum? planè eum, cui nascituro clausus patuit Virginis vterus, cuius nutu in vinum aqua mutata est, cuius tactu lepra fugata, sub cuius plantis solidum mare stetit, ad cuius vocem mortui surrexerunt, denique eum, qui portat omnia verbo virtutis suæ, per quem facta sunt omnia, per quem omnia subsistunt, etiam & Angelus ipse. Et quid dicam, quem eum? minus eum mirarer, si non ver-*

nitus

nitus esset indicibilis. Confortans eum: quem eum? cuius ne ipse quidem confortator suus capere poterat maiestatem. Vnde ad Angelum ipsum se conuertens, eumdem alloquitur in hæc verba: *Rogo te, Angele, quem consolaris? an ignorabas, quis esset, ad quem consolandum veniebas? Certè consolator est, certè paracletus est; alioquin non diceret, alium paracletum à Patre mittendū Apostolis, si non esset & ipse paracletus. Denique agnosco, & in hoc ipso paracletum maximum, agnosco paracletum benignissimum, qui prope sit his, qui tribulato sunt corde.* Io. 14. 16. Ps. 33. 19.

Verum vt admirari tandem desinat, rectè aduertit serm. 73. in Cant. Filium Dei propter assumptionem carnis minoratū quidem in psalmo ab Angelis dici; esse tamen ijsdem Angelis meliorē: nā de eo Apostolus, *sedet ad dexteram maiestatis in excelsis tanto melior Angelis effectus, quanto differentiùs præ illis nomen hæreditauit. Quid enim,* subdit mellifluus Doctor, *si in psalmo legimus minoratum ab Angelis? Neque enim non melior, quia minor; nec contraria sunt locuti Apostolus, & Propheta, quippe habentes eumdem spiritum: nam si dignationis fuit quod minoratus est, non necessitatis; nihil planè in hoc bonitati præscribitur, sed ascribitur. Denique minoratum Propheta perhibuit, non minorem attollens gratiam, & propellens iniuriam; nam & minoritatem natura recusat, & minorationem excusat causa: nempè minoratus est, quia ipse voluit; minoratus est sua voluntate, & nostra necessitate: sic minorari misereri fuit: quænam perditio hæc? protectio accessit pietati, quidquid maiestati visum est deperijsse. quamquam nec Apostolus tacuit hoc magnum magnæ pietatis arcanum, sed ait, eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum.* Idem est hac de re D. Gregorij sensus hom. 8. in Ezech. *Incarnatus,* inquit, *Vnigenitus Patris per hoc quod homo factus est, infra Angelos fuit, sicut de eo scriptum est, Minuisti eum paulo minus ab Angelis; resurgens autem, & ascendens in cælos omnibus Angelicis potestatibus præsidet, sicut de eo illic rursum scriptum est, omnia subiecisti sub pedibus eius, & sicut ipse ait. Data est mihi omnis potestas: qui & priusquam per resurrectionis exaltaretur gloriam, diuinitate super Angelos fuit, sed tamen ab Angelis, vt dictum est, humanitate minoratus, ex qua & morti subiacuit: at postquam mortem resurgendo calcauit, humanitatem suam etiam maiestatibus Angelorū superposuit; quia humani generis Redemptor humanitatem, quam descendendo sub Angelis assumpsit, ascendendo super Angelos exaltauit. Sic verò factum eum sub Angelis dicimus, sicut factum sub lege, prædicante Apostolo, audiuimus. Assumptam ergo huma-* Heb. 1. 4. Heb. 2. 9. Matt. 28. 18. Gal. 4. 4.

nitatem sub Angelis accipimus pro ea minoratione, in qua dignatus est apparere: nam mox vt Verbum caro factum est, mox Deus homo potestate super Angelos fuit; de ipso quippe ante passionem scriptum est, Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei: sed tamen vt humanitatis eius infirmitas monstraretur, rursum de eo scriptum est, Apparuit illi Angelus de calo confortans eum: Indumento ergo vtriusque natura huic, & Angeli ministrare, hunc & Angelus confortare describitur; vnus quippe in vtraque natura, quoniam qui Deus ante secula extitit, homo factus est in fine seculorum, cui tamen ante passionem suam, & Angeli ministrant, & hunc Angelus confortat; post passionem verò, atque resurrectionem eius huic Angeli ministrare possunt, sed enim hunc confortare non possunt.

Matt.4. 11. Luc.22. 43.

Ex quo etiam factum est, vt quam priùs venerationem exhiberi sibi ab homine Angelus patiebatur, eamdem post Verbi incarnationem non admitteret. *Huic est enim*, inquit idem Greg. hom.8.
Gen.19. 1. in Euang. *quod Loth, & Iosue Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur; Ioannes verò in Apocalypsi sua adorare Angelum voluit, sed tamen idem hunc Angelus, ne se debeat adorare, compescuit dicens, Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum. Quid est, quod ante Redemptoris aduentum Angeli ab hominibus adorantur, & tacent; postmodum verò adorari refugiunt, nisi quod naturam nostram, quam priùs despexerant, postquam hanc super se assumptam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt? nec iam sub se, velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se, videlicet in cæli Rege, venerantur; nec habere dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum.*

Ios.5.15. Ap.22.9.

Audiamus & Rupertum de maioritate, & minoratione Filij Dei per comparationem ad Angelos sic differentem lib.1. in Matt. c.1. *Quid ergo*, inquit, *significabat, quod Angeli quoque Dei ascendebant, & descendebant per eam? nimirum vt subintelligas illud, quod non dubium est: quia vnus idemque, qui de Maria natus est, vno eodemque tempore, quando natus est, & Angelis maior, & Angelis erat minor: Ascendentes ergo vidit Angelos, idest Deum habere supra se, in quem desiderant Angeli prospicere; quod reuera est ascendere: descendentes vidit eosdem, idest minorem considerare, quam se, hominem vnum, & eumdem, quemadmodum Psalmista dicit, Minuisti eum paulo minus ab Angelis. An non erat descendere tamquam ad minorem, siue inferiorem id quod refert Euangelium, quia dum factus in agonia prolixius oraret, apparuit illi Angelus de calo confortans eum? Verumtamen eo modo iam non descendunt, non minorem aspiciunt, ex quo resurgente illo à mortuis, & ascendente in calum factum est, quod ei idem præscriptum fuerat, Gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum, &c.*

1. Pet.1. 12.

Ps. 6. & 7.

ACCE-

ACCEDENTI IVDÆ CVM COHORTE ARMIS INSTRVCTA OCCVRRIT IMPAVIDVS. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Io. 18.

§. XXXXII.

1 *Non timebis à timore nocturno ps. 90. 5.*

1 D. *Bruno Episc.* Timorem nocturnum illum dicit, quando ipsa nocte, qua traditus est, Iudæi simul cum Iuda traditore cum gladijs, & fustibus irruerunt in eum, qui, si timuisset, potius fugisset, quam eis obuiam isset. Matt. 26. 55.

IVDAS MAGISTRVM BLANDE ALLOCVTVS, ET OSCVLATVS TRADIT IN MANVS INIMICORVM. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22.

§. XXXXIII.

1 *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula ps. 54. 22.*

2 *Os peccatoris, & os dolosi super me apertum est ps. 108. 2.*

1 D. *Basil. in schol. ad ps. 54. legit* Molliti sunt sermones eorum, *subditque* Tales erant & Saulis, & Iudæ sermones: Saul enim ad Dauidem dixit, Tu ne es, fili Dauid? Iudas verò, 1. Reg. 24. 17. Num ego sum Rabbi? & osculatus est eum. Verba quidem læui oleo, ac butyro; cogitationes verò hastis, & iaculis acutissimis Matt. 26. 25. erant similia: Aquila enim pro iaculis hastas reddidit. Postquam igitur Dauid de his, quæ sibi contigerunt, ad hunc modum exposuit, & insidias, quæ Domino sunt structæ, prædixit.

D. Cypr. in expos. symboli ad illa verba Crucifixus sub Pontio Pilato, Molliti sunt sermones eius super oleum. Vis videre, quomodo molliti sunt? Venit, inquit, Iudas ad Iesum, & dixit ei, Aue Matt. 26. 49. Rabbi, & osculatus est eum. Per mollo ergo osculi blandimētum execrabile iaculum proditionis infixit; vnde & Dominus ad eum Luc. 22. 48. dixit, Iuda osculo filium hominis tradis?

D. Cyrillus Hierosl. catechesi 13. Iudas erat proditor, & veniens ex aduerso, & stans pacifica loquebatur, hostilia autem moliebatur. Dicit igitur de hoc Psaltes, Amici mei, & propinqui mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt: Et rursus, molliti sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula: Salue Magi-

ſter; & tradidit Magiſtrum in mortem, & non ſenſit dicentis admonitionem, Iuda, oſculo filium hominis tradis? fermè enim hoc ad ipſum dixit admonens eum per ipſius appellationem; Iudas enim vocatur confeſſio: intellige; accepiſti argentum; confitere.

D. Hieron. Cum ait, molliti ſunt, &c. de pluribus dicit, cum priùs de vno locutus fuiſſet. Ergo intellige Diabolum nuncupatum & Iudam, qui leniores oleo fecit ſermones ſuos, cum ait, Aue Rabbi, & oſculatus eſt eum.

2 *Heſychius in cat. apud Corderium* Iudã inſinuat, de ipſo enim maxima pars huius pſalmi ſcripta eſt: cuius os priùs tamquam peccatoris, deindè verò tamquam doloſi contra Dominum apertum fuiſſe reperiemus: nam tamquam peccator, & iniquus Iudæis

Matt. 26. dixerat, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? tam-

15. quam doloſus, Aue Rabbi ad Ieſum dixit, & oſculatus eſt eum,

Matt. 26. oſculum in ſignum proditionis donans capientibus eum.

49. *D. Hieron.* Videamus, quomodo os Iudæ proditoris apertum eſt in dominum. Venit ad Dominum, vt eum tradat, & dicit, Rabbi, hoc eſt magiſter: Ecce os peccatoris, & os doloſi.

Matt. 26.

CIRCVMVENIVNT IESVM MILITES, VT EVM CAPIANT.

§. XXXXIV.

1 *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me pſ. 21. 13.*

2 *Circumdederunt me canes multi pſ. 21. 17.*

3 *Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis pſ. 117. 12.*

1 D. *Ambr. in expoſ. pſ. 43. ad illa verba. Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem, & deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro*, Vide, ne ijs in circuitu poſitis illuſioni, & deriſui fuiſſe commemoret, de quibus dixit Dominus, Circumdederunt me vituli multi: circumdederunt enim eum perſecutores, quando ſecundum conſilium voluntatis ſuæ ſubijt paſſionem;

pſ. 117. 11. vnde & alibi ait, Circumdantes circumdederunt me, & in nomine Domini vltus ſum in eos.

D. Auguſt. in epiſt. 120. c. 14. Circumdederunt me vituli multi, hoc eſt minores in plebe: tauri pingues obſederunt me, hoc eſt ſuperbi, ac diuites Principes plebis.

D. Baſil. in ſchol. ad pſ. 21. Deinde, & ſpecies paſſionis ſuæ prædicit, Circumdederunt me, *inquit*, vituli multi; tauri pingues

gnes obsederunt me, Tauros vocat Sacerdotes, & scribas, quibus concreditus erat principatus in populum, qui multa fuerant vsi contumacia: Vitulos verò subiectos illis vocat; nominat autem eos pingues, tamquam in bonis à se superadditis delicìantes, taurorumque, ac leonum vesaniam, & ferociam imitantes.

D. Bruno Episc. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues, &c. Tauri pingues Principes Sacerdotum Scribæ, & Pharisæi omni malitia, & nequitia incrassati, & pleni intelliguntur: Vituli verò cetera populi multitudo, quæ quasi Doctores, & Magistros eos sequebantur.

D. Laurent. Iust. c. 8. de triumph. Christi agone, Circumdederunt me vituli multi, &c. obsederunt vtique vt circumuenirent, raperent, ligarent, ducerent, quò? ad Annam Pontificem. nempè innocentissimus Dominus tamquam homicida crudelis sine honore, sine pietate, & absque pudore ductus Annæ Pontifici sistitur iudicandus: vt enim omnem fidelibus suis præberet patientiæ formam, iniqui Iudicis, vniuersorum Index non renuit astare conspectui.

Rupertus lib. 11. in Matt. c. 26. Fuit ergo duplex illusio, altera canum, altera vitulorum: canum, idest Gentilium; vitulorum lasciuientium, idest Iudæorum, sicut ipse in psalmo clamauit, & ad hoc clamans dixit; Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me: aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens, &c. quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me: Foderunt manus meas, & pedes meos. Miro modo prophetia hæc ordinem tenuit historiæ, siue rei gerendæ; vt, sicut futurum erat, & sicut factum est, quod priùs à Iudæis, & deinde à Gentilibus illusus, & malè tractatus est; ita priùs de Iudæis, & Iudæorum Pontificibus querelam deprомeret sub nominibus vitulorum, & taurorum pinguium, qui quasi munda erant animalia, quia putabant, vel dicebant, se cognoscere Deum: deinde de gentibus sub nomine canum, quia sine Deo viuentes, nec saltem nomen scientes eius, palam immundi erant.

ps. 21. 13. *v. 14.* *v. 17.*

Theodoretus Nuncupat tauros Sacerdotes, & scribas, quibus principatus populi commissus erat, quique multa audacia vtebantur; vitulos autem eorum subditos. Vocat eos pingues tamquam bonis ab ipso suppeditatis perfruentes; sic enim prædixit magnus Moses, & comederunt Iacob, & incrassatus est dilectus, recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum.

ps. 71. 7. *Deut. 32. 15.*

2 *D. August. epist. 120. c. 16.* Quoniam circumdederunt me canes multi, Canes eos videlicet appellans, qui plerumque contra inno-

nitatem sub Angelis accipimus pro ea minoratione, in qua dignatus est apparere: nam mox vt Verbum caro factum est, mox Deus homo potestate super Angelos fuit; de ipso quippe ante passionem scriptum est, Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei: sed tamen
Matt.4. 11. *vt humanitatis eius infirmitas monstraretur, rursum de eo scriptum*
Luc.22. 43. *est, Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum: Indumento ergo vtriusque naturæ huic, & Angeli ministrare, hunc & Angelus confortare describitur; vnus quippe in vtraque natura, quoniam qui Deus ante secula extitit, homo factus est in fine seculorum, cui tamen ante passionem suam, & Angeli ministrant, & hunc Angelus confortat; post passionem verò, atque resurrectionem eius huic Angeli ministrare possunt, sed enim hunc confortare non possunt.* Ex quo etiam factum est, vt quam priùs venerationem exhiberi sibi ab homine Angelus patiebatur, eamdem post Verbi incarnationem non admitteret. *Huic est enim*, inquit idem Greg. hom.8.
Gen.19. 1. in Euang. *quod Loth, & Iosue Angelos adorant, nec tamen ado-*
Ios.5.15. *rare prohibentur; Ioannes verò in Apocalypsi sua adorare Angelum voluit, sed tamen idem hunc Angelus, ne se debeat adorare, com-*
Ap.22.9. *pescuit dicens, Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum. Quid est, quod ante Redemptoris aduentum Angeli ab hominibus adorantur, & tacent; postmodum verò adorari refugiunt, nisi quod naturam nostram, quam priùs despexerant, postquam hanc super se assumptam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt? nec iam sub se, velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se, videlicet in cæli Rege, venerantur; nec habere dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum.*

Audiamus & Rupertum de maioritate, & minoratione Filij Dei per comparationem ad Angelos sic differentem lib.1. in Matt. c.1. *Quid ergo*, inquit. *significabat, quod Angeli quoque Dei ascendebant, & descendebant per eam? nimirum vt subintelligas illud, quod non dubium est: quia vnus idemque, qui de Maria natus est, vno eodemque tempore, quando natus est, & Angelis maior, & Angelis erat minor: Ascendentes ergo vidit Angelos, idest*
1. Pet.1. 12. *Deum habere supra se, in quem desiderant Angeli prospicere; quod reuera est ascendere: descendentes vidit eosdem, idest minorem considerare, quam se, hominem vnum, & eumdem, quemadmodum Psalmista dicit, Minuisti eum paulo minus ab Angelis. An non erat descendere tamquam ad minorem, siue inferiorem id quod refert Euangelium, quia dum factus in agonia prolixius oraret, apparuit illi Angelus de cælo confortans eum? Verumtamen eo modo iam non descendunt, non minorem aspiciunt, ex quo resurgente illo à mortuis, & ascendente in cælum factum est, quod itidem præscrip-*
Ps.8.6.& 7. *tum fuerat, Gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum, &c.*

ACCE-

ACCEDENTI IVDÆ CVM COHORTE ARMIS INSTRVCTA OCCVRRIT IMPAVIDVS. *Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Io. 18.*

§. XXXXII.

1 *Non timebis à timore nocturno ps. 90. 5.*

1 D. *Bruno Episc.* Timorem nocturnum illum dicit, quando ipsa nocte, qua traditus est, Iudæi simul cum Iuda traditore cum gladijs, & fustibus irruerunt in eum, qui, si timuisset, potius fugisset, quam eis obuiam isset. *Matt. 26. 55.*

IVDAS MAGISTRVM BLANDE ALLOCVTVS, ET OSCVLATVS TRADIT IN MANVS INIMICORVM. *Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22.*

§. XXXXIII.

1 *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. ps. 54. 22.*

2 *Os peccatoris, & os dolosi super me apertum est ps. 108. 2.*

1 D. *Basil. in schol. ad ps. 54. legit* Molliti sunt sermones eorum, *subditque* Tales erant & Saulis, & Iudæ sermones: Saul enim ad Dauidem dixit, Tu ne es, fili Dauid? Iudas verò, *1. Reg. 24. 17.* Num ego sum Rabbi? & osculatus est eum. Verba quidem læui oleo, ac butyro; cogitationes verò hastis, & iaculis acutissimis *Matt. 26. 25.* erant similia: Aquila enim pro iaculis hastas reddidit. Postquam igitur Dauid de his, quæ sibi contigerunt, ad hunc modum exposuit, & insidias, quæ Domino sunt structæ, prædixit.

D. Cypr. in expos. symboli ad illa verba Crucifixus sub Pontio Pilato, Molliti sunt sermones eius super oleum. Vis videre, quomodo molliti sunt? Venit, inquit, Iudas ad Iesum, & dixit ei, Aue *Matt. 26. 49.* Rabbi, & osculatus est eum. Per molle ergo osculi blandimentum execrabile iaculum proditionis infixit; vnde & Dominus ad eum *Luc. 22. 48.* dixit, Iuda osculo filium hominis tradis?

D. Cyrillus Hierosol. catechesi 13. Iudas erat proditor, & veniens ex aduerso, & stans pacifica loquebatur, hostilia autem moliebatur. Dicit igitur de hoc Psaltes, Amici mei, & propinqui mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt: Et rursus, molliti sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula: Salue Magi-

ſter; & tradidit Magiſtrum in mortem, & non ſenſit dicentis admoditionem, Iuda, oſculo filium hominis tradis? fermè enim hoc ad ipſum dixit admonens eum per ipſius appellationem; Iudas enim vocatur confeſſio: intellige; accepiſti argentum; confitere.

D. Hieron. Cum ait, molliti ſunt, &c. de pluribus dicit, cum priùs de vno locutus fuiſſet. Ergo intellige Diabolum nuncupatum & Iudam, qui leniores oleo fecit ſermones ſuos, cum ait, Aue Rabbi, & oſculatus eſt eum.

2 *Heſychius in cat. apud Corderium* Iudã inſinuat, de ipſo enim maxima pars huius pſalmi ſcripta eſt: cuius os priùs tamquam peccatoris, deindè verò tamquam doloſi contra Dominum apertum fuiſſe reperiemus: nam tamquam peccator, & iniquus Iudæis

Matt. 26. dixerat, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? tam-

15. quam doloſus, Aue Rabbi ad Ieſum dixit, & oſculatus eſt eum,

Matt. 26. oſculum in ſignum proditionis donans capientibus eum.

49. *D. Hieron.* Videamus, quomodo os Iudæ proditoris apertum eſt in dominum. Venit ad Dominum, vt eum tradat, & dicit, Rabbi, hoc eſt magiſter: Ecce os peccatoris, & os doloſi.

Matt. 26.

CIRCVMVENIVNT IESVM MILITES, VT EVM CAPIANT.

§. XXXXIV.

1 *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me pſ. 21. 13.*

2 *Circumdederunt me canes multi pſ. 21. 17.*

3 *Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis pſ. 117. 12.*

1 D. *Ambr. in expoſ. pſ. 43. ad illa verba. Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem, & deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro*, Vide, ne ijs in circuitu poſitis illuſioni, & deriſui fuiſſe commemoret, de quibus dixit Dominus, Circumdederunt me vituli multi: circumdederunt enim eum perſecutores, quando ſecundum conſilium voluntatis ſuæ ſubijt paſſionem;

pſ. 117. 11. vnde & alibi ait, Circumdantes circumdederunt me, & in nomine Domini vltus ſum in eos.

D. Auguſt. in epiſt. 120. c. 14. Circumdederunt me vituli multi, hoc eſt minores in plebe: tauri pingues obſederunt me, hoc eſt ſuperbi, ac diuites Principes plebis.

D. Baſil. in ſchol. ad pſ. 21. Deinde, & ſpecies paſſionis ſuæ prædicit, Circumdederunt me, *inquit*, vituli multi; tauri pingues

gues obsederunt me, Tauros vocat Sacerdotes, & scribas, quibus concreditus erat principatus in populum, qui multa fuerant vsi contumacia: Vitulos verò subiectos illis vocat; nominat autem eos pingues, tamquam in bonis à se superadditis deliciantes, taurorumque, ac leonum vesaniam, & ferociam imitantes.

D. Bruno Episc. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues, &c. Tauri pingues Principes Sacerdotum Scribæ, & Pharisæi omni malitia, & nequitia incrassati, & pleni intelliguntur: Vituli verò cetera populi multitudo, quæ quasi Doctores, & Magistros eos sequebantur.

D. Laurent. Iust. c. 8. de triumph. Christi agone, Circumdederunt me vituli multi, &c. obsederunt vtique vt circumuenirent, raperent, ligarent, ducerent, quod ad Annam Pontificem. nempè innocentissimus Dominus tamquam homicida crudelis sine honore, sine pietate, & absque pudore ductus Annæ Pontifici sistitur iudicandus: vt enim omnem fidelibus suis præberet patientiæ formam, iniqui Iudicis, vniuersorum Iudex non renuit astare conspectui.

Rupertus lib. 11. in Matt. c. 26. Fuit ergo duplex illusio, altera canum, altera vitulorum: canum, idest Gentilium; vitulorum lasciuientium, idest Iudæorum, sicut ipse in psalmo clamauit, & ad hoc clamans dixit; Circumdederunt me vituli multi, tauri *ps. 21. 13.*
pingues obsederunt me: aperuerunt super me os suum, sicut leo *v. 14.*
rapiens, & rugiens, &c. quoniam circumdederunt me canes multi, *v. 17.*
concilium malignantium obsedit me: Foderunt manus meas, & pedes meos. Miro modo prophetia hæc ordinem tenuit historiæ, siue rei gerendæ, vt, sicut futurum erat, & sicut factum est, quod priùs à Iudæis, & deinde à Gentilibus illusus, & malè tractatus est; ita priùs de Iudæis, & Iudæorum Pontificibus querelam deprometet sub nominibus vitulorum, & taurorum pinguium, qui quasi munda erant animalia, quia putabant, vel dicebant, se cognoscere Deum: deinde de gentibus sub nomine canum, quia sine Deo viuentes, nec saltem nomen scientes eius, palam immundi erant.

Theodoretus Nuncupat tauros Sacerdotes, & scribas, quibus principatus populi commissus erat, quique multa audacia vtebantur; vitulos autem eorum subditos. Vocat eos pingues tamquam bonis ab ipso suppeditatis perfruentes; sic enim prædixit magnus Moses, & comederunt Iacob, & incrassatus est dilectus, recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum facto- *ps. 78. 7.* *Deut. 32.*
rem suum. *15.*

2 *D. August. epist. 120. c. 16.* Quoniam circumdederunt me canes multi, Canes eos videlicet appellans, qui plerumque contra

inno-

ps. 21. 21. innocentes latrant, cum quibus non habent consuetudinem. *Canis autem proprietatem ibidem expressit, dum verba illa eiusdem psalmi interpretatur, & de manu canis vnicam meam*, Canem verò, inquit, appellauit mundum non ratione, sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantem; hæc est enim canum natura, vt cum quibus habent consuetudinem, siue illi boni, siue mali sint, non ad eos latrent, insolitorum autem personis visis, etiam innocentibus, irritentur.

D. Basil. in schol. ad ps. 21. Quoniam circumdederunt me canes multi, Post Iudæos etiam Gentilium militum meminit; nam illis eum Iudæi tradiderunt. Rectè autem tauros Iudæos, istos verò canes nominauit; illi enim sub iugo legis erant, licet manifestè legem transgrederentur; isti verò secundum legem erant immundi.

D. Bruno Episc. Circumdederunt me canes multi; gentilium malignantium, &c. Canes & concilium malignantium Iudæos vocat, contra eum sine causa, & ratione latrantes.

D. Bruno Carth. Circumdederunt me, vt caperent, canes, idest ministri multi irrationabiliter in me oblatrantes, qui ad eorum salutem veneram, sicut canes sæpè sibi auxiliantibus oblatrant.

Eusebius in cat. græca. Postquam de Iudæis mentionem fecit, militum quoque meminit; nam militibus Iudæi Iesum tradidere: vnde est, quod animaduertas ipsam prophetiam rerum ordinem obseruasse. Ceterum meritò illos quidem tauros; hos verò canes appellauit: nam Iudæi sub iugo legis erant, licet palam legem transgrederentur; gentes verò contra legem erant impurissimi: sic & Chananeam Dominus appellauit dicens, non enim bonum

Matt. 15. 26. est sumere panem de manu filiorum, & dare canibus.

D. Hieron. Circumdederunt me canes multi, Canum proprium est, vt Domino suo congaudeant, & latronem allatrent: Canes hìc Iudæi intelliguntur, qui allatrauerunt Christum, & latroni congauisi sunt, hoc est Barabbæ, quando illum petierunt, & Christum occiderunt.

Nicephorus in cat. græca Canes multi, scilicet Romanorum milites, qui canes ideo dicuntur, quia tum immundi erant secundum legem, tum etiam impudentes secundum mores.

Theodoretus Post Iudæos de gentium exercitu mentionem facit; nam illi his eum tradiderunt: propterea & vaticinatio rerum

Matt. 15. 26. ordinem obseruauit. Merito autem illos quidem tauros, hos verò canes nominauit, non enim bonum est, inquit, sumere panem filiorum, & dare catulis. Sed tamen post Crucem, qui olim canes erant, per fidem in filiorum ordinem transiuêrunt; & qui olim tamquam filij tractabantur, canum appellationem acceperunt, tamquam canes contra Dominum rabie perciti. De his B. Paulus exclamat,

clamat, Videte canes, videte malos operarios, videte concisionē. *Phil. 3. 2.*
Tamen propheticus sermo canes appellans, inquit, Concilium malignantium obsedit me.

3 *D. August. Circumdederunt me, sicut apes fauum.* Hic iam ex ordine gestarum rerum etiam verborum ordo contexitur: nam ipsum dominum caput Ecclesiæ rectè accipimus circumdatum à persecutoribus, sicut circumdant apes fauum: quid enim ab ignorantibus gestum sit, mystica subtilitate Spiritus sanctus loquitur: mel quippe apes operantur in fauis; nescientes autem persecutores domini fecerunt eum nobis in passione dulciorem, vt gustemus, & videamus, quam suauis est Dominus, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. *ps. 33. 19. Rom. 4. 25.*

D. Basilius in schol. ad ps. 117. Circumdederunt me, sicut apes fauum, & exarserunt sicut ignis in spinis. Vides, quomodo malorum magnitudinem per geminationem loquendo describat: non enim simpliciter circumdederunt, sed sicut apes, & velut ignis in spinis. Per apes innuit, quam propensi fuerint inimici, & cupidi ad infestandum; per ignem verò, quam intolerabilis fuerit illorum furor, & quam inextinguibilis.

D. Chrysost. Vidisti, quomodo describit ærumnarum magnitudinem! non enim dixit solummodo circumdederunt me, sed tamquam apes, & tamquam ignis in spinis. Per apes quidem promptitudinem, & animi alacritatem; per spinas verò iram intolerabilē, &, quæ extingui non poterat, bilis ardorem significans. Quis enim cohibuerit ignem, qui in spinas incidit? Eos tamen, inquit, adeo vehementer, & adeo celeriter accensos cum me medium intercepissent, non solum effugi, sed etiam victus sum. Vide, hoc ipsum fieri in materia: ignis enim rubum vrebat, & neque rubus comburebatur, nec ille extinguebatur, sed vtraque tamen tunc manebant simul conuersantia, nec se consumentia: atqui quid est rubo magis flaccidum, & imbecillum? quid verò igne est ardentius? admirabilis tamen Dei potentia res faciens, quæ opinionem superant, permisit, vt vtraque manerent. Huiusmodi quoque nunc accidit miraculum: tamquam ignis enim accurrebant, tamquam apes cum magna animi alacritate inuadebant, intus interceptorē tenebant, nec aliquid potuerunt facere: arma enim inuicta, auxilium inexpugnabile, Dei nomen, omnes expulit. *Ex. 3. 2.*

ANNOTATIONES.

INuasores Christi Domini in horto apibus à Propheta comparantur, non ob multitudinem modo, verum etiam furorem indignationemque nimiam: simul enim iratæ apes acriter instant, e quibus Poeta.

Illis ira modum supra, læsaque venenum
Morsibus inspirant, & vulnera cæca relinquunt;

Rectè autem in eos Redemptor noster tamquam in apes se circumdantes, & tamquam ignis in spinis exardescentes in nomine Domini vltus asseritur; nihil enim prohibet, quominus vltionem hanc sumptam de militibus missis à Principibus Sacerdotum illam ipsorum consternationem interpretemur abeuntium retrorsum, &
Io. 18. 6. cadentium in terram, vbi audierunt, Ego sum, Dei scilicet no-
Ex. 3. 14. men Moysi propalatum, cum ad filios Israel mitteretur. Significauit hoc Chrysostomus in extremis eius, quod supra retulimus, sententiæ verbis, *Arma enim inuicta*, inquit, *auxilium inexpugnabile Dei nomen omnes expulit*. Porrò hanc eamdem consternationem non semel idem Propheta prædixit; nam in ps. 26. 2. Dum appropiant, *inquit*, super me nocentes, vt edant carnes meas, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt: Rursum in ps. 34. 4. Confundātur, & reuertantur qui quærunt animam meam; auertantur retrorsum, & erubescant. Denique in ps. 35. 13. Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, nec potuerunt stare.

Matt. 26. *Mar.* 14. *Luc.* 22. *Io.* 18.

FVGIVNT DISCIPVLI, ET TAMQVAM OVES PERCVSSO PASTORE DISPERGVNTVR.

§. XXXXV.

1 *Et qui iuxta me erant, de longe steterunt, &c. ps.* 37. 12.
2 *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea ps.* 21. 15.
3 *Elongasti à me amicum, & proximum, & notos meos à miseria ps.* 87. 19.
4 *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ ps.* 68. 9.
5 *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum ps.* 68. 4.
6 *Oculi mei languerunt præ inopia ps.* 87. 10.
7 *Genua mea infirmata sunt à ieiunio ps.* 108. 24.

1 D. *August.* Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt: Et proximi *sic omni legit pro eo quod habetur in vulgata, Et qui iuxta me erant, à longe steterunt*. Qui proximi appropinquauerunt, & qui proximi à longè steterunt? proximi erant Iudæi, quia cognati erant; appropinquauerunt, quando crucifixerunt: proximi erant & Apostoli, & tamen ipsi à longè steterunt, ne cum illo paterentur.

D. Chrysost. Qui autem iuxta me erant, de longè steterunt, idest qui erant omnium proximi, eos autem esse dicimus sanctos eius disci-

discipulos, procul stabant tempore passionis, non ei insidiantes, sed eos, qui illi patrabant insidias, vitantes.

D. Greg. in expos. 3. ps. pœnit. *Et qui iuxta me erant, &c.* Scriptũ est enim, tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt: & iterum: stabant autem noti eius de longe. *Matt. 26. 56. Luc. 23. 49.*

Innoc. III. in expos. 3. ps. pœnit. ad illa verba. Et factus sum, sicut homo non audiens, &c. Et qui iuxta me erant, idest discipuli, qui erant mecum conuersati, de longe steterunt fugientes timore mortis: nam Petrus sequebatur à longe: Et qui quærebant animam meam, non ad imitandum, sed ad perdendum, vim faciebant capiendo, ligando, colaphizando, & conspuendo. *Matt. 26. 58.*

D. Laur. Iustin. de triumph. Christi agone c. 7. Omnes terga vertentes pariter fugerunt, impletumque est, quod prophetico ore prædicitur: noti mei recesserunt à me: obliuioni datus sum tamquam mortuus à corde: nam & qui iuxta me erant de longe steterunt; fugit Petrus ceteris promptior, fugit Ioannes, qui in cæna supra pectus Iesu recumbere meruit: sic enim habes: Adolescens quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum: at ille relicta sindone nudus profugit ab eis. *Iob. 19. ps. 30. 13. Marc. 14. 51.*

2 *D. August.* Sicut aqua effusus sum, vbi lapsi sunt persecutores mei, & timore dispersa sunt à me firmamenta corporis, hoc est ecclesiæ, discipuli mei.

Idem August. epist. 120. c. 14. Quid sunt, *inquit*, ossa, nisi corporis firmamenta? Corpus autem Christi Ecclesia? Firmamenta ergo Ecclesiæ qui, nisi Apostoli, qui etiam columnæ alicubi nuncupantur? Hi vtique dispersi sunt, cum ad passionem ipse duceretur, vel cum esset passus, & mortuus. *Gal. 2. 9.*

D. Basil. in schol. ad ps. 21. Ossa sacros vocat Apostolos, quoniam & Ecclesiam corpus suum vocat. Sunt autem ossa robur corporis; ab illis enim raritas, & mollities illius tollitur; sunt autẽ omnes Apostoli tempore passionis dispersi.

D. Bruno Carth. Effusus sum, in mortem, sicut aqua, idest cum tanta vilipensione, quanta aqua effunditur: ideoque dispersa sunt in fugam, omnia ossa mea, idest populi, qui sunt robustiores in Ecclesia, sicut ossa robustiores partes corporis sunt: vnde scriptum est, Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt, Et Propheta, Percutiam pastorem; & dispergentur oues. *Matt. 26. 56.*

Didymus in cat. græca Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt, &c. Quoniam qui credunt, corpus Christi sunt, fidelium supplicia in seipsum assumens dixit, se eadem perpessum esse, quæ omnia ijs, qui eius corpus efficiunt, euenere: Quoniam igitur pastore percusso oues dispersæ sunt, dicit, sicut aqua effusus sum: Nam aqua effusa dissipatur. De Apostolis autem intelligit, cum *Zacch. 13. 7.*

6 *D. Bruno Episc.* Oculi mei infirmati sunt præ inopia, Oculos suos Apostolos vocat ob nimiam dilectionem, qua eos diligebat; vnde etiam ipse ait, sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos:
Io. 15. 9. Hac autē significatione idē ipse alibi ait, si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te, Per oculum videlicet eos si-
Mat. 5. 29. gnificans, quos carissimos habemus, & quasi oculos amamus: Isti autem in tempore passionis mortis timore intantum infirmati sunt, vt ipse, qui inter eos fortior habebatur, ter eum negaret. Et hoc quidem præ inopia. Copia, & inopia contraria sunt: Copia Apostolorum Christus erat, quia virtutem constantiam, & fortitudinem, & quæcumque eis necessaria erant, in ipso habebant, & possidebant: quia igitur copiam fugerunt, omnium bonorum inopiam habuerunt.

7 *D. Bruno Episc.* Genua mea infirmata sunt præ ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum. Genua, & caro hoc in loco dicuntur Apostoli, qui alibi, oculi, pedes, & ossa, & fortia quæque vocantur: & hoc ideo quia molles, & timidi facile labentes, & ad fugiendum parati in Christi passione apparuerunt. Sed non mirum, quia ieiuni erant, & Sancti Spiritus plenariam vnctionem nondum acceperant; & ideo infirmati sunt, & eo relicto, fugerunt suscepto autem Spiritu S. quam fortes fuerunt, eorum Actus testantur.

Io. 18. 12.

FACTA MINISTRIS POTESTATE, IN IESVM IRRVVNT, EVMDEMQVE COMPREHENDVNT.

§. XXXXVI.

1 *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam ps. 16. 12.*
2 *Ecce ceperūt animā meam; irruerunt in me fortes ps. 58. 4.*
3 *In puluerem mortis deduxisti me. ps. 21. 16.*

1 D. *August.* Susceperunt me, sicut ille aduersarius circum-
1. Pet. 5. 8. iens quærens quem deuoret, & sicut catulus eius, populus, cui dictum est, vos ex patre diabolo estis; cogitans de insi-
Io. 8. 44. dijs, quibus iustum circumueniret, & proderet.

2 *Idem August.* Ecce venati sunt animam meam (*sic enim legit pro eo quod habetur in vulgata Ecce ceperunt animam meam*) Potuerunt tenere, potuerunt occidere: venati sunt animam meam.

D. Hilarius. Secundum psalmi præscriptionem aduersum vnū esse precationem conuenerat, regem vtique (*Saul*) hæc volentem;

sed

sed orationi propheticæ fuit sermo moderandus, vt querela referretur ad populum; cum captant animam fortes irruentes: quippe quos fortis armauit, qui & cor Iudæ ad ministerium proditionis ingressus est. Hi ergo fortes captant animam, & eius animam, in quo neque iniquitas, neque peccatum est, qui currens sine iniquitate direxit. *Et post nonnulla* non ergo conscientiæ humanæ vox ista conueniet. Sed videamus, ne fortè eius querelis hicabnegatæ de se iniquitatis competat sermo, qui peccatum non fecit, & in quo inuentus dolus non est qui & dixerit; Ecce venit princeps mundi, non inueniet in me quicquam: peccati scilicet calumniam in se non reperiendam, per quod de peccatò peccatum condemnaturus esset in carne. Ergo hic intelligendus est conqueri captatam animam suam, & irruisse in se fortes, qui & hanc querelæ securitatem, vt in se neque iniquitatem, neque peccatum esse profiteretur, & qui se sine iniquitate cucurrisse dixerit secundum illud, Exultauit vt gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio eius, et occursus eius vsque ad summum eius. Hic ergo solus currens direxit, qui infirmitatis nostræ humilitate suscepta egressus cælos, regressus ad cælos qui reuehens nos secum, oblaturusque Deo munus precatus sit, Exurge in occursum mibi, & vide tu domine Deus virtutum, Deus Israel: Intende ad visitandas omnes gentes, ne miserearis omnibus operantibus iniquitatem. Exurgere enim sibi in occursum Deum virtutum ad visitādas omnes gentes precatur; in eo vtique quo exaltatę, & collocatæ à dextris eius, in cælestibus gentes sunt. *Io. 14.3.* *ps. 18.7.*

3 *D. August. epist.* 120. *c.* 15. Tropice puluerē mortis ipsos Iudæos intelligi voluit, in quorum manus deductus est: scriptum est enim non sic impij, non sic, sed tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. *ps. 1.4.*

NEGAT PETRVS, HOMINEM SE NOSSE. *Io. 18.25.*

§. XXXXVII.

1 *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsū non est mecum. ps. 37. 11.*

2 *Extraneus factus sum fratribus meis ps. 68.9.*

1 D. *Chrisost.* Petrum vocat virtutem propter confessionem fidei; Tu es enim Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Is eum reliquit inficiatus. Lux autem sunt omnes Apostoli; quibus dixit, Vos estis lux mundi, Hi erant lux oculorum duo- *Matt. 16. 18.* *Mat. 5.14.*

dicit, Dissipata sunt omnia ossa mea: ipsi enim propter firmitatem, quæ asperrima quæque superarunt, ossa illius sunt.

Eusebius in cat. græca ad ps. 34 In vigesimo, *inquit*, psalmo ex prædicti saluatoris persona dictum est, sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea: Vbi sermo Apostolorum dispersionem, & fugam crucis tempore factam significat, quando illud perfectum est, Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis: Nam priores eius discipuli ossa illius fuere, qui cum dispersi sunt offendiculum in eo passi, quemadmodum ipse antea prædixerat, Omnes inquiens vos scandalum patiemini in me nocte ista; post resurrectionem verò intuentes ipsum repleti sunt gaudio, & exultatione, iuxta quod in hoc psalmo dictum est de ipsis omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi?

Zach. 13. 7.

Matt. 26. 31.

ps. 34.

D. Hieron. Ossa Christi Apostoli dicuntur; quia sicut caro ab ossibus roboratur, ita et corpus Christi, quod est Ecclesia, ab Apostolis; vel Doctoribus firmatur.

Theodoretus in cat. græca. Ossa vocat sacros Apostolos, quoniam & corpus Ecclesiam dicit; robur enim & fulcimenta corporis ossa sunt: ijs enim quidquid in corpore molle, & lentum est, fulcitur; dissipati autem omnes sunt, tamquam aqua, cum cruci traderetur, huc illuc diffusi.

3 *D. Bruno Epis. Elongasti à me amicum, & proximum; & notos meos à miseria.* Per hos autem Apostolos intelligimus, qui, eo relicto, omnes fugerunt, & ipso volente, et iubente teneri non potuerunt: sic enim ipse ait, si me quæritis, sinite hos abire, Vt adimpleatur sermo, quem dixerat, Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.

Io. 18. 8.

Ibid 9.

D. Bruno Carth. Elongasti à me amicum, & proximum, &c. Tanta erit conturbatio passionum mearum, quod facies a me fugiendo elongari amicos, Apostolos scilicet, qui amici mei sunt, idest valde familiares. Et proximi mei, idest contribules mei à me elongabuntur: Et notos meos, idest occultiores discipulos, sicut Nicodemum, & Gamalielem, & ceteros à me elongari permittes. Et hoc quod elongabuntur continget à miseria, mea scilicet quia miseriam meam multiplicem considerabunt, relinquent me, & fugient.

D. Hieron. Elongasti à me amicum, & proximum. Proximus est, qui facit misericordiam, qui mecum non est inuentus. Et notos meos, &c. Præ confusione passionis etiam ipsi Apostoli elongati sunt à me.

Luc. 10. 37

4 *Hesychius in cat. apud Corderium.* Extraneus factus sum fratribus meis. & peregrinus, &c. Peregrinus factus est tempore passionis, quando omnes discipuli eius dimittentes ipsum fugerunt

runt. Matrem autem intelligit Synagogā Iudæorum, & omnem secundum carnem cognationem eorum, qui sunt de circumcisione; filios verò huius, illos, qui ipsum negauerunt; & dixerunt, Hunc autem nescimus, vnde sit. Rursum autem peregrinum arbitrati sunt dicentes, Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Ita peregrinus factus est filijs matris suæ. *Io.9.29.* *Io.8.48.*

D. Hieron. Extraneus factus sum, &c. Filius enim erat synagogæ, sicut & illi, secundum ordinem corporationis terrenæ, à quibus exter, & hospes habitus est; quia illi sceleribus erant pleni; hic verò expers peccati. Extraneus factus sum fratribus meis: Fratres domini Apostoli, vnde dixit nunciabo nomen tuum fratribus meis: Peregrinus filijs matris meæ, Christus peregrinus, vt ait Cleophas, Tu solus peregrinus es in Hierusalem? solus, quia solus, & primus resurrexit immortalis: & mater Synagoga. *Ps.21.23.* *Lu.24.18.*

5. *Albertus M.* Defecerunt oculi mei in morte; in ipsa enim deficiunt oculi mei, & hoc volui, quia spero in Deo meo: Ecce argumentum, quod habuit spem; & hoc verum est de gloria corporis habendæ. Et deficientibus oculis corporalibus defecerunt, & spirituales, scilicet Apostoli. At illi, relicto eo, omnes fugerunt: Oculi sunt homini valde amici. *Matt. 26. 56.*

Beda Oculi mei, idest illi, qui mihi adhærebant, & in corpore meo oculi erant, idest Apostoli, defecerunt, dum spero in te Deū, quia nullum miraculum feci, nullam potentiam meam ostendi; sed tantum spem meam in te defixi non de Cruce descendendo, sed te remuneratorem expectando.

D. Brunus Episc. Oculi autem eius, qui defecerunt, Apostoli mihi esse videntur, qui tunc quidem defecerunt, quando eo relicto fugerunt; & hoc ideo, quia non in eorum, sed in solo Dei adiutorio spem habebat: Vnde, & Petro pugnare volenti sic ait, mitte gladium tuum in locum suum: An putas, quia non possum rogare Patrem, & exhibebit modo plusquam duodecim legiones Angelorum? quomodo ergo implebuntur scripturæ? Oculi autem eius ideo Apostoli dicuntur; quia per illos alios illuminat; & per illos omnes alios recto itinere ad patriam ducit. *Matt. 26. 52.53.*

D. Bruno Carth. Defecerunt oculi mei, idest deficient Apostoli, qui dicuntur oculi, quia totum corpus meum, Ecclesiam scilicet, illuminant prædicatione, & vita: sic videlicet deficient, vt me solum relinquentes aufugiant; dum hoc fit tamen, quod ego spero in Deo meo; ac si dicat, quamuis deficiant à me, tamen exemplum deficiendi non habebunt; ego enim non deficiam, sed in Deo meo, cui præ ceteris obedio, spem resuscitandi habens, immobilis existam.

6 *D. Bruno Episc.* Oculi mei infirmati sunt præ inopia, Oculos suos Apostolos vocat ob nimiam dilectionem, qua eos diligebat; vnde etiam ipse ait, sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos :

Io. 15. 9. Hac autē significatione idē ipse alibi ait, si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te, Per oculum videlicet eos significans, quos carissimos habemus, & quasi oculos amamus: Isti

Mat. 5. 29. autem in tempore passionis mortis timore intantum infirmati sunt, vt ipse, qui inter eos fortior habebatur, ter eum negaret: Et hoc quidem præ inopia: Copia, & inopia contraria sunt: Copia Apostolorum Christus erat, quia virtutem constantiam, & fortitudinem, & quæcumque eis necessaria erant, in ipso habebant, & possidebant: quia igitur copiam fugerunt, omnium bonorum inopiam habuerunt.

7 *D. Bruno Episc.* Genua mea infirmata sunt præ ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum. Genua, & caro hoc in loco dicuntur Apostoli, qui alibi, oculi, pedes, & ossa, & fortia quæque vocantur: & hoc ideo quia molles, & timidi facile labentes, & ad fugiendum parati in Christi passione apparuerunt. Sed non mirum, quia ieiuni erant, & Sancti Spiritus plenariam vnctionem nondum acceperant; & ideo infirmati sunt, & eo relicto, fugerunt suscepto autem Spiritu S. quam fortes fuerunt, eorum Actus testantur.

Io. 18. 12.

FACTA MINISTRIS POTESTATE, IN IESVM IRRVVNT, EVMDEMQVE COMPREHENDVNT.

§. XXXXVI.

1 *Susceperunt me sicut leo paratus adprædam ps. 16. 12.*
2 *Ecce ceperūt animā meam; irruerunt in me fortes ps. 58. 4.*
3 *In puluerem mortis deduxisti me. ps. 21. 16.*

1 D. *August.* Susceperunt me, sicut ille aduersarius circumiens quærens quem deuoret, & sicut catulus eius, populus, cui dictum est, vos ex patre diabolo estis; cogitans de insidijs, quibus iustum circumueniret, & proderet.

1. Pet. 5. 8.

Io. 8. 44.

2 *Idem August.* Ecce venati sunt animam meam (*sic enim legit pro eo quod habetur in vulgata Ecce ceperunt animam meam*) Potuerunt tenere, potuerunt occidere: venati sunt animam meam.

D. Hilarius. Secundum psalmi præscriptionem aduersum vnū esse precationem conuenerat, regem vtique (*Saul*) hæc volentem ;

sed

sed orationi propheticæ fuit sermo moderandus, vt querela referretur ad populum, cum captant animam fortes irruentes: quippe quos fortis armauit, qui & cor Iudæ ad ministerium proditionis ingressus est. Hi ergo fortes captant animam, & eius animam, in quo neque iniquitas, neque peccatum est, qui currens fine iniquitate direxit. *Et post nonnulla* non ergo conscientiæ humanæ vox ista conueniet. Sed videamus, ne fortè eius querelis hic abnegatæ de se iniquitatis competat sermo, qui peccatum non fecit, & in quo inuentus dolus non est qui & dixerit, Ecce venit princeps mundi, non inueniet in me quicquam: peccati scilicet calumniam in se non reperiendam, per quod de peccato peccatum condemnaturus esset in carne. Ergo hic intelligendus est conqueri captatam animam suam, & irruisse in se fortes, qui & hanc querelæ securitatem, vt in se neque iniquitatem, neque peccatum esse profiteretur, & qui se sine iniquitate cucurrisse dixerit secundum illud, Exultauit vt gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio eius, et occursus eius vsque ad summum eius. Hic ergo solus currens direxit, qui infirmitatis nostræ humilitate suscepta egressus cælos, regressus ad cælos qui reuehens nos secum, oblaturusque Deo munus precatus sit, Exurge in occursum mihi, & vide tu domine Deus virtutum, Deus Israel: Intende ad visitandas omnes gentes, ne miserearis omnibus operantibus iniquitatem. Exurgere enim sibi in occursum Deum virtutum ad visitādas omnes gentes precatur; in eo vtique quo exaltatę, & collocatæ à dextris eius, in cælestibus gentes sunt. *Io. 14.3.* *ps. 18.7.*

3 *D. August. epist.* 120.c.15. Tropice puluerē mortis ipsos Iudæos intelligi voluit, in quorum manus deductus est: scriptum est enim non sic impij, non sic, sed tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. *ps. 1.4.*

NEGAT PETRVS, HOMINEM SE NOSSE. *Io. 18.25.*

§. XXXXVII.

1 *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsū non est mecum. ps. 37. 11.*
2 *Extraneus factus sum fratribus meis ps. 68. 9.*

1 D. *Chrisost.* Petrum vocat virtutem propter confessionem fidei; Tu es enim Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Is eum reliquit inficiatus. Lux autem sunt omnes Apostoli, quibus dixit, Vos estis lux mundi. Hi erant lux oculorum duo- *Matt. 16. 18.* *Mat. 5.14.*

duorum testamentorum, legis, & Euangelij; hi enim nobis vetus, & nouum in luce domini illuminant, qui quo tempore crucifixus fuit, non erant cum Christo: Iudæos enim timentes fugerũt.

2 *D. Bruno Carth.* Extraneus factus sum fratribus meis, Apostolis, qui filij adoptiui sunt Patris mei: scilicet dimittent, & denegabunt me vt extraneum, sicut Petrus, qui dicet, mulier non noui eum.

Luc. 22.57

CONVERSVS IESVS RESPICIT PETRVM, ET IN LACRIMAS SOLVIT.

Luc. 22.

§. XXXXVIII.

1 *Imperfectum meum viderunt oculi tui ps.* 138. 16.

2 *Montes sicut cera fluxerunt à facie domini. ps.* 96. 5.

1 D. *August.* Imperfectum meum Petrum pollicentem, & negantem; præsumentem, & deficientem, viderunt tamen oculi tui: Nam quod eum & ipse dominus respexit, sicut scriptum est in Euangelio etiam post tertiam negationem commonitus quid ei prædixerit dominus, exijt foras, & fleuit amarè; flens ille de respectione Dei fuit, quia imperfectum meum, inquit viderunt oculi tui: nam ille imperfectus titubans in domini passione procul dubio periret: sed viderunt eum oculi tui, nō solum ipsum, sed & omnes, qui imperfecti fuerunt, donec Christi resurrectione firmarentur.

2 *D. Laur. Iustin. c. 9. de triumph. Christi agone* Hos (*flagitijs deditos*) vt plurimum terrore iudicij, & respectu miserationis conuertit ad gratiam. Quis, oro, mentis consideratione iudicem intuetur iratum, & non contremiscit? quis diuinam animaduersionem attendens voluntariè delinquit vlterius? Hoc expressit vates eximius dicens, Tu terribilis es, & quis resistet tibi? de cœlo auditum fecisti iudicium, terrá tremuit, & quieuit: Quieuit inquàm, cum peccare ex proposito desijt. Salubris ergo huiusmodi iudicij comminatio est; sed non minus proficuus pius Patris aspectus: illa cum timore cognoscitur, iste cum suauitate suscipitur. Cuius non emolliat mentis hebetudinem, & compungat in lacrimas diuinæ miserationis assidua meditatio? Montes, prout Citharædus sanctus canit, sicut cera fluxerunt à facie domini, à facie domini omnis terra. Equidem cum humano lux diuina illabitur cordi, & aspectus gratiæ cælestis agnoscitur, absque cunctatione liquefit cor, exhilaratur animus, mens adorat, & intellectus prius elatione tumidus omni cum festinatione procliuis solo humi-

ps. 75. 8. 9.

Il-

liatur. De hoc amabili charitatis intuitu, inquit Propheta, Aspexit, & dissoluit gentes, & contriti sunt montes seculi, incuruati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius. Vtrumque in Petri conuersione signatur: In galli cantu Iudicis terror, in aspectu Christi gratiæ cælestis infusio: præcedit iudicij pauor, subsequitur autem beneuolentia charitatis: ambo tamen immutant propositum, adducunt fletum, dilectionem ingerunt, amoris enutriunt flammam, & conuertunt ad Christum. *Abac. 3. 6.*

ANNOTATIONES.

DIsertè D. August. *Fletus*, inquit, *ille* Petri *de respectione Dei fuit*. Et vero debuit cereus in virtutem flecti Apostoli animus ad iustitiæ solis aspectum, vel à facie ignis, hoc est diuinæ caritatis ardorem, liquescere, vt cum psalmista dicere potuerit, Factum est cor meum tamquam cera liquescens. Nec iam imprecatio fuit illa Dauidis, sed iustum potius ipsius desiderium, cum ait, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei: vorè enim pereunt peccatores à conspectu respicientis, ac miserantis domini, cum incipiunt iustè viuere: pereunt autem non secundum naturam qua homines, sed quà peccatores secundũ anteactæ vitæ scelera, quoties præ dolore æstuantis animi, & contritione cordis tamquam cera à facie ignis liquescunt, & soluuntur in lacrimas: vnde idem Augustinus serm. 109. de temp. *Cum te*, inquit *penitet*, *& teipsum excrucias; cum etiam lacrimæ currunt; nonne ceræ tabescenti, & tamquam in lacrimas currenti similis inueniris?* *ps. 21. 15.* *ps. 67. 3.*

PILATO SISTITVR, ET IN MVLTIS PER CALVMNIAM ACCVSATVR. *Matt. 26. Mar. 14.*

§. XXXXVIIII.

1 *Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt ps. 37. 12.*
2 *Qui quærebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur ps. 37. 31.*
3 *Surgentes testes iniqui quæ ignorabã, interrogabant me ps. 34. 11.*
4 *Dum cõmouentur pedes mei, super me magna locuti sunt ps. 34. 17.*
5 *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi ps. 26. 12.*
6 *Scrutati sunt iniquitates defecerunt scrutantes, scrutinio ps. 63. 7.*

D.

1 D. *Greg. in ps. pœnit. ad v.* 11 Multi ex Iudæis amicos se Christi dicebant; multi eum miracula facientem sequebantur; multi eum Dominum, multi vocabant magistrum, sicut legis Doctor, qui, cum vellet eum capere in sermone, dicebat, Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces? Proximos quoque eosdem appellat Iudæos secundum carnis sibi cognationem propinquos: neque enim fratres eius credebant in eum: qui omnes appropinquauerunt Christo, non mente, sed corpore; non passibus fidei, sed processu nequitiæ; non voluntate sequendi, sed intentione nocendi: quod factum est quando congregati in atrio Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, consilium fecerũt, vt eum dolo caperent, & occiderent: Aduersus eum steterunt, quando constanter accusabant, & quando clamantes dicebant Crucifige, crucifige eum.

Matt. 22. 16. *Mat.* 22. 4. *Mat.* 12. 1. *Lu.* 23. 21.

Innoc. III. in expos. 3. ps. pœnit. ad illa verba v. 15. *Factus sũ sicut homo non audiens.* Possunt hæc intelligi etiam ex persona capitis, vt sunt quasi verba Christi non nisi mutata voce dicentis, Amici mei non veri, sed ficti, vt his qui tentando dicebant, Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: dic ergo, licet tributum dare Cæsari, an non? Et proximi mei, videlicet cognati secundum carnem, vt hi qui dicebant, Transi hinc, & vade in Iudæam, vt discipuli tui videant opera, quæ tu facis; neque enim fratres eius credebãt in eum. Hi, & illi appropinquauerunt aduersum me coram Pilato dicentes Crucifige, Crucifige eum: Et steterunt contra Herodẽ constanter me accusantes.

Matt. 22. 16. *Io.* 7. 3.

2 *D. August.* Qui quærebant mala mea, locuti sunt vanitates: Quid est, qui quærebant mala mea? Multa quærebant, & non inueniebant. Forte hoc dixerit, quærebant crimina mea, quæsierunt enim quæ in illum dicerent, & non inueniebant: quærebant enim mala de bono; quærebant scelera de innocente: quando inuenirent in eo, qui nullum peccatũ habebat? Sed quia peccata quærebant in eo, qui peccata non habebat; restabat, vt fingerent, quod non inueniebant. Ideo qui quærebant mala mea, locuti sunt vanitatem, & non veritatem.

D. Chrysost. Et qui quærebant mala mihi, locuti sunt vanitates, &c. Quoniam autem ea essent dicit Lucas, Cœperunt accusare eum dicentes, hunc inuenimus peruertentem gentem nostram, & prohibentem dare tributa Cæsari: Cum tamen Iesus, cum ab Herodianis, & Pharisæis interrogatus fuisset, diceret, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.

Luc. 23. 2. *Matt.* 22. 21.

D. Greg. in expos. ps. 3. pœnit. Et qui inquirebant mala mihi, &c. Mala Christo principes Sacerdotum inquirebant, quando fal-

ſum teſtimonium contra eum, ſicuti Euangelica lectio teſtatur, quærebant; & omnibus inquiſitis locuti ſunt vanitates: dicit enim Euangeliſta, quia non erat conueniens teſtimonium ipſorum, ſicut illorum, qui dicebant, Hic dixit, poſſum deſtruere templum Dei, & in tribus diebus reædificare illud: Et dolos tota die meditabantur; non enim caſu, aut ignorantia peccauerunt, qui ſcienter mendacia confixerunt: Grauiori ergo pœna plectuntur; quia eorum delicta, qui ex præcipitatione corruunt, exquiſita per ſtudium peccata tranſcendunt, ſicut in eadem paſſione ſua Veritas ait, Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Mar. 14. 59. Matt. 26. 61. Io. 19. 11.

Innoc. III. in expoſ. 3. pſ. pœnit. ad illa verba, Et factus ſum ſicut homo non audiens, &c. Et qui inquirebant mala mihi, cum non inuenirent crimina, locuti ſunt vanitates fingendo falſa teſtimonia, vt hi, qui dixerunt, Nos audiuimus eum dicentem, Ego diſſoluā templum hoc manufactum, & per triduum aliud non manufactum reædificabo; & non erat conueniens teſtimonium eorum. Mar. 14. 58.

3 *Theoph. Ceram. hom. 27. ante medi.* Iam quoniam teſtibus indigebant, ne contra legem res agi videretur, duos producunt teſtes ex veris falſa colligentes: Saluator enim dixit, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, de corpore ſuo verba faciens; hi verò Deo inuiſi, & audaces alia deprauantes, alia de ſuo addentes, ſtruenteſque mendacium dixerunt, Hic dixit, poſſum deſtruere templum Dei manufactum, & tribus diebus aliud non manufactum ædificabo: Et quidem appoſitione verborum crimen augebant; aduerte enim, quam prauè verba detorqueant, & interpretentur. Illè quidem dixit, Soluite templum hoc; hi autem, poſſum deſtruere templum: ille veluti digito ſignans corpus ſuum dixit, Templum hoc, hi templum Dei manufactum. Stabat autem Ieſus tacens, & fortaſſis ea, quæ in eius perſona dicta fuerant, ad ſe ipſum iam referebat, Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me; ego autem tanquam ſurdus non audiebam. Io. 2. 19. Matt. 26. 61.

4 *D. Chryſoſt.* Et dum commouentur pedes mei ſuper me magna locuti ſunt: Pedes Chriſti Diſcipuli; ipſe enim eſt eorum caput; & ideo non eſt dedignatus lauare eorum pedes. Quia ergo Diſcipuli propter crucem paululum commoti ſunt aduerſus Chriſtum, magna Iudæi locuti ſunt, vt qui eſſet omnibus ſpoliatus, & ne diſcipulos quidem apud ſe retinere potuiſſet.

D. Greg. in expoſ. 3. pſ. pœnit. Et dum commouentur pedes mei, &c. Pedes dicti ſunt Apoſtoli, quia ſicut pedes corpus deferunt, ita Apoſtoli Chriſtum in omnium gentium notitiam detulerunt, iuxta quod ſcriptum eſt, In omnem terram exiuit ſonus eorum; qui nimirum commoti ſunt, quando eum, quem pati videbant, eſſe filium Pſ. 18. 5.

 Dei

Luc.24.21 Dei dubitauerunt, ficut ille, qui dicebat, Nos sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel. Pedibus ergo cōmotis, super Christum inimici eius magna locuti sunt; quia, Apostolis conturbatis, & fugientibus, Iudæi illum reum esse mortis iudicauerunt.

5 *D. Hieron.* Contra Christum testes iniqui surrexerunt, quando dixerunt Iudæi, Hic dixit possum destruere templum hoc, & in triduo reædificabo illud: Mentita est iniquitas sibi, videlicet sibimet ipsis mentita fuit, & non mihi; quia vniuscuiusque vitium in suum recurrit auctorem; testes flagitiosi in hoc, quod contra alios mentiuntur, sibi mentiuntur, dum in se supplicia præparant, putantes Deum non vindicare mendacia. *Matt. 26. 61.*

6 *D. Laur. Iustin. de triump. Christi agone c. 10. sub initium.* Falsidicorum vtique quæritabant suffragium, vt ad mortem damnarent vitam, ne viuerent in æternum: vicissim contendebant, vt candorem æternæ lucis suis obnubilarent tenebris: fiebat autem, vt quò sollicitiùs inuestigarent illa, eò in depressioribus ipsi tenebris remanerent, perseuerante in suo splendore incommutabili veritate. illos Propheta describit dicens; scrutati sunt iniquitates; defecerunt scrutantes scrutinio. volebant inermi manu durissimũ confringere silicem. sed quid? præualuerunt me? minime: manus contriuerunt suas, cassoque defatigati labore facere potuerunt nihil: varias nocendi artes, & maligna consilia inuenire conati sunt, vt perderent sapientiam, & tamen in propria insipientia perstiterunt.

Matt.26.

INSONS TACET, ET QVERELIS AC CRIMINATIONIBVS NON RESPONDET.

§. L.

1 *Lingua mea adhæsit faucibus meis ps. 21. 16.*
2 *Posuerunt me abominationem sibi; traditus sum, & non egrediebar ps. 87. 9. & 10.*
3 *Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum: Et factus sum tamquam homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. ps. 37. 14. & 16.*

1 D. *August. epist. 120. c. 15.* Et lingua mea adhæsit faucibus meis: Potest quidem silentium eius significatum videri, quod alius Propheta commendat, cum dicit, sicut agnus coram tondente fuit sine voce: *Is. 53. 7.*

D. Basil. in schol. ad ps. 21. Et lingua immota mansit; docentque nos Euangelistę, quod sæpè numero interrogatus nihil responderit.

Nice-

Nicephorus in cat. græca. Lingua mea adhæsit, &c. quando videlicet falsis testibus eum accusantibus nihil respondit.

Theodoretus item in cat. græca. Lingua quoque immota faucibus hæsit: & diuini Euangelistæ nos docent, cum nullum responsum interrogantibus dedisse, licet sæpius quæsitus.

2. *D. Greg. lib 22. moral. c. 17. in fine*. Mediatori Dei, & hominum quasi egredi fuisset, si, cum teneretur vt homo, maiestatis suæ potentiam voluisset ostendere, & per diuinitatis magnitudinem susceptæ carnis infirma transire. Vt autem apertus homo mori posset, Deus mansit occultus; quia si cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent: Non est ergo egressus, qui & requisitus à Pilato tacuit, atque inter persecutorum manus, & corpus passioni obtulit, & resistentibus noluit monstrare quod erat: vnde etiam per psalmistam dicitur, Posuerunt me abominationem sibi, traditus sum, & non egrediebar: Cum enim despiceretur, quia homo videbatur, egressus esset, si occultam maiestatem suam ostentare voluisset, sed quia infirmitatem prodidit, potentiam abscondit, in eo quod persecutoribus suis incognitus mansit, ad eos minimè exiuit. *1. Cor. 2. 8.*

3. *D. Ambros.* Velut surdus non audiebam: Considera vim sermonis: non dixit, quia simulabam non me audire, quæ dicerent; sed non audiebam, dixit, quod intentione mentis vocem loquentis excluderet, nec aperiret os suum, sicut mutus: Vnde præclarè Petrus de Domino Iesu in epistola sua posuit, qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. Ad eius ergo similitudinem, atque imaginem iustus suæ vitæ cupiens instituta formare accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat lacessitus, & non aperit os suum, ut illum imitetur, qui sicut agnus ad victimam ductus, sic non aperuit os suum; & cum posset habere quod referat, magis vult silere, quam dicere; ipse enim Dominus Iesus, cum accusaretur, tacebat, & dum percuteretur, non repercutiebat: ita ergo & tu, si habeas, quo redarguas arguentem, meliùs tacebis, ne redarguendi vicissitudine commotionem tuam prodas; meliùs est enim dissimulare iniuriam, quàm, cum redarguis, vindicare. Bonus mutus, qui malè loqui nescit, cuius ex ore crimen exire non nouit: hic est mutus verè beatus, qui, cum tacet, intra se loquitur: Dominus dat mihi linguam eruditionis, quando oporteat me dicere sermonem. Talia loquebatur intra se Zaccharias, cum obmutuisset: & verè quia loqui ei non profuerat, ne loqueretur, obmutuit; & vt loqueretur, exauditus à Christo est. Denique scripsit, quod Christus exaudiret, & vocem recepit, quàm Christus indulsit, & gratiam adiunxit, quam ante non habuit, vt prophetaret eum, cuius mandatis ante

1. Pet. 2. 23. *Ierem. 11. 19.* *Is. 53. 7.* *Is. 50. 4.*

non credidit? Quid de Domino omnium virtutum loquor, cum mulier Susanna nec sexus infirmitate turbata, cum se ad periculum mortis cognouit addicta, vocem emiserit? Accusabatur, &
Dan. 13. 35. tacebat; ducebatur ad mortem, & silentio se tegebat, ne nudaret pudorem, intra se tamen loquebatur Deo, qui eam magis audiuit tacentem, quæ si voluisset loqui, forsitan non esset audita: Et tu ergo, qui proposuisti satisfacere pro delictis Deo tuo, illi soli interiore corde te purga, illum contuere, qui potest peccata diluere.

D. August. Et factus sum tamquam homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones: quasi non esset quod illis diceret, quasi non esset, vnde illos argueret. Nonne iam ante multa
Matt. 23. 27. increpauerat, multa dixerat, & dixerat, Væ vobis Scribæ, & Pharisæi; & multa alia? Tamen quando passus est, nihil horum dixit, non quia non habebat, quod diceret, sed expectabat, vt implerentur omnes prophetiæ de illo, de quo dictum est, Et sicut ouis coram tondente se non aperuit os suum. Oportebat ergo vt
Is. 53. 7. taceret in passione, non taciturus in iudicio; iudicandus enim venerat, qui postea iudicaturus veniret; & ideo cum magna potestate iudicaturus, quia cum magna humilitate iudicatus.

D. Bern. serm. 58. in Cant. ante med. Denique ipse Dominus tacebat in passione, & in multis interrogatus non respondebat factus iuxta prophetam sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

D. Chrysost. Ego autem tamquam surdus, &c. Quòd mutis euenit, quorum sunt à natura læsi sensus, hoc illi sua sponte eueniebat: maledictis enim appetitus non mouebatur ad iram; hoc autem est surdorum proprium non irasci, si afficiantur contumelijs, quoniam quæ in eos torquentur maledicta, non audiunt. Præterea autem dum in eum intenderentur calumniæ, cum posset refellere calumniatores, os suum non aperuit; hoc est mutorum, qui à natura loqui vetantur, quod autem neque surdus erat, nec
Is. 53. 7. mutus; sed eos imitabatur se humilians, ostendit Isaias Tamquã ouis ductus ad occisionem, & tamquam agnus coram tondente ipsum obmutuit, ita os non aperuit in sua humilitate: quibus ea etiam conueniunt, quæ nunc subiunxit psalmographus ex persona Saluatoris, & factus sum tamquam homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Ergo audiebat quidem, sed præseferebat non audire; nec deerat loquendi facultas, qua posset cõuincere, ac refellere; induerat autem personam eius, qui est animi perplexus, & id non potest facere.

D. Cypr. in expos. symboli ad illa verba Crucifixus sub Pontio Pilato Cum iudicaretur, scribitur tacuisse: multæ de hoc prophetiæ

tiç testantur; in psalmis dicitur, Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo increpationes: & iterum: Ego autem sicut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.

D. Cyrillus Hierosol. catechef. 13. Tamquam compateretur ei Pilatus dixit, Non audis, quod isti te accusant? Non quod attenderet iudicatum, sed quia metuebat suæ vxoris somnium, quod ad illum miserat: & dominus tacuit: dixit psalmista, & factus sū sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones: Et rursus: Ego autem sicut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. *Matt.* 27. 13. *Ibid.* 19.

D. Gregor. in expos. 3. psal. pœnit. Et factus sum sicut homo nō audiens, &c. sicut homo non audiens erat, cui nihil ad obiecta respondenti Pilatus dicebat, non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? qui cogitationes iniquorum nouerat, blasphemantiū voces non audiebat; nulla enim blasphemia eum mouere poterat, qui penitus omnem mutabilitatem ignorat; & qui posset eis vera pro falsis respondere, vt adimpleretur, quod de eo per prophetam scriptum est, Tamquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. Redargutiones enim in ore suo Christus non habebat, qui vnde eos reprehenderet, nihil in cordibus, nihil in actibus eorum laudabile videbat: in ore redargutiones non habebat, qui vnde eos reprehenderet, in promptu habebat, & vnde posset eos redarguere, ex quo nullus vnquam potuit mendacium audire. *Matt.* 27. 13. *Is.* 53. 7.

Innoc. III. in expos. 3. ps. pœnit. Et factus sum sicut homo non audiens, &c. Ego autem tamquam surdus non audiebam, quia nō respondebam, quasi nihil audirem? & sicut mutus, qui non aperuit os suum; & ideo factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo increpationes. Vnde cum vnus ministrorum Annæ dedisset alapam Iesu dicens, sic respondes Pontifici? Iesus non increpando, sed rationem reddendo respondit, si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem benè, quid me cædis? *Is.* 18. 23.

ANNOTATIONES.

QVod Herodi multis sermonibus percontanti Dominus Iesus nihil responderit, non mirum fecisse cuipiam videatur; iam enim vocem sibi incestuosus ille, Ioannem scilicet, morem saltanti puellæ vt gereret, non pridem ademerat: Pilatus verò responsum, quod exegerat de veritate, quidnam ea esset, interrogans, ab eodem Iesu nullus attendit; statim quippe ad- *Luc.* 23. 9. *Mar.* 6. 27 *Io.* 18. 38.

aduertit, domi suæ, vt in aula Principum, nullum veritati locũ esse, sed omnia assentationibus plena, atque mendacijs. Verùm inter improbos plebis clamores, inter calumnias Sacerdotum, testiumque falsitates quod ad sui defensionem os suum non aperuerit, meritò quis admiretur, quemadmodum vehementer admira-
Matt. 27. 14. tus est Præses; cum præsertim tacendo consentire ijs, quæ sibi obijciebantur à calumniatoribus, videri potuerit. Ergo obfirmati huius silentij causas disce à Patribus. Nam D. Chrysostomus hõ. 85. in Matt. *Nonnulla*, inquit, *more Iudicis quærunt, vt habitum iudicij, atque figuram insidijs prætexerent; figura enim ibi dumtaxat iudicij erat, re autem ipsa latronum impetus: & propterea*, vt alibi dicit (hom. 87. in Matt.) *dicacitatem, atque furorem illorum superabat*, additque ibidem, *Ad obiecta crimina quoniam se minimè persuasurum sperabat, nihil omnino respondit; quod & propheta quidem significans ante multa secula dicebat, in humilita-*
Is. 53. 8. *te iudicium eius sublatum est*. Theophylactus in caput 27. Matt. Non respondisse ait, *ne tumultus maior oboriretur*. Hieron. in eumdem Matthæi locum *Nihil respondere voluit, ne crimen diluens à Præside dimitteretur, & Crucis vtilitas differretur*. Idem habet Beda in locum cit. Matthæi. Ambros. in ps. 118. serm. 20. ad v. 4. *Interrogatus tacebat, ostendens non in clamore vocis, nec in forensis assertione patrocinij, sed in conscientiæ integritate esse innocentiæ defensionem; nec salutem corporis ambiendam, sed animi puritatem*. D. Maximus hom 1. inter hyemales de accusato Domino, estque inter opera D. Augustini sermo de temp. 118. & Ambrosij sermo 49. *Mirum fortasse*, inquit, *videatur vobis fratres, cur Dominus apud Præsidem Pilatum à Principibus Sacerdotũ accusetur & taceat, nec nequitiam eorum sua responsione conuincat, cum vtique ingestam accusationem non nisi refellere soleat subsecuta defensio: Mirum, inquam, sit fratres, quod arguatur Saluator, & taceat; taciturnitas enim interdum pro consensu habetur; videtur namque confirmare quod obijcitur, cum non vult respondere quod quæritur. Accusationem ergo suam Dominus tacendo confirmat? non planè accusationem suam tacendo confirmat, sed despicit non refellendo: benè enim tacet, qui defensione non indiget: ambiat defendi, qui metuit superari; festinet loqui, qui timet vinci: Christus autem, cum condemnatur, & superat; cum iudicatur, &*
Ps. 50. 6. *vincit, sicut ait propheta, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum iudicaris. Quid ergo opus erat ei loqui ante iudicium, cui ipsum iudicium erat plena victoria? Vincit enim, cum iudicatur Christus, qui sic innocens approbatur; vnde ait Pilatus, Innocens*
Matt. 27. 24. *ego sum à sanguine huius iusti. Melior igitur est causa, quæ non defenditur, & probatur; plenior est victoria, quæ non verbis astruitur,*

tur, sed veritate fulcitur: taceat lingua necesse, vbi ipsa æquitas sibi adest, taceat lingua in bono negotio, quia & malas causas obtinere consueuit; nolo, sic defendi iustitiam, sicut solet iniquitas excusari: quod vincit Christus, non orationis est, sed virtutis; sciit enim Saluator, qui est sapientia, quomodo tacendo vinceret; atque ideo causam suam mauult comprobare, quam dicere, qua enim res illum compelleret ad loquendum, cum silentium satis sufficeret ad vincendam? Sed fortasse metus eum cogeret, ne salutem perderet; nisi quod ipsa erat tota causa victoriæ; suam enim salutem perdidit, vt salutem omnium lucraretur; in se vinci maluit, vt victor esset in cunctis.

FLAGRIS CÆDITVR AD COLVMNAM, CONCVLCATVR, ET FLOCCI PENDITVR.

§. LI.

1 *Fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis ps. 72. 14.*
2 *Congregata sunt super me flagella, & ignoraui ps. 34. 15.*
3 *Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, conculcauerunt me inimici mei tota die ps. 55. 1.*
4 *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem ps. 37. 7.*

1 D. *Hieron.* Flagellabatur enim dominus sæpe dolis eorum, sed in die passionis certis contumelijs, & veris ictibus verberatus est.

2 *D. Athan. in cat. græca.* Congregata sunt super me flagella, & ignoraui: nullam enim causam, cur me flagellis cæderent, in me comperiebam.

D. Bruno Carth. Et ab eis congregata sunt super me, idest ad opprimendum me, flagella; & ignorabam causam, qua flagellabar, non quantum ad sapientiam, sed quantum ad rei experientiam: est dicere: non eram reus. De hoc quod ponit, Congregata sunt flagella, diuersitatem, & multiplicitatem flagellorum innuit; multimodè namque, vt in Euangelio dicitur, flagellatus est.

D. Hieron. Flagellauerunt Christum, sicut dixit, cum gladijs, & fustibus ad me venistis. Et Pilatus dixit, Dimittam eum emendatum, idest flagellatum dimittam: Et ignoraui: quia propter quod istud accidit, non commisi. *Matt. 26. 47. Luc. 23. 16.*

3 *D. August.* Conculcauit me homo. Primus botrus in torculari pressus est Christus; cum ille botrus passione expressus est, manauit illud, vnde calix inebrians quam præclarus est.

D. Bru-

D. Bruno Carth. Conculcauit homo, ideſt conculcabit Iudaicus populus, qui homo eſt, ideſt creatura: quod indignum eſt, vt creatura Creatorem conculcet. Cum dicit, Conculcauit, alludit ſimilitudini de torculari; torcularis enim eſt vuas conculcare: Infra: Quoniam autem ſe conculcandum prædixerat, ne videretur pro meritis ſuis eſſe conculcandus, repetit addendo cauſam conculcationis ſic, Conculcauerunt me inimici mei tota die, ideſt conculcabunt me tota die paſſionis, ideo quia ſunt inimici mei: quod eſt dicere, Inimicitia ſola erit cauſa, non aliquod meritum meū.

Dionyſius Carthuſ. Conculcauerunt me inimici, &c. Conculcauerunt filium Dei, pro nihilo eum reputantes, opprimentes, & fortaſſe etiam corporalibus pedibus eum ſuppeditantes, præſertim in nocte, qua viri, qui tenebant eum, illudebant ei cadentes, conſpuenteſque eum: irreuerentiſſime namque eum tractabant, eiuſque pœnis ſe ſatiabant tota die Paraſceues.

4 *D. Chriſoſt.* Miſer factus ſum, &c. Afflictus eſt non ſolum in Cruce, ſed etiam antequam crucifigeretur multa ferens, vt agricola, vt noſtrum agrum purgaret. Incuruatus ſum vſque in finem, quando mortem pro nobis ſuſtinuit. qui eſt enim omni creatura altior ad ipſam vſque terram incuruatus eſt, eum, qui ceciderat, volens ex ea erigere.

ANNOTATIONES.

3 *Conculcauerūt me inimici mei.* Recte monet D. Bruno Carthuſ. alludi his verbis, (quod etiam ſignificauit D. Auguſ. ſupra) ſimilitudini de torculari cuius eſt vuas conculcare, Domi-
Io. 15. 1. & 5. nus enim Ieſus non ſolum eſt vitis, vt ipſemet de ſe ait, cuius palmites Apoſtoli, cuius Deus Pater agricola eſt; verum & vuæ
Can. 1. & 13. racemus, de quo ſponſa in Cantico amoris, *Botrus Cypri dilectus meus mihi*: Et bene Cypri, nam illa inſula ferax eſt vini, & vini optimi, vt aduertit D. Bern. ſerm. 44. in Cant. Et verò botrum hunc olim exploratores de terra Iſrael ingentem illum de terra promiſſionis in vecte ferentes pulchro ſchemate figurarunt, vt præter eumdem Bern. ibid. ſcriptis ſuis mandarunt plerique Patres: nam Theoph. Ceram. hom. 4. circa med. *Botrus* (ait) *in ligno ſuſpenſus quid aliud ſit præter Chriſtum extremis temporibus in ligno ſuſpenſum, cuius ſanguis ſalutaris eſt credentibus potus? Quod &*
Deut. 32. 14. *Moyſes quadam nobis verborum ambage prædixit, quod ſanguinem vuæ bibebant, per quem domini paſſio præſignificatur.* D. autem Auguſt. in pſalmum 8. cuius titulus eſt, in finem pro torcularibus, initio *Dictus eſt dominus botrus vuæ, quem ligno ſuſpenſum de terra promiſſionis, qui præmiſſi erant à populo Iſrael, tamquam*

quam crucifixum attulerunt. Et fusius serm. 100. de temp. ante medi: *Exhibita est vna de terra promissionis; hac autem vua in ligno suspensa duorum defertur obsequio, qua nobis vtique, sicut iam dictum est duorum testamentorũ repræsentantur oraculis; qua in ligno crucis pependit, cuius vinum in pretium nostrum passionis expressione profluxit: Hanc vuam duo referunt inserto vecte pendentē. Possunt isti duo etiam Christianum, vel Iudaicum populum figurare: isti ergo sunt duo, idest Synagoga, vel Ecclesia populi: & quia prior fuit Iudæorum populus, præcedit Iudæus, sequitur Christianus: salutem suam hic ante conspectum gerit, ille post dorsum: hic obsequiũ prafert, ille cōtemptum: ideo & de Iudæis propheta testatur, obscurētur oculi eorũ, ne videāt, & dorsũ illorũ semper incurua. Incedũt duo sub sacro fasce ordine suo; hic sēper videt ille sēper relinquit; Iudæus autem proximum se æstimat, sed absentat: Christianus ergo præsenti munere fruitur, Iudæus solo onere prægrauatur; quia Christus sicut credenti salus, ita onus est non credenti.* Et post nonnulla: *Tunc de illa spiritali vua, de qua nobis vinum lætitia prælum crucis expressit, cum secura conscientia bibere poterimus, si nos nec luxuria sordidauerit, nec iracundia combusserit, nec auaritia obscurauerit, nec inuidia vipereo veneno percusserit.* Similia habet D. Ambros. ser. 1. de S. Cypriano Mar. quem audire non pigeat. *Sicut botrus redditurus vinum, prius in vinea quadam natura arte suspenditur; ita & Christus redditurus vinum spiritale martyrij in cruce quadam prouidentia diuinitatis aptatur. Ipse planè botrus est, quem duo exploratores illi, hoc est Iesus Naue: & Caleb filius Iephone in phalanga ad filios Israel proprijs humeris detulerunt: quod quidem factum iam tunc præfigurabat aduentum Domini Saluatoris; nam botrus in phalanga suspensus in Cruce Christus appensus ostenditur: duo autem in phalanga portantes vuam duo populi demonstrantur: Christianus vtique, & Iudæus: Et sicut mos est portantium, vnus præcedens, alter subsequens: ita prior designatur Iudæorum populus, Christianorum secundus: Et sicut antecedens, quod portat, non videt, & retrorsum id semper quadam dorsi auersione contemnit; qui autem sequitur, semper id oculis perspicit, semper custodit obtutibus, semper corporis vicinitate potitur: ita ergo Iudæus, & Christianus populus; Iudæus enim prior est, Christum in lege portat, & nescit, & retrorsum eum ponens quadam dorsi auersione contemnit; vnde ait propheta, Obscurentur eorum oculi, ne videant, & dorsum eorum semper incurua; Christianus verò sequens populus Christum semper oculis aspicit, semper custodit obtutibus, & quadā graduum suorum vicinitate complectitur: & quanto eum ille populus paruo itinere post se relinquit, tanto eum iste directo cursu festinat attingere.*

Num. 13. 24.

ps. 68. 24.

Num. 13. 24.

ps. 68. 24.

Matt. 27. PRETIVM A IVDA REDDITVM NON ADMITTVNT PRINCIPES SACERDOTVM.

§. LII.

1 *Veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere.*

1 D. *Ambros.* Pretium inquit, meum cogitauerunt repellere, quando pretium referente Iuda proditore, Iudæi in loculū
Mat. 27. 6. mittere noluerunt dicentes, Non licet nobis mittere in loculum, quia pretium sanguinis est.

Idem Ambros. lib. 5. de fide c. 7. in fine. Veruntamen pretium voluerunt repellere: cucurrerunt in ficum: Iudæi enim reportante Iuda pretium recipere noluerunt, currentes in ficum amentiæ, quia spiritualis potus gratiam recusarunt.

Matt. 27. PROIECTIS IN TEMPLO ARGENTEIS PRODITOR
Act. 1. LAQVEO SE SVSPENDIT.

§. LIII.

1 *Veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio, quam abscondit, comprehendat eum, & in laqueum cadat in ipsum ps. 34. 8.*

1 H*Esychius in cat. græca.* In Iudam proditorem, in Iudæorū populum, & in Diabolum hoc dictum est: Nam Iudas
Mat. 27. 5. laqueo ubi ceruicem fregit, Populus Iudæorum, cum proximos illaqueare putaret, ipse illaqueatus est, & sub venatione, & captura sua comprehensus est, frequenter quidem alias, præcipuè tamen, cum milites sepulchro circumposuerunt; nam resurrectionis testes, ac præcones fuere. Diabolus quoque pariter cum laqueum Crucis excogitasset, captionem suam, dum necem Domino intentaret, Iudæis occultauit, & per Crucem de regno suo expulsus est.

ANNOTATIONES.

1 V*Eniat illi laqueus* Iudæ proditoris mortem per hoc disertè declarauit Petrus Apostolus Act. 1. quòd suspensus abierit in locum sum v. 18. & 25. Quod autem in locum suum abiisse dicitur, notatur, non eum iam è viuis decessisse, quasi inuitum, vrgente scilicet vi morbi, alioue extrinsecus ad interitum impellente;

lente, sed vltro laqueo collū inserendo mortem sibi consciuisse. id quod maximè congruū fuit: vnde ad eum conuersus Leo M. Ser. 16. de pass. c. 4. *Et merito*, inquit, *tibi tua pena commissa est: quia in supplicium tuum nemo te sæuior potuit inueniri*. Et ser. 3. de pass. c. 3. *Vt, quia facinus tuum omnem mensuram vltionis excesserat, te haberet impietas tua iudicem, te pateretur tua pana carnificem*. Locum verò, in quem suspensus abijt, aërem dixit; abiens enim statim aëreas potestates conuenit, quarum hortatu, atque consilio magistri, ac domini sui proditionem orditus fuerat: indignus planè qui vel exciperetur à cælo, vel sustentaretur à terra. Audi D. Bern. ser. 8. in psal. qui habitat. *Pulchrè omnino Petrus Apostolus filium perditionis in locum suum abijsse testatus est, quod in aere crepuerit medius aerearū collega potestatum, vtpote quem veri Dei, & veri pariter hominis, qui de cælo venisse operaturus salutem in medio terra; huius inquam proditorem nec cælum reciperet, nec terra sustineret*. Denique suspendium, mortis sibi genus aptissimum elegit, *& abiens*, inquit Euangelista, *laqueo se suspendit*. Et verò Absalon proditorem Iudam cùm in multis, tùm in ipso præsertim genere mortis expressit. Absalon quippe iuxta nominis ipsius interpretationem idem valet, quod Patris pax; Iudas autem in psalmo à Redemptore dicitur, Homo pacis meæ: Ad hæc ille per summam impietatem surrexit in patrem; hic aduersus magistrum suum: denique ille capillis è quercu, hic reste ab infelici arbore suspensus pependit. Aduertit hoc Damianus lib. 2. epist. 13. ad Desiderium sic scribens: *Absalon interpretatur Patris pax, per quem designatur populus Iudæorum, qui vsque ad mortem persecutus est Christum, &c. siue per Absalon Iudas traditor designatur, qui, & ipse patris pax non immerito dicitur sicut ipse de illo Christus in psalmo conqueritur dicens, Etenim homo pacis mea in quo speraui, magnificauit aduersum me supplantationem: Nam & Christus non incongruè Pater asseritur; sicut propheta testatur, Vocabitur, inquit, Deus, fortis, Pater futuri seculi, princeps pacis. Iste ergo dicitur princeps pacis: & ille pax patris; cui etiam, Iuda videlicet in ipso persecutionis articulo pacis osculum non negauit. Nec mirum, si Iuda traditoris speciem Absalon tenuit, quem non solum in persecutione Dauid, sed ipso quoque genere sua mortis expressit: ille siquidem quercui, dum transire vellet, inhæsit; iste laqueo se, scriptura testante, suspendit; vt quoniam vterque redūdās viperea fel: nequitia, & terra indignus erat & cælo, inter vtrūque libratus, & terram perderet, & ad cælum nullatenus aspiraret*.

Mat. 27. 6.

Ps. 40. 10.

Ps. 40. 10.

Is. 9. 6.

2. Reg. 18. 9.

Mat. 27. 5.

Sed & Drogo Ostiensis Episc. Iudam quoque Absaloni similem facit lib. de Sacramen. Domin. pass. *Absalon*, inquit, *Patris pax ipse est Iudas, & quicumque in pace Christo est amaritudo a-*

marissima: Aue Rabbi: voce, & osculo patri pacem ferebat: ore suo benedicebat, & corde suo maledicebat: Homo, inquit, pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationē: Vnus est, & multi sunt: Ecce Absalon, ecce Iudas,
Io.12.6. *Ecce corpus Satanæ. Sed quomodo comam nutriebat? fur erat, & loculos habebat: ista enim cæsaries grauabat, & semel in anno tonsus*
Mat.27.3. *est, quando semel retulit triginta argenteos, & proiecit eos in templo: quos ponderauit ducentis siclis, qui numerus immundorum est; & hoc pondere publico, nō pondere Sanctuarij: pœnitentia enim ductus peccatum suum valde ponderauit, Peccaui tradens sanguinem*
Mat.27.4. *iustum singula verba plena sunt ponderibus, sed pondere publico, non pondere Sanctuarij, quia plus erubuit infamiam, quam conscientiam; plus suam iniquitatem, quam Dei misericordiam ponderauit.*
Ps. 50. *Audi pondus Sanctuarij: Peccaui; malum coram te feci: dele iniquitatem meam; hinc iniquitatem meam ego agnosco; illinc misericordiam tuam magnam attendo, Miserere mei Deus. Audi, & pondus publicum, maior est, ait Cain, iniquitas mea, quam ut veniam*
Gen.4.13. *merear. Retulit ergo triginta argenteos, & proiecit in templo: Vide quantum magni ponderabat eos: non proiecit eos in sterquilinium, sed in templo: nimium talibus semper Dijs templum suū deuouerat;*
Col.3.5. *auaritia enim simulachrorum seruitus est, & auaritia excæcat oculos sapientum: Ecce infelix, qualiter excæcatus est! maluit se ipsū perdere, quam denarios perire; denarios tēplo, se ipsum laqueo addixit: amabat heredes suos, qui eosdem denarios exinde colligerent, qui etiam nunc reseruant in suo corbano; proiecit eos in templo, & laqueo se suspendit. Iamdiu erat quidem, quod a Christo recesserat, & auaritiæ laqueo se suspenderat, sed quod fuerat in occulto, palam omnibus innotuit. Exterioris pœna qualitas supplicij modum aperuit,*
Sap.11.17 *quia per quæ peccauerit homo, per hæc punietur. Suspensus crepuit*
Act.1.18. *medius: ubi sedes erat Satanæ; crepuit ergo vas contumeliæ, quia*
Eccl.27.6. *non erat de vasis figuli, quæ probantur in fornace: propter quod in*
Mat.27.7. *agro figuli, in sepultura peregrinorum sortem non habuit, sed velut testa crepitans per inane dissoluitur. Et diffusa sunt omnia viscera*
Act.1.18. *eius; Pecunia viscera sunt auari; illa diffunduntur, & perduntur; sed viri misericordiæ colliguntur. Pendet adhuc Iudas, & Absalon*
2. Reg.18. 9. *coma capitis sui, & mulus, cui sederat, pertransit. Nolite fieri sicut equus, & mulus quia mundus transit, & conscientia eius. Cri-*
1. Tim. 6. 10. *nis Absalon, quo suspenditur, radix omnium malorum auaritia est; ubi hæc radicauerit, omnium malorum cæsaries abundabit. Mulus vero ex equo, & asino mixtus est duplex animus, qui foris ostentat, quod intus non seruat. Talis erat Iudas, talis Absalon; foris pietas intus malitia; duplex iniquitas. Equus manifeste tumet, asinus simpliciter ambulat; mulus nequam, & subdolus incautum præcipitat.*

Rectè autem auaritiæ prius laqueo suspensum Iudam dixit Ostiensis Antistes; nam, teste Apostolo, *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli*, quem locum allegans D. Ambros. ser. 14. in ps. 118. *Aduertis* inquit, *laqueum Diaboli esse diuitias?* Et D. Bern. ser. 3. in ps. qui habitat ad illa verba, quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium *ostendit nobis Apostolus laqueum istum; ipse enim venatorum illorum non ignorat cogitationes: Dic nobis, inquam, B. Paule, quis sit laqueus iste Diaboli, à quo se liberatam fidelis anima gratulatur? Qui volunt, inquit, diuites fieri in hoc seculo, incidunt in tentationes, & in laqueum Diaboli: Ergone laqueus Diaboli diuitiæ sunt huius seculi? Heu quam paucos inuenimus, qui ab hoc laqueo liberati exultant! quam multos, qui dolent, quod parum sibi videntur irretiti, & adhuc quantum possunt, ipsi se inuoluere, & intricare laborant!* Denique idem Bern. lib. de ap. cap. 14. *Laqueum posuit* (Diabolus) *in auro, & argento, & in omnibus, quibus abutimur, cum illis male delectamur, & illaqueamur.* Ergo & in triginta argenteis, pretio scilicet appretiati, abscondit Satanas laqueum, quo antequam penderet ab arbore, suspensus est Iudas. 1. Tim. 6. 9.

PETVNT PONTIFICES, ET MINISTRI, VT CRVCIFIGATVR, TRADITVRQVE DOMINVS VOLVNTATI EORVM. Io. 19. Luc. 22.

§. LIV.

1. *Exacuerunt vt gladium linguas suas, firmauerunt sibi sermonem nequam ps. 63. 4. & 6.*
2. *Dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus ps. 56. 5.*
3. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens. ps. 21. 14.*
4. *Vim faciebant qui quærebant animam meam ps. 37. 12.*
5. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me ps. 68. 3.*

1 D. *August. Exacuerunt tanquam gladium linguas suas* Non dicant Iudæi, Non occidimus Christum; etenim propterea eum dederunt Iudici Pilato, vt quasi ipsi à morte eius viderentur immunes. Nam cum dixisset eis Pilatus, Vos eum occidite: responderunt, nobis non licet interficere quemquam. Iniquitatem facinoris sui in Iudicem hominem refundere volebant, sed numquid Deum iudicem fallebant? *Et infra:* sed ille dixit in eum Io. 18. 31.

sen-

sententiam, & iussit eum crucifigi, & quasi ipse occidit: Et vos Iudæi occidistis: vnde occidistis? gladio linguæ; acuistis enim linguas vestras: & quando percussistis, nisi quando clamastis, Crucifige Crucifige eum. Propterea enim non est prætermittendum, quia venit in mentem, ne forte aliquem perturbet lectio diuinorum librorum. Quidam Euangelista dicit, hora sexta crucifixum Dominum, & quidam hora tertia: Nisi intelligamus, perturbamur: Iam incipiente hora sexta dicitur Pilatus sedisse pro tribunali: & reuera quando leuatus est Dominus in ligno, hora sexta erat: Sed alius Euangelista intuens animum Iudæorum, quia volebant se immunes videri à morte Domini narrando eos ostendit reos dicens, Dominum hora tertia Crucifixum. Considerantes autem omnem circũstantiam lectionis, quanta agi potuerunt, cùm apud Pilatum Dominus accusaretur, vt crucifigeretur, inuenimus horam tertiam esse potuisse, quando illi clamauerunt, Crucifige, Crucifige. Ergo verius tunc illi occiderunt, quando clamauerũt. Apparitores Potestatis hora sexta crucifixerunt; præuaricatores legis hora tertia clamauerunt: quod illi manibus hora sexta, hoc illi lingua hora tertia: rei magis isti, qui clamando sæuiebant: quam illi, qui obtemperando ministrabant: Sequitur: Firmauerunt sibi sermonem malignum: Quanta egit Pilatus, quanta, vt refrænaretur? quæ dixit? quid egit? Sed firmauerunt sibi sermonem malignum, Crucifige, Crucifige: Repetitio confirmatio est sermonis maligni.

Matt. 27. 45. Mar. 15. 25.

2 *D. Greg. lib. 6. moral. c. 15.* Quia Iudæi accusando Dominũ tradiderunt, quem traditum Gentiles occiderunt, potest per oris gladium accusantium Iudæorum lingua signari; dequibus per Psalmistam dicitur, Filij hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus: qui Euangelio etiam teste clamauerunt, Crucifige, Crucifige eum.

Io. 18. 40. *D. Leo PP. serm. 8. de pass. Domini c. 3.* Cum inardesceret ira clamantium, vt Barabbam indulgentia relaxaret, & Iesum Crucis pœna susciperet, cum consono fremitu diceretur à turbis, sanguis eius super nos, & super filios nostros obtinuerunt iniqui in dãnationem suam, quod pertinaciter exigebant, quorum dentes, sicut propheta attestatus est, arma erant, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Frustra enim à crucifigendo Maiestatis Domino manus proprias continebant, in quem letalia vocum spicula, & venenata verborũ tela iaciebant. Vobis, vobis falsi Iudæi, & sacrilegi populi, principes populi totum facinoris illius pondus incumbit. & licet immanitas sceleris, & Præsidem obligarit, & milites, omnis tamẽ facti summa vos arguit; & quidquid in supplicio Christi, vel Pilati peccauit iudicium, vel cohortis obsequium, hoc vos facit humani generis odio digniores, quia vestri furoris impulsu nec il-

Matt. 27. 25.

illis innocentes esse licuit, quibus iniquitas vestra non placuit.

D. August. in epist. 120. c. 14. Aperuerunt super me os suũ clamantes: Crucifige, Crucifige: quasi leo rapiens, & rugiens: Rapuerunt eũ comprehensum adducentes ad Præsidem, & rugierunt petendo eius mortem.

4 *D. Greg. in expos. 3. ps. pænit.* Et vim faciebant qui quærebãt animam meam. Volente Pilato Christum dimittere Iudæi clamabant, si hunc dimittis, non eris amicus Cæsaris; omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari. Vim ergo faciebant, qui Iudicem iniustè iudicare minis, & clamoribus vrgebant. Animam Christi Iudæi quærebant, non vt in eum crederent, sed vt illum perderent. *Io. 19. 12.*

5 *Hanc Redemptoris nostri traditionem in voluntatem, & manus inimicorum suorum eleganti metaphora demersionis in mare significatam voluit à propheta D. Augustinus in expositione verborum, quæ supra adduximus, psalmi 68. vbi sic habet:* Gratias ipsius misericordiæ, qui venit in altitudinem maris, & glutiri à marino ceto dignatus est, sed euomitus est tertio die. Veni in altitudinẽ maris, in qua altitudine nos depressi eramus: Venit illuc ipse, & tempestas demersit illum, quia fluctus ibi passus est ipsos homines, tempestates voces dicentium Crucifige, Crucifige. Dicente Pilato, Non inuenio caussam vllam in hoc homine, quare occidendus sit, inualescebant voces dicentium Crucifige, Crucifige. Augebatur tempestas, donec demergeretur, qui venerat in altitudinẽ maris, & passus est Dominus inter manus Iudæorum, quod non est passus, cum super aquas ambularet, sed nec Petrum pati permiserat. *Io. 19. 4.*

CONDEMNATVR INIVSTE. *Mat. 27.*

§. LV.

1 *Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt ps. 93. 21.*

2 *Quæ non rapui, tunc exoluebam ps. 68. 5.*

1 D. *August.* Quare captabunt? quia verum crimen non inueniunt, quod obijciant: quid enim captauerunt in Domino? concinnauerunt falsa crimina, quia vera inuenire non potuerunt. Et sanguinem innocentem condemnabunt.

2 *D. August.* Non rapui, & exoluebam; non peccaui, & pœnas dabam; solus enim ipse talis. ipse verò nihil rapuit, non solũ nihil rapuit, sed etiam quod non de rapina habebat, hoc se eua-

cua-

Phil. 2. 6. cuauit, vt ad nos veniret; non enim rapinam arbitratus est esse æqualem Deo, & tamen semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Omnino non rapuit; sed quis rapuit? Adam: quis rapuit primò? ille, qui seduxit Adam. quomodo rapuit diabolus? *Is.* 14. 14. primam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo, Vsurpauit sibi quod non acceperat: ecce rapinam: vsurpauit sibi diabolus, quod non acceperat: perdidit quod acceperat; & de ipso calice superbiæ suæ ei, quem decipere volebat, propinauit, Gustate, *Gen.* 3. 5. inquit, & eritis sicut *Dij*: Rapere voluerunt diuinitatem, perdiderunt felicitatem. Ille ergo rapuit, & ideo exoluit: ego autem, inquit, quæ non rapui, tunc exoluebam. Ipse Dominus propinquans passioni in Euangelio sic loquitur, Ecce venit Princeps mun- *Io.* 14. 30. di, idest diabolus, & in me nihil inueniet, idest quare me occidat, non inueniet: sed vt sciant omnes, quia voluntatem Patris mei facio, surgite, eamus: & ijt ad passionem soluere, quod non rapuit. quid est enim in me nihil inueniet? nullam culpam. An aliquid perdidit de domo sua diabolus iste? Discutiat; raptoris nihil apud me inueniet; & tamen nihil rapuisse se dicit, peccatum attendens, nihil vsurpasse, quod eius non esset: hoc est enim rapinæ, hoc iniquitatis: nam ab ipso diabolo extorsit, quos ipse rapuerat. Nemo, inquit, in domo fortis intrat, & vasa eius di- *Matt.* 12. 29. ripit, nisi prius alligauerit fortem. Alligauit fortem, & vasa eius diripuit: certè non rapuit? Sed respondet tibi, Vasa ista de domo mea magna perierant: non furtum feci, sed furtum recepi.

Idem August. serm. 101. *de temp.* Quæ non rapui, inquit, tunc exoluebam. Quod ergo iustè debebat Adam, Christus iniustè mortem suscipiendo persoluit: ille extendit manum ad pomorum dulcedinem; iste ad Crucis amaritudinem: ille arborem necis, iste salutis ostendit: ille se contra Deum erexit, & cecidit, Christus se humiliauit, vt omnes erigeret: Adam mortem vniuersis intulit, & Christus vitam omnibus reparauit.

D. Bruno Carth. Exoluebam, quod non rapui, idest exoluam pœnam rapinarum Adæ, & Euæ: quæ non rapui, idest quas rapinas non feci. Rapere dicitur qui quod suum non est, sibi assumere præsumit: rapinas itaque Adam, & Eua fecerunt, quando per pomi comestionem se deificare putauerunt.

D. Greg. lib. 3. *mor. c.* 11. Quæ non rapui tunc exoluebam, Alius namque ad Paradisum conditus diuinæ potentiæ similitudinem superbè rapere voluit; sed tamen culpas huius superbiæ sine culpa mediator exoluit.

D. Hieron. Quæ non rapui, &c. Non enim erat debitor mortis, atque peccati, sed in passione hostiam vtramque compleuit.

BA-

NOn vtique merentem, sed iniustè damnatum pœnam Crucis absque culpa sustinuisse humani generis Redemptorem prædixit quoque Iob. in persona eiusdem dicens, *Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Redemptor etenim noster*, inquit Greg. lib.13. mor. c. 6. *ad ereptionem nostram veniens, & non peccauit, & amaritudinem pertulit; quia pœnam culpæ nostræ sine culpa sua suscepit, de cuius voce subditur, Libera me, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Ipse etenim non peccauit in cogitatione, vel opere: ipse in amaritudine moratus est per passionem: ipse liberatus est per resurrectionem; ipse iuxta Patrem positus per ascensionem, quia profectus in Cœlum sedet ad dexteram Dei: & quia post ascensionis eius gloriam Iudæa in discipulorum eius persecutione commota est, rectè dicitur, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Iob. 17. 2.

BAIVLANS SIBI CRVCEM CIVITATEM EGREDITVR IN FERALE LIGNVM AGENDVS.

Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Io. 19.

§. LVI.

Tecum principium in die virtutis tuæ ps. 109. 3.

HEsychius in cat. apud Corderium pro principio principatum legit, subditque, Principatum quidem Christi hoc loco appellat Crucem, vtpotè in qua Princeps, & Rex huius mundi superatus fuit: diem verò virtutis eius meritò intelligit diē Crucis, idque propter signa in ea peracta, vt motum terræ, solis recessum, tenebras ab hora sexta vsque ad nonam. Deinde quod in ea, Diabolo debellato, obumbratum fuit peccatum. In hac igitur die principatum, idest crucem suam habuit, non solum vt in ea suffixus, verum etiam tamquam illam humeris gestans; hoc enim clarius exponens Isaias dixit. Cuius principatus super humerum eius. Is. 9. 6.

ANNOTATIONES.

HVmanę salutis vindicem Christum Dominum extra portā ciuitatis affixum cruci fuisse, constat ex verbis Ioānis, & baiulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum: quemadmodum in figura iustus Abel (cuius sacrificium, ad quod respexit Deus, eucharisticum expressit, vt supra notauimus ad Io. 19. 17.

Gen. 4. 8. ʃ. 35. foras ab impio fratre euocatus, & in agrum egressus per inuidiam ab eodem interfectus est. Aduertit hoc Rupertus lib. 4. in Gen. c. 5. *Vt autem*, inquit, *tota similitudo perficiatur, prius Sacerdos Abel post illud Sacrificium iustitia foras a maligno fratre euocatus occiditur; quia videlicet illa sacratissima cœna vespera Sacerdos idemque sacrificium dominus Deus noster Iesus Christus suis manibus oblatus, & in odorem suauitatis acceptus, ab impio discipulo traditus, ab illo Iudaeorum populo secundum carnem fratre suo comprehenditur, & foras extra portam ciuitatis eductus crucifigitur.* Rationem autem cur extra vrbem cruci affigi voluerit, affert S. Leo P. serm. 8. de pass. *Nouum se, & verum reconciliationis sacrificium offerens Patri non templo, cuius iam erat finita reuerentia; nec intra septa ciuitatis ob meritum sui sceleris diruenda, sed foris, & extra castra crucifixus est, vt veterum victimarum cessante mysterio noua hostia nouo imponeretur altari, & Crux Christi non templi esset ara, sed mundi.*

EXVITVR VESTIMENTIS, ET SORS MITTITVR SVPER VESTEM.

Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Io. 19.

§. LVII.

1 *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem ps. 21. 19.*

HOc Dauidis oraculum tamquam adimpletum referunt Matt. & Io. in suis Euangelijs.

D. Ambr. serm. 3. Quod autem ait, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem, Hoc factum in Euangelio reperimus, quod milites quatuor, qui crucifixerunt Saluatorem, in quatuor partes eius sibi diuiserunt vestimenta; vestimentum autem eius, quod assutum non erat, sed erat de superiore contextum, sorte perceperunt.

D. August. epist. 120. *c.* 13. Diuiserunt sibi vestimenta mea, &c. quod factum est, cum penderet in ligno.

D. Basil. in schol. ad ps. 21. Diuiserunt sibi vestimenta mea, &c. Et hoc sacra Euangeliorum historia dilucidè docet.

D. Cypr. in expos. symboli ad illa verba Crucifixus sub Pontio Pilato. Docet Euangelij prædicatio, quod etiam milites diuiserunt sibi vestimenta Iesu, & supra tunicam eius miserunt sortem: Hoc etiam curæ fuit spiritui S. Prophetarum vocibus protestari, cum dicit, Diuiserunt sibi vestimenta mea,

PRAE

PRÆ NVDITATE, ET IGNOMINIA CRVCIS CONFVNDITVR, ET ERVBESCIT.

§. LVIII.

1 *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me ps. 43. 16.*

1 D. *Hieron.* Dominus hæc in assumpta loquitur carne, qui pro nobis verecundiam patitur, maledicitur, atque confunditur vsque ad ipsum patibulum crucis.

CRVCI AFFIGITVR IN CALVARIA. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Io. 19.

§. LIX.

1 *Foderunt manus meas, & pedes meos dinumerauerunt omnia ossa mea ps. 21. 18.*
2 *Ego sum vermis, & non homo ps. 31. 7.*
3 *Operatus est salutem in medio terræ ps. 73. 12.*

1 A*lbertus M.* Non dixit, transfixerunt, vel confixerunt manus meas, sed foderunt; ad hoc enim fit fossio, vt terra fossa fructificet, fructum fidei inde reportauit Thomas, quãdo eo palpato dixit, Dominus meus, & Deus meus; Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit *Dominus.* Dinumerauerunt, &c. idest extendendo corpus numerabilia fecerunt omnia ossa mea. Manus ergo fodiuntur, vt sanguis effluat ad lauandas maculas corporis Ecclesiæ; corpus extenditur, ad rugas amouendas, exhibebit sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam. Io. 20. 25. Gen. 36. 27. 27. Eph. 5. 27.

D. August. Foderunt clauis manus, & pedes meos: dinumerauerunt in ligno crucis extenta omnia ossa mea. *Et in expos. 2. eiusdem psalmi.* Dinumerauerunt omnia ossa mea, quando pendens extentus erat in ligno. Non potuit melius describi extentio corporis in ligno, quam vt diceret, dinumerauerunt omnia ossa mea.

Idem in expos. ps. 140. Quod lego in psalmo, hoc audio à Domino, in ipso etiam psalmo agnosco, quod in Euangelio lego, foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea, ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt me; diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem; Hæc omnia sicut prædicta, ita facta, sicut audiuimus, ita & vidimus.

Idem August. epist. 120. cap. 16. Iam verò quæ subiunxit (*Dauid*) tanquam Euangelium recitatur: crucifixio quippe eius exprimitur in eo, quod dicit, foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerũt omnia ossa mea, & ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt me: fossæ sunt enim clauis manus, & pedes eius, & cum extenderetur in ligno quodammodo numerata sunt ossa eius: Consideratus est autem, atque conspectus, quid illi futurum esset, & vtrum veniret Elias, & liberaret eum.

Matt. 27. 49.

D. Basilius in schol. ad psal. 21. Foderuut manus meas: & hoc clarum est, & manifestum etiam contentiosis, quod completum sit in passione Christi; Dinumerauerũt omnia ossa mea, vsque adeo, inquit, extenderunt me flagellatores, vt facillimum fuerit, sicuti libuisset, etiam ossium meorum nosse numerum.

D. Bruno epis. Foderunt manus meas, & pedes meos. Hoc autẽ tam planum est, vt expositione non egeat: quod quidem exemplũ ad Iudæos refellendos validissimum est; quia de nullo alio, nisi de Christo, hoc intelligere possunt, cuius manus, & pedes crudelissimis clauis confixerunt. Dinumerauerunt omnia ossa mea. Nullus est, cuius ossa sic numerari, & separatim videri valeant, sicut illius, qui in Cruce extenditur. Quod igitur ait, Dinumerauerunt, tale est ac si dixisset, dinumerabilia fecerunt.

Didymus in cat. græca. Foderunt manus meas, verba hæc mortem per Crucem illatam ostendit: Nam illud, Foderunt, clauorũ perforationem ostendit. Ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt palpantes, & attrectantes, præter honestum, vniuersum corpus meum, & vnumquodque os meum dimetientes, vt viderent, & inquirerent vbi clauos figere oporteret.

Eusebius in cat. græca. Foderunt manus meas, & pedes meos: Et hoc ipsum compertum, & clarum est etiam contentiosis, & contradictionis cupidissimis: nam Dominum ipsum in sacris Euãgelijs suis discipulis dicentem audimus, Videte manus meas, & pedes meos, quoniam ego sum. Et Thomæ quoque clauorum signa ostendit, & vulnus lancea illatum. Illud verò, Dinumerauerunt omnia ossa mea sic intelligitur: sic me, dum traherent, ac cruci affigerent, extenderunt, vt facillimum fuisset cuilibet ossa mea numerare. Ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt me, conuitiantes scilicet, & inuidentes.

D. Laurent. Iustin. de triunphi Christi agone c. 16. Cæptum crudelitatis opus perficere satagentes vi maxima manuum alteram fixerunt in ligno demum conglobati pariter funes ligantes in pedibus manuum dilatata foramina, atque contractas brachiorum iuncturis pedum plantas crucis confixere patibulo: tunc iuxta vatis oraculum vniuersa sanctissimi corporis ossa numerabilia facta

sunt

fiunt : tunc, tamquam texentium pannus, Redemptoris caro in ligno distenta est; & veluti brutorum pellis Christi membra suut clauis in cruce firmata.

Nicephorus in cat. graca Dinumerauerūt nudū me crucifigentes, atque in cruce extendentes, ita vt ossium meorum compagines à quouis dinumerari possent. Ipsi verò considerauerunt, curiosè deme tunc suspenso disquisiuerunt mouentes capitā sua.

Theodoretus. Foderunt manus meas, & hoc manifestum est, & clarum etiam valdè pertinacibus: Audimus enim in sacris Euangelijs ipsum dominum suis sanctis discipulis dicentem, videte manus meas, & pedes meos, quoniam ipse ego sum. Atque etiam Thomæ clauorum signa ostendit, & plagam telo illatam. Hoc autem dinumerauerunt omnia ossa mea hoc significat, quoniam sic me distenderunt crucifigentes, vt facile foret cuilibet ossa enumerare.

2 *Eusebius in cat. graca* vilissimum omnium animalium, & maxime imbecillum vermis est, atq; ex corruptione corporū enascitur, & quęcumque attigerit, demolitur, & consumit, & cū exitiosus sit, non tangitur, sed suspenditur. Vnde cum saluator dicat, Ego sum vermis, & non homo, vilitatem, & imbecillitatem, despectumque, & opprobrium suæ mortis ostendit, cum alioquin aduersarias potestates deleuerit: debebat enim in morte, & ipsa mortuorum regiones aduersarias potestates perdere.

3 *Albertus M.* Operatus est salutem in passione, & hoc in medio terræ, ideſt Hierusalem, quæ dicitur terrę vmbilicus.

D. Cyrillus Hierosol. catech. 13. Expandit in cruce manus, vt comprehenderet fines terræ; medium enim terræ, est hic Golgothas; non meus hic est sermo, Propheta, dicit, operatus est salutem in medio terræ. Ezech. 38. 12.

Petrus Damian. ser. de S. Ruffino M. Enimuero & illud nōn otiosè quæritur, cur Abraham, qui se ex parte corporis puluerē esse confitetur, & cinerem tam ambitiosam sepulturæ suæ prouidentiam habuit, vt ex omni peregrinationis suæ latitudine solā Hebron Chananitidis videlicet regionis eligeret, in qua etiam non parua summa speluncam sibi duplicē compararet? Iacob quòque filios, & Ioseph fratres suos obtestantes adiurant, vt eorum ossa ad eamdem speluncam post obitum transferant. Quid est ergo quod sancti viri, qui & præsentem vitam, & omnem mundi gloriam sublimi mentis acie desperant, tam cupidè, tam anxiè, tam studiosè de loco, vbi eorum conderentur cineres, litigabant, nisi quia per prophetiæ spiritum nouerant, saluatorem mundi illic de suo semine nasciturum, & sanguinem, qui mundi peccata dilueret, in illa specialiter regione fundendum? sicut per psalmistā di-

Gen. 23. 9. & c. 25. 9. Gē. 49. 29. & c. 50. 13. & 24.

dicitur, quia Deus noster ante sęcula operatus est salutem in medio terrae, quod nimirum quamquam de ipso Domini corpore specialiter possit intelligi; de regione tamen illa quoque, vbi pati dignatus est, quae certè mundi meditullium est, non incongruè dici videtur.

ANNOTATIONES.

Is. 2. 10. 1 D. *Bernardus serm. 62. in Cant. metaphoram, qua vtitur Psalmista in verbo fodiendi, agnoscit in verbis illis Isaia, ingredere in petram, & abscondere in fossa humo dicens*, Infirmę adhuc, & inerti animę, quę iuxta quod in Euangelio quidā de semetipso confitetur fodere non valet, mendicare erubescit, fossa ostenditur humus, vbi lateat, donec conualescat, & proficiat, & vt possit & ipsa per se cauare sibi foramina in petra, per quae intret ad interiora verbi, animi vtique vigore, & puritate. Et si intellexerimus fossam humum illam, quę, ait; Foderunt manus meas, & pedes meos, non erit ambigendū de sanitate in ea citius adipiscenda animę vulneratę, quę in eà demorabitur. Quid enim tam efficax ad curanda conscientiae vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula meditatio?

3 Operatus est salutem in medio terrae, Vrbem Hierosolymorum, atque adeo non longe ab ea dissitum Caluariae montem, in quo crucifixus est Dominus in medio Iudaeae sitam esse, auctor est Ioseph. l. 3. de bello Iudaico c. 2. quin etiam in orbis terrarum meditullio positam affirmat Hilarius can. vlt. in Matt. & tamquā certum supponere videtur tum Germanus Constantinop. in theor. rerum Eccles. tum etiam Andreas Cretensis orat. 2. de exalt. S. Crucis, vbi *quod autem*, inquit, *in medio terra Caluaria locus situs sit, nemo dubitet* Certè in medio terrae saltem habitabilis cō-

Ez. c. 5. 5. stitutam esse Hierosolymam habetur ex Ezechielis c. 5. vbi dicitur, *Ista est Hierusalem: in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terras*; adeo vt eadem ab eodem propheta *Vmbilicus terra* dici potuerit. Et vero in medio terrae debuit Redemptor noster humanam salutem operari, vt hinc inde cruci affixus brachia

Idē c. 38. 12.

suae miserationis expandens comprehenderet fines terrae, omnesque homines complecteretur. Simul vt ex eo, tamquam ex orbis corde, salutem in omnes beneficio redemptionis immitteret; nullusq; adeò hominum à tanti se beneficij participatione secerneret: *quidquid* enim *commune est* vt ait. D. August. in expos. psal. 75. *in medio est, vt tantum distet ab omnibus, tantum propinquet omnibus*. Vnde Andreas Cretensis loco cit. *Necesse enim erat*, inquit, *vt quasi in pla-*

ni circuli descriptione insigeretur in medio vniuersæ terræ salutare li-
gnum; vt velut alter è cælo resplendens sol iustitiæ ille medio cælo
sol inuictus tamquam ex quodam Crucis firmamento lucifluos suos
radios occidens in Cruce vibraret illis, qui in terra tumulis detine-
bantur. Bene autem aduertit Theophanes Cerameus hom. 4. lignũ
illud vitæ crucem Domini præfigurans in medio paradisi positum à Gen. 2.9.
Deo fuisse: *lignum vitæ* (verba sunt Theophanis) *in Edem medio*
locauit, quasi omnibus iam inde prænuncians, fore aliquando, vt
vitalis Crux in terra medio plantaretur suspensum in se ferens vitæ
datorem: Et quid aliud spectauit Moyses, cũ illud, nec arborem,
nec plantam, sed lignum vitæ nominauit? lignum quippè, postquã
est à stirpe desectum, dici consueuit: ita profectò per ligni vocabu-
lum nos adducit, vt id, quod erat futurum intelligamus. Denique
quemadmodum è medio paradisi, seu voluptatis loco, vbi lignum
vitæ plantatum fuerat, fluuius ad eum irrigandum egrediebatur, Gen. 2.70.
qui in quatuor inde capita diuisus vniuersam terram mundaret,
irrigaretque; ita è medio terræ, vbi fixa crux est, erupit iuxta
vaticiniũ Zachariæ fós patés domui Israel, & habitãtibus in Hie-
rusalẽ, qui similiter in quatuor fluẽta diuisus vniuersã irrigaret su- c. 13.1.
perficiem terræ in ablutionem peccatoris, & menstruatæ. Atque
de his fontibus, vnde homines aquas gratiæ, ac salutis haurirent,
fortè locutus est Isaias cum ait, Haurietis aquas in gaudio de fon- c. 12. 3.
tibus saluatoris. Certe D. Bern. in serm. paucis serm. 66. initio
pro paradiso, inquit; *quem perdidimus, restitutus est nobis Christus*
Saluator: sicut ergò de vno fonte paradisi deriuantur quatuor flumi-
na ad irrigãdũ paradisum; ita de pectoris eius arcano procedunt qua-
tuor fontes, ex quibus hauriuntur quatuor aquarum genera, vnde
tota per vniuersum mundum rigatur Ecclesia. Eadem habet Dro-
go Ostiensis lib. de creatione, & redemptione hominis, vbi qui-
nam sint quatuor hi fontes de Christi pectore procedentes, quæue
ex ijsdem fontibus emanantes aquæ, declarat, hæc subnectens.
Sunt autem quatuor fontes, Veritas, Sapientia, Virtus, & Caritas,
Ex his ergo fontibus hauriuntur aquæ, ex singulis scilicet singulæ.
Nam de fonte veritatis sumuntur aquæ iudiciorum: de fonte sapiẽ-
tiæ, aquæ consiliorum; de fonte virtutis aquæ præsidiorum, de fon-
te caritatis aquæ desideriorum. In aquis iudiciorum cognoscimus,
quid liceat, vel non liceat; in consilijs discernimus, quid expediat,
vel non expediat: sed quia electis viris rectè per hæc gradientibus nõ
desunt tentationes; tentantur autem de duobus, aut enim ex ter-
roribus concutiuntur, aut blandimentis seducuntur: idcircò arman-
di sunt contra terrores præsidijs diuinæ virtutis; contra blandimenta
desiderijs supernæ caritatis: desiderijs enim meliorum superantur, vt
ait quidam sanctus, desideria deteriorum. Verùm Petrus Dam. san-
guinis,

nis, non aquę, fluenta quatuor è Christi fonte in ligno pendentis agnoscit. *Habes*, inquit, serm. de Annunc. Virg. in fine *quatuor capita dulciora prioribus, quæ fortassis vestris cordibus suauius complacebunt. Dominus enim noster eleuatus in cruce largissimas sanguinis vndas à quatuor sui corporis partibus abundantius emisit: spinis enim pungentibus sanctissimum caput niuea ceruice reflexum, & clauis pedes, & manus, & lancea latus eius transuerberantibus pretiosus sanguis emicuit, cuius aspersione Iudex transiuit in patrem, iratus in mitem, in misericordiam virga, captiuitas in coronam.*

TITVLVS PRÆFIGITVR CRVCI, QVO IVDÆORVM REX, VEL IPSIS INVITIS, DECLARATVR.

Is. 19.

§. LX.

1 *Dominus regnauit à ligno ps. 95. 10.*

1 D. *Bern. serm. 1. in die Pascha sub initium.* Sic tibi Iudæe excidit quod audisti, quia Dominus regnauit à ligno, vt regem abneges, quia manet in ligno? sed forsitan nec audisti, quia non Iudæis sed nationibus hæc annunciatio debebatur, Dicite, inquit, in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno. Merito proinde titulum regni Præses Gentilis inscripsit ligno, nec potuit Iudęus, vt voluit, corrumpere tituli inscriptionem, ne dum impedire dominicam passionem, & nostram redemptionem.

D. Cypr. de montibus Sina, & Sion aduersus Iudæos, Annunciate regnum Dei in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno: de quo regno ligni regalis idem propheta dicit, ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius annuncians imperium eius: quod dictum propheticum per Pontium Pilatum in sua passione pendens in ligno compleuit. Pontius Pilatus impulsa mente à Deo accepit tabulam, & titulum, & scripsit tribus linguis Hebraicè, Græcè, Latinè Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, & in capite ligni clauis tabulam cum nomine Regis Iudæorum confixit.

ps. 2. 6.

Tertull. lib. 3. in Marcionem c. 19 Age nunc si legisti penes Dauid, Dominus regnauit à ligno, expecto quid intelligas, nisi forte lignarium aliquem Regem significari Iudæorum, & nō Christū, qui exindè à passione ligni, superata morte, regnauit. Etsi enim mors ab Adam regnauit vsque ad Christum, cur non regnasse dicatur à ligno, ex quo crucis ligno mortuus regnum mortis exclusit? Proinde & Isaias, quoniam, inquit, puer natus est nobis, & datus est nobis filius: quid noui si non de filio Dei dicit, cuius

c. 9. 6.

ius imperium factum est super humerum ipsius,qui omnino Regũ insigne potestatis suę humero præfert,& non aut capite diadema, aut manu sceptrum, aut aliquam proprię vestis notam? sed solus nouus Rex nouorum æuorum Christus Iesus nouæ gloriæ, & potestatem, & sublimitatem suam humero extulit, crucem scilicet, vt secundum superiorem prophetiam exinde Dominus regnaret à ligno. Hoc lignum, & Hieremias tibi insinuat dicturis prædicãs Iudæis, Venite mittamus lignum in panem eius, vtique in corpus: sic enim Deus in Euangelio quoque vestro reuelauit,panem corpus suum appellans, vt et hinc intelligas, iam eum corporis suis figuram pani dedisse, cuius retrò corpus in panem prophetes figurauit, ipso domino hoc Sacramentum postea interpretaturo. c.11. 19.

ANNOTATIONES.

D*Ominus regnauit à ligno* sic legunt Augustinus,Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Arnobius, Cassiodorus, Leo PP. Psalterium vetus Romanum, & Gothicum apud Bellarminum, Sà,Tirinum:& hanc lectionem (quamuis dictio illa,In ligno,non haberetur in hebræo) fuisse olim in LXX. virorum interpretatione ducentis fermè annis ante Christi Seruatoris aduentum,testatur Iustinus Martyr in dialogo, cum Tryphone, ab Hebræis verò in odium Christi ipsius ac Crucis eamdem dictionem expunctam, abrasamque. Certè Fortunatus ex hac lectione in hymno, qui tempore passionis frequenter ab Ecclesia recitatur, accepit illud.

Impleta sunt, quæ concinit
Dauid fideli carmine
Dicendo nationibus
Regnauit à ligno Deus.

Dicitur autem regnasse à ligno; idest per, vel post lignum, seu merito acerbæ mortis, quam in ligno Crucis, pro mundi salute sustinuit.

Porro cur superimpositus ligno fuerit titulus, rationem affert Beda lib. 4. in Matt. ad illa verba capitis 27. Et imposuerunt super caput eius, &c. Pulchrè, *inquit*, titulus, qui Christum Regem testetur, non infra, sed supra crucem ponitur; quia licet in Cruce pro nobis hominis infirmitate dolebat, super crucem tamé Regis maiestate fulgebat: qui aptè etiam, quia Rex simul, & sacerdos est, cum eximiam patri suæ carnis hostiam in altari crucis offerret, regis quoque quia præditus erat titulo dignitatem prætendit; vt cunctis legere, hoc est audire, & credere volentibus innotescat, qui suum per crucem non perdiderit, sed confirmarit imperium. *Cur autem tribus linguis inscriptus, subdit* quantum verò ad literã

hæ tres linguæ ibi præ ceteris eminebant Hebræa propter Iudæos in lege gloriantes; Græca propter Gentium sapientes; Latina propter Romanos iam tunc penè omnibus gentibus imperantes. Velint, nolint ergo Iudæi, omne mundi regnum, omnis mundana sapientia, omnia diuinæ legis Sacraméta testantur, quia Iesus Rex Iudæorum est, hoc est Imperator credentium, & confitentium Deus.

Theoph. Ceram. hom. 27. eam quoque tituli tribus dialectis inscripti rationem affert. Quod verò inquit, triplici linguæ idiomate scriptus fuit, ostendit eum, qui actus id crucem erat, in omni philosophia, tum practica, tum naturali, tum theologica regnum obtinere: Romani quippe, vt fortiores practicę symbolum sunt, Gręci verò naturalis, vt qui in ea se occuparunt; per hebraicam denique diuina doctrina significata est, quippe cum ab initio Hebræi fuerint Deo deuoti.

D. vero August. in ps. 55. initio de pluralitate linguarum aliam causam adducit: Erat ibi titulus inscriptus Hebraicè, Gręcè, & Latinè Rex Iudęorum, tribus linguis, tamquam tribus testibus approbatus; quia in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.

Deut. 19. 15.

Denique constantem, obfirmatamque Præsidis voluntatem nolentis tituli inscriptionem immutare prædixit Spiritus Sanctus in titulo plurium psalmorum, 55. 56. 57. & 58. qui est, In finem ne corrumpas ipsi Dauid in tituli inscriptionem; *in qua loca lege D. Augustinum, à cuius verbis in medium afferendis, ne longum faciā, abstineo: satis erit Rupertum breuiter hac de re disserentem audire lib. 13. Comment. in Ioannem ad illa verba capitis 19. Dicunt ergo Pilato Pontifices Iudæorum, noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum.* Isti Pontifices, *ait*, planè dispersores, vel corruptores illi sunt, contra quos Christi Spiritus in quorumdam locutus est superscriptionibus psalmorum, In finem ne disperdas, siue corrumpas in tituli inscriptioné. Titulum namque bonum, & bene scriptum disperdere, atque corrumpere voluerūt sic intercidendo, Iesus Nazarenus, qui dixit, Rex sum Iudæorum quasi vero Pilatus nesciisset, à turbis illum Regem fuisse conclamatum, quando venienti Hierusalem exierunt obuiam cum ramis palmarum, & eum à plerisque esse creditum, qui fuerat Rex promissus oraculis prophetarum.

Luc. 19. 38.



PRO

PRO CRVCIFIXORIBVS ROGAT.

§. LXI.

Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Io. 19.

1 *Retribuebant mala pro bonis, & oratio mea in sinu meo conuertetur ps. 34. 12. & 13.*
2 *Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi; ego autem orabam ps. 108. 4.*
3 *In me psallebant, qui bibebunt vinum; ego autem orationẽ meam ad te Domine ps. 68. 13. & 14.*
4 *Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me: tribulationẽ, & dolorẽ inueni, & nomẽ Domini inuocaui.*

1 D. *August. lib. 50. homil. hom. 24.* Retribuebant, *inquit*, mala pro bonis; ego autem orabam; quid orabat, nisi Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt? *Luc. 23. 34*

2 *Idem D. August.* Cum dixisset pro eo vt diligerent me, detrahebant mihi, quid ait? Ego autem orabam; non quidem dixit quid orabat: sed quid melius intelligere debemus, quam pro ijs ipsis? Crucifixo enim maximè detrahebant, quando velut homini, quem quasi vicerant illudebant: de qua cruce ille dixit, Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt: & quoniam in profundo malignitatis reddebant ipsi mala pro bonis, ille in summo benignitatis reddebat bona pro malis.

D. Hieron. Pro eo vt me diligerent, &c. pro beneficijs, quæ eis contuleram, ipsi contumelias mihi faciebant: ego autem quid faciebam? orabam: Hæc sunt arma Dei; hæc sint & nostra arma, oratio: quid faciebam? orabam, vt eos vincerem? Absit: Dominus non orabat, vt vinceret: sed quid dixit? Ego autem orabam: quid dicebam? Pater ignosce eis; quod enim faciunt, nesciunt.

3 *D. Hieron.* Repleti vino iniquitatis qualiter eum interficerent, concinebant: stultè enim psallit, qui in Deum molitur insidias: sciens enim propheta stultum in aliquibus esse psallere, audi qualiter doceat quosdam, Psallite, inquit, sapienter: vel ebrij erant de vino, quando operiebant caput eius, & dicebant, Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit? Ego verò orationẽ meam ad te Deus, Iudæis mihi maledicentibus atque dicentibus, Crucifige, Crucifige eum, pro eis orans loquebar, Pater ignosce eis; non enim sciunt quid faciunt. *ps. 46. 8. Matt. 26. 68.*

4 *D. Laur. Iustin. c. 17. de triumph. Christi agone.* Circumdederunt me dolores mortis, & nomen Domini inuocaui, Inuocauit planè nomen Domini, & exaudiuit eum, Inuocauit, inquam,

non pro se, sed pro membris suis, pro crucifixoribus suis, quos prædestinauerat ad vitam, & quos in se nonerat credituros, & impetrare promeruit. Pro ipsis vtique deprecatus est inquiens, Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.

ANNOTATIONES.

1 R*Etribuebãt mihi mala, pro bonis, & oratio mea, &c.* Orationem hãc Redẽptoris nostri pro crucifixoribus suis Iob in personã Redemptoris ipsius mundam appellat: *Hac*, inquit, *passus sum absque iniquitate manus mea cum haberem mundas ad Deum preces:* Absque iniquitate enim manus suæ pertulit, *inquit Greg. lib.* 13. *mor. c.* 11. qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius; & tamen dolorem crucis pro nostra redemptione tolerauit: qui solus præ omnibus mundas ad Deum preces habuit, quia & in ipso dolore passionis pro persecutoribus orauit dicens, Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Quid enim dici, quid cogitari in prece mundius potest, quam cum & illis misericordia intercessionis tribuitur, à quibus dolor toleratur?

c. 16. 18.

1. *Pet.* 2. 22.

Luc. 23. 34

SITIS ARDORE TORQVETVR.

Matt. 27. *Mar.* 15. *Luc.* 23. *Io.* 19.

§. LXII.

1 *Lingua mea adhæsit faucibus meis ps.* 21. 16.
2 *Cucurri in siti. ps.* 61. 5.

3 D*Idymus in cat. græca* Lingua mea adhæsit, &c. Per hæc sitim significat, quam habuit in pretiosa cruce, cum & potũ petenti acetum cum felle attulerunt.

D. Hilarius. Hæc enim ita vt scripta leguntur, expleta sunt: nam & fel ingestum ei, & aceto potatum, Euangelistæ testantur: oblatum quidem secundum Matthæum fel renuens, sed secundum Ioannem, vt acetum potaret, sitiuit.

D. Laur. Iustin. de triumphali Christi agone cap. 19. *in fine* Vrebantur omnia interiora eius, & præ siccitate exaruerant iuxta propheticum illud, Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & tamen clamanti, sitio, gutta aquæ crudeliter denegatur.

Nicephorus in cat. græca Adhæsit lingua mea, &c. quando in cruce sitiuit.

2 *D. August.* Cucurri in siti. Retribuebant enim mala pro bonis: illi interficiebãt, illi repellebant; ego eos sitiebam: illi honorẽ

meum cogitauerunt repellere; ego eos in corpus meum sitiebam traijcere: bibendo enim quid facimus, nisi humorem foris positum in membra mittimus, & in corpus ducimus nostrum? Hoc fecit Moyses in illo capite vituli. Caput vituli magnum sacramentum; caput enim vituli corpus erat impiorum: *Et post pauca:* Hoc corpus (*scilicet impiorum*) vsque in finem sitit iste: currit, & sitit; multos enim bibit, sed numquam erit sine siti, inde est enim, Sitio, Mulier da mihi bibere: Samaritana illa ad puteum sitientem Dominum sensit, & à sitiente satiata est: sensit prior illa sitientem, vt biberet ille credentem. Et in Cruce positus, sitio, dixit; quamuis illi non hoc dederint quod sitiebat; ipsos enim ille sitiebat, at illi acetum dederunt, non vinum nouum, quo implentur vtres noui, sed vinum vetus, & malum vetus. Ex.32.20 Io.4.7.

Arnoldus quoque Carnot. tract. de septem verbis Domini ad verbum, sitio, locum hunc psalmi ad sacramentalem sitim deflectit Christus, *inquit*, inter supplicia sitit: exhaustum erat sacrum pectus sudore sanguineo, & lignum illud, cui affixus erat, sanctis baiulauerat humeris, & vt solet mæstitia somnus nonnullis obrepere, sic poterat sitis illa accendi: Forsitan sic erat: ego verò sacramétalé hanc sitim intelligo, in qua non tam desideratur potus, quam hominum salus: neque enim ab irrisoribus, & interfectoribus poterat beneficium expectari; quia omnes ad impietatem proni paratiores erant augere iniurias, quam misereri, vel compati. Christus tamen, sicut per Dauid prædixerat, irruentibus in se vniuersis tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ currit, & sitit: sitit conuersionem, currit ad remissionem. Ps.61.4

D. Laur. Iustin. de triumphali Christi agone cap. 19. post med. quod mulieri vni Samaritanæ dixerat, da mihi bibere, hoc in cruce nunc fixus omnibus ait, sitio: Vos, inquit volo; vos cupio; vos corpori meo vnire; vos mihi associare sitio. Hanc vocem in spiritu propheta audisse testificatus est inquiens, Pretium meum cogitauerunt repellere; cucurri in siti. Curramus igitur & nos, fratres curramus omnes, & sitienti Christo in potum illi præbeamus nos ipsos: sitit nos propter nos: inebriare nos vult: omnem abigamus moram, torporem, dubietatemque, ne tardi inueniamur ad sitientem currere fontem. Io.4.7.

ANNOTATIONES.

Christi Domini sitis in cruce non modo naturalis sed mystica etiam fuit: mysticè autem nō solum appetijt conuersionem salutemque animarum, verùm multo plures maioresque cruciatus, ut diserte docet D. Bern. tract. de passione cap. 33. his verbis: Cum instaret

Mat. 26. 39. ret hora passionis extremæ procedens ad orationem Dominus Iesus procidit in faciem suam orans, & dicens, Mi Pater, si possibile est, transfer hunc calicem à me: & hoc non tantum semel, sed secundò, & tertiò fecit, per calicem, quem bibiturus erat, procul dubio passionem significans, quam erat passurus: nunc verò eodem calice iam ebibito dicit: sitio: Quid est hoc? Antequam gustes, ò bone Iesu, petis calicem omnino auferri, & post quam bibisti, sitis? Vt video mirabilis potator es tu: numquid vino iucunditatis, & non potius vino compunctionis, & summæ amaritudinis repletus fuit calix tuus? imo verò compunctionis amarissimæ plenus est, qui non sitim; sed potius potãti fastidium generare deberet. Sed, vt existimo, ante passionem calicem ipsius tui Patris à te transferri orasti, nõ vt passionem declinares, pro qua venturus eras patienda, & sine qua salus humano generi non adesset; sed ne putaret quis, te verum hominem amaritudinem non sensisse propter claritatis vnionem, verbis petentibus calicem à te transferri semel, & bis, & tertio, summam acerbitatem passionis tuę dubitãtibus indicasti; & nobis quoque te sequentibus doctrinæ, & exempli formam præscripsisti, quod imminentibus periculis etiam cum ad vtilitatem nostram pertineant, posse, & debere à nobis Dominũ frequẽtius orari, vt flagella iracundiæ suæ à nobis dignetur auertere: nihilominus & si tamen oblata non fuerint, exemplo passionis tuæ gratanter; patienter, & vtiliter cum omni perseuerantia toleranda sunt. Quando autem passionis calicem, quem antea rogaueras auferri, iam exhausisti, dixisti, sitio, dilectionis erga nos tuæ magnitudinem commendans; tamquam diceres, quamuis passio mea tam acerba fuerit, vt quantum ad humanitatis sensum illã declinare petiuerim; tamen tua, ò homo, me caritate vincente, & ipsa tormenta crucis superante, adhuc plura, & maiora, si necesse sit, sitio subire tormenta; nihil enim est, quod detrectem pro te pati, pro cuius pretio animam meam pono.

Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Io. 19.

FELLE, ET ACETO POTATVR.

§. LXIII.

1 *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto ps. 68. 26.*

2 *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt ps. 68. 31.*

3 D. *Ambrosius l. 10. in Luca c. 23.* Secundum Matthæum, Currens vnus spongiam impleuit aceto, & dabat ei bibere,

bere, quod & bibit; sic enim habes apud Ioannem, cum ergo accepisset Iesus acetum. Vinum vero cum felle mistum non bibit; sic enim habetur in Mattheo, & dederunt ei bibere vinum cum felle mistum, & cum gustasset, noluit bibere. Acetum itaque bibitur, vinum cum felle non bibitur, non quia fel, sed quia mista c.27.
vino amaritudines recusantur: nam amaritudines vitæ nostræ pro corporis vtique conditione suscepit: denique ipse ait, dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto: sinceritati namque non desiuit amaritudo misceri, vt ostenderetur sine amaritudine immortalitas resurgētium futura: quæ quoniam in va[illegible] consortii humano, edulcatur in Christo.

D. Chrysost. hom. de negat. Petri, & de Cruce Hodie impletur & Propheticum Dauidis oraculum, quod ad hoc crucis mysterium pertinet maximè; Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Memoria itaque tene, dilectissime, quo pacto Dominus in cruce suspensus clamarit dicens; sitio, & continuò currens vnus, ac spongiam implens aceto, & felle obtulit Domino. Sed qua tandem de causa Dominus siti vexabatur, qui effecit, vt prærupta petra in stagnum abiret? quia nimirum quod scriptum erat, oportebat impleri; dederunt in escam meam fel; & in siti mea potauerunt me aceto. Talia sunt Iudaicæ vineæ torcularia: etenim ex vinea Sodomorum vinea eorum, & palmes eorum ex Gomorrha: illorum siquidem torcularia acetum, & amaritudo; nostra autem vindemia dulcedo, & immortalitas. Propterea & cohortans dicebat propheta, Gustate, & videte, quoniā suauis est Dominus.

Iob.16.28.
Deut.32. 32.
Ps.33.9.

D. Cyrill. Alex. lib. 12. in Io. c. 35. Cùm truculenter omnia impietate Iudæorum essent peracta, nec quidquam ad summam crudelitatem deesset, tandem sanctissima caro Christi naturale quid patitur; multis enim ac varijs doloribus exiccata siti torquetur; multum enim possunt dolores ad commouendam sitim; innatum enim calorem exagitantes vel quod in profunditate humidum est, consumunt, & igneis ardoribus dolentis viscera vrunt: sicut igitur ceteras passiones, sic hanc etiam sponte Christus perpessus est. Bibere igitur petit; illi autem adeo longè ab omni humanitate aberant, vt pro iuuante potu atque iucundo nocentem, & acerbum attulerint, & humanitatem, qua moueri videbantur, in impietatem conuerterint. Nam cùm petenti dabant, caritatis habitum suscipere videbantur; sed non est possibile mentiri scripturam in qua ex persona Christi dicitur, Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Sed hic quidem Euangelista spongiam aceto plenam hyssopo illos circumposuisse, ac attulisse scribit; Lucas verò aceti solummodo meminit; Matthæus autem

&

& Marcus calamo spongiam circumpositam scribit fuisse. nec discrepantiam in Euangelistis vllam esse dicemus; nam cum necessarium ad pietatem non esset, modum quoque rerum omnium minutius conscribere, alius aliter scripsisse videtur: quia cum omnia facta sint, non omnia omnes, sed alius aliud conscripsit. Beatus igitur Lucas nullam de allationis modo curam habuit; Ioaunes verò à cæteris non discrepat, quamuis ita imperitis videatur, perspicuum enim est, multos impietatis fuisse ministros, milites simul atque Iudæos: Alij ergo calamo, alij ligno hyssopi potum Iesu afferebant.

D. August. & dederunt in escam meam fel, &c. Factum est quidem ad litteram, & euangelium hoc nobis indicat.

D. Cypr. in expos. symboli ad illa verba Crucifixus sub Pontio
Ma. 15. 23. *Pilato*, Refertur etiam quod aceto potatus sit, vel vino myrrhato; quod est amarius felle. Audi, quid de hoc propheta prædixerit, & dederunt inquit, in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

D. Cyrillus Hierosol. catechesi 13. Dederunt in cibum meum fel, &c. Cernis claritatem prædictionis propheticam? Cuiusmodi autem fel dederunt ori eius, Dederunt, inquit, illi vinum myrrha permixtum; myrrha autem fellis instar amara est.

D. Bruno Episc. Et dederunt &c. Hoc autem, & Euangelista similiter narrat; quia dederunt ei acetum cum felle mixtum.

Hesychius in cat. apud Corderium. Hoc etiam Crucis tempore impletum reperiemus; nam Iudæi tunc ei acetum, & fel obtulerunt.

D. Laur. Iustin. de triumphali Christi agone. c. 19. prope finem. Perfecerunt opere quod longe ante fuerat vaticinatum; sic enim in persona Christi propheta prædixerat, Dederunt in escam meam fel; & in siti mea potauerunt me aceto. Crudelitatem quippe Iudæorum perfidorum expressit; sed neque conticuit malitiam peccatorum: quotquot sunt dediti voluptatibus, quotquot superbiæ spiritu inflati sunt, quotquot liuoris, odij, aut nocendi veneno
Deut. 31. referti sunt, in arundine, & spongia fel Domino porrigunt siti-
33. enti: de huiusmodi ait Propheta, fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.

2 *D. Amadeus hom. 5. de laud. Virg. prope finem.* Pendebat ille luens nostra, non sua delicta; & Pharisæi cum scribis illudétes percutiebant caput eius, & offerebant acetum felle mixtum ori eius, vt impleretur prophetia Dauid dicentis ex persona Christi, Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

D. Bernardus lib. de pass. Domini c. 5. Omnibus consummatis, ecce crucifixus es; nec sufficit, te vulneratum esse, quæri, & super dolo-

dolorem vulnerum tuorũ addunt dantes tibi sitienti vinum myrrhatum bibere cum felle mixtum.

IRRIDETVR AB ASTANTIBVS. 1

§. LXIV. *Matt. 27. Luc. 23.*

1 *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labijs, & mouerunt caput: sperauit in Domino eripiat eum, saluum faciat eũ: quoniam vult eum ps. 21. 8. & 9.*
2 *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me ps. 68. 10.*
3 *Exarserunt sicut ignis in spinis ps. 117. 12.*
4 *Et ego factus sum opprobrium illis; viderunt me; & mouerunt capita sua ps. 108. 25.*
5 *Factus sum tamquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu ps. 30. 14.*

1 D. *August in expos.* 1. *ps.* 21. Et locuti sunt non in corde, sed in labijs: nam irridentes mouerunt caput dicentes, sperauit in Dominum; eruat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum. Hæc verba erant, sed in labijs dicebantur.

D. Basil. in schol. ad. ps. 21. Impleta sunt hæc in passione; multi enim, inquit, motis capitibus dicebant, Alios seruauit, se ipsum seruare nequit. *Matt. 27. 42.* Præterea & illud, Sperauit in Dominum, eripiat eum, in sacris Euangelijs reperitur: & illud, Si filius Dei es, serua te ipsum. *Ibid. v. 40.*

Eusebius in cat. graca Et hæc quoque impleta sunt eo tempore quo Saluator passus est: vnde Matthæus scribit, Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua; atque dicentes Vah qui destruis templum. *c. 27. 39.* Principes quoque Sacerdotum pariter cum Pharisæis, & Scribis dicebant, Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: Confidit in Deo, liberet eum, si vult; dixit enim filius Dei sum. *Ibid. v. 42. & 43.*

Petr. Damiani opusc. 2. hoc est in Antilogo contra Iudaos c. 1. Et erit vita tua pendens ante te. *Deut. 28. 66.* Quando autem fuit vita tua pendens ante te, nisi tunc, cùm mouentes caput ante Crucem dicebatis, Alios saluos fecit seipsum non potest saluum facere: si filius Dei est, descendat nunc de cruce, & credimus ei? *Mat. 27. 42.* Quod manifestissimè per os David ipse Dei filius loquitur dicens, Omnes qui videbant me, aspernabantur me; locuti sunt labijs, & mouerunt caput: sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum.

Theodoretus in cat. graeca. Verba hæc in facris Euāgelijs posita sunt: multi enim, inquit, mouentes capita sua dicebant, Alios saluos fecit, se ipsum saluum facere non potest: Et alter ex latro-
Luc.23 39 nibus dicebat, Si filius Dei es, saluum te ipsum, & nos facias. Atque etiam hæc clausula, Sperauit in domino eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum in sacris Euangelijs inueniri potest.

2 *Eusebius in cat. graeca ad illa verba ps. 21. Opprobrium hominum, & abiectio plebis*. Planè Dominus, & Saluator noster verè omnium hominum opprobrium factus est, cum Crucem pro nobis, despectissimum mortis genus, subierit. Nam alia quoque ex persona ipsius prophetia dicit, Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Ac alij homines illum crucis tempore despectissimum reputarunt: aliud verò agmen fuit præter istos, quod ostentui illum habuerunt: quinam isti præterquam populus ex circumcisione? Quamobrem deinde inquit, Et abiectio plebis: Isti enim illudentes ei, & subsannantes dicebant, Vah, qui destruis templum Dei, & in tribus diebus illud ædificas: Alios saluos fecit, seipsum saluum faciat: si Rex Israel est, descendat de cruce, & credimus ei.

D. Hieron. Exprobrationum iurgium super eum proiecerunt, cū eum & Samaritanum, & Dæmonium habentem vocarent. Vnde
Io.8.48. Iudæi contra Christum dicebant, Si filius Dei es, descende de cru-
Matt.27. 40. ce, & credimus tibi. Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Qui exprobrant Filium, & Patrem exprobrant; quia qui
Ibid.42. non credit filium, nec Patrem habet.

Rupertus lib. 1. in Oseam c. 2. Aduersum me loquebantur, vel execrabantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bi-
ps.68.13. bebant vinum: biberant enim, vt iam dictum est, illa nocte vinum, atque perinde ebrietate augente furorem psallebant in eum, psallebant, inquam, non sicut Dauid, laudem Dei, sed strepebant vocibus irrisionis opprobria decātantes, & blasphemiam nominis Dei, sicut ait ipse, Et opprobria exprobrantiū tibi ceciderunt super me.

3 *D. Ambros. in exhortat. ad Virgines* Spinæ, cum ardent, sonāt, & cito exuruntur, vt nullus caloris effectus: Vnde, & Iudæis dictum est, Exarserunt sicut ignis in spinis. Exusti sunt enim suo risu (*alludit ad illud Eccles. 7.7. sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti*) Et conflagrarunt in Domini passione, quando in animę suæ vocabantur incendium dicentes, Sperauit in Domino, eripiat eum; saluum faciat eum, quoniam vult eum: ille risus Synagogam incendit in æternum.

4 *D. Bruno Episc*. Viderunt me flagellatum, crucifixum, spi-
Matt.27. 40. nis coronatum, & mouerunt capita sua dicentes Vah qui destruis tem-

templum Dei, & in triduo illud reædificas: salua te ipsum.

D. *Cyrillus Hierosol. catechesi* 13. Iudæi accedentes mouebant capita sua illudentes Crucifixum, implentes quod scriptum erat, Videbant me, mouebant capita sua.

Rupertus in Naum lib. 3. c. 3. Commotio capitis aliquando pro insultatione, aliquando pro consolatione solet intelligi. Pro insultatione, vt illic, Opprobrium factus sum inimicis meis; viderunt me, & mouerunt capita sua. Itē ps. 21. 8. Deriserunt me, locuti sunt labijs, & moueruut caput: Hæc namque prædicta de eo sunt, quod Crucifixo Domino prætereuntes blasphemabant cum mouentes capita sua.

5 *Albertus M.* Quoniam audiui vituperationem multorum, Non vnius tantum, commorantium in circuitu mei pendentis in cruce.

D. Bruno Episc. Factus suam, inquit, sicut vas perditum, quoniam sic me habuerunt, quasi impium, & perditioni obnoxium: *Et post pauca*: sicut vas perditum factus est, quoniam inter iniquos deputatus est: qui & ipse audiuit vituperationem multorū circumhabitantium, quando genu flexo illudebant ei dicentes, Vah qui destruis tēplum Dei, & in triduo reædificas illud, Et multa alia. *Matt.* 27. 40.

Rupertus lib. 4. in psalmos c. 5. Factus sum tamquam vas perditū, quoniam audiui vituperationem multornm dicentium, Vah qui destruis templum Dei: saluum fac temetipsum.

QVERITVR SE A DEO PATRE DESERTVM.

Matt. 27. *Mar.* 15.

§. LXV.

1 *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? ps.* 21. 2.

1 D. *Ambros. ad* 2. *octonarium ps.* 118. *in illa verba ne derelinquas me Domine*, Nemo, *inquit*, debet inflari, quod numquam derelinquatur, vel dolere, quod aliquando derelinquitur: siquidem ipse filius se dicit derelictum, sicut habes, Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Et ille quidem numquam derelictus à Patre est, cum quo Pater semper est; scriptum est enim, Ecce iam venit hora, vt dispergamini vnusquisque in sua, & me solum relinquatis; sed non sum solus, quia pater mecum est, sed secundum corpus, in quo est traditus passioni, vox ista processit; quoniam derelinqui nobis videmur, quando sumus in periculis constituti: vnde & Paulus ait, Qui filio proprio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit eum: dereliquisse videtur, *Io.* 16. 32. *Rom.* 8. 32

quia non pepercit, qui tradidit morti; sed non pênitus dereliquit quia Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.
ps. 15. 10.

Idem Ambros. serm. 3. ante med. Dicit itaque Deus Deus meus respice in me, & reliqua. Quare assumpti hominis gerit causã, & interrogare quodammodo videtur dicens Deus omnium, qui es Deus meus, cur me dereliquisti? nihil enim conscius sum; secundum prophetam enim nesciebat peccatum, nec erat dolus in ore eius. Hæc autem dicit, vt manifestaret, propter nos se esse derelictũ, quorũ peccata portabat, ac videtes disceremus pro ipso sancto, & iusto mori, cũ pro peccatoribus ille moreretur; Denique hac voce in passione vsus est, sicut in Euangelio legimus, Ely, Ely Lammazabathani: hoc est Deus, Deus meus quare me dereliquisti? hac, inquam, voce vsus est, quod propheta annunciauerat, vt rei exitus approbaret.
Is 53. 9.
1. Pet. 2. 22.

Arnoldus Carnot. tract de septem verbis, & primum de illo Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Deseritur Christus ad modum Ionæ prophetæ: proiectum in mare venter belluę suscipit, sed prope erat susceptio matutina, de qua Pater prædixerat dicens ad filium Exurge gloria mea (*ps. 56. 9.*) & filius ad Patrem, Exurgam diluculo. Exarmata erat nauis, fractumque remigium; sed recollectis reliquijs iterum nauigij supellectilem Gubernator magnus aptat ad cursum: & cuius res deploratæ videbantur, dum clauderetur intra sepulchrum, deuicta morte victor egrediens imperauit ventis, & mari: & infernus obstupuit iudicem, quem quasi prædam peculiarem vnguibus carni infixis pro consuetudine indifferenti attraxerat: sanè ille psalmus, cui titulus est, In finem pro susceptione matutina ex persona Christi sic incipit, Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti?

D. August. in expos. 2. ps. 21. Istum versum primum in cruce audiuimus, vbi Dominus dixit, Eli, Elì, quod est Deus meus: Deus meus: Lammazabatani, quod est, quare me dereliquisti? interpretatus est eum Euangelista, & dicit, eum hebraicè dixisse.

D. Basilius in schol. ad ps. 21. Cumligno crucis affixus esset Dominus, hac vsus est voce dialecto hebræa. Dicit autem ista Dominus Christus tamquam primitiæ humanę naturæ pro tota natura, quemadmodum & in subsequentibus verbis facit.

Theodoretus Patibulo suffixus in hanc vocem erupit Hebraica voce vsus, Heli, Heli, Lammazabathani: quomodo igitur eiusdem veritatis testimonium scribendo præteriri potest? derelictum autem fuisse docet, vt qui nullum peccatum commiserit, morti tamen obnoxius fuerit quæ contra peccatores potentiam suscepit. Vocat igitur derelictionem, non diuisionem diuinitatis coniunctæ, vt qui-

quidã suspicati sunt, sed illam permissionẽ, qua diuinitas permisit, vt humanitas pateretur; aderat enim diuinitas in forma serui patiente, & siuit illam pati toti hominum generi salutem moliens, hæc tamen nihil inde patiebatur.

ANNOTATIONES.

DEus, *Deus meus respice in me, &c.* In eo se à Patre derelictũ queritur, quod non statim exaudiatur; tametsi non ad insipientiam, sed sapienter dilata sit exauditio, vt constat ex contextu. Cum enim dixisset prius, *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* statim subdit, *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi*. Eodem modo cõqueritur apud Abacuc c. 1. 2. dicens, *Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis?* In quæ verba Rupertus lib. 1. in Abac. c. 1. *Numquid enim hoc*, inquit, *non illi par, aut simile est, quod iamdudum apud psalmistã dicebat Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Deus meus clamabo per diem, & non exaudies. Si reuera Dauid illud non in sua persona, sed in Christi dixit persona, cur non & iste in persona eiusdem dicat hæc similia? Veraciter hoc dignum est, & Spiritum Sanctum decet, vt verba, quæ per prophetas loquutus est, illi ascribantur personæ, de qua iure illi cura est. Qui verè iustus extitit, quia peccatum non fecit, & idcirco dum pateretur tamquã peccator, dum præualeret aduersus eum iniustus, atque clamaret, & non exaudiretur ad tempus, iudicium quærere poterat sicut iustus, sicut manifestè in præsentibus dictis habemus. Nam vt erat fortis luctator, Deum vocat in ius, & dicit, Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies? Clamabat autem clamore valido, & exauditus est; quamuis & hic in psalmo dicat, Clamabo, & non exaudies: De hoc Apostolus, Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui posset saluum illum facere à mortuis cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.* Et post multa. *Et tu in principio terram fundasti, & opera manuum tuarũ sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Confortare igitur Domine meus, sancte meus, quia non ad insipientiam tibi, quod videtur te dereliquisse Deus, imo ad magnam sapientiam: magnus enim erit mortis tuæ fructus, quia non moriemur: quia, etsi peribunt cæli, idest sancti, morte carnis, tu primus resumpta carne permanebis; eosque veterascentes sicut vestimentum pro conditio-*

Heb. 5.

Ps. 101. à v. 26.

tæ mortalitatis, tu velut amictũ mutabis vera resurrectione eiusdem carnis, & mutabuntur; ita vt iam ex eo semper in æternum incorruptibiles, & impassibiles sint. Eumdem mortis Christi fructum, nostramque adeo resurrectionem ex allatis psalmi 101. verbis magis explicans idem Rupertus lib. 5. de victoria Verbi Dei c. 17.
Heb.1.10. sic ait, *Quid pulchrius, quid sonorius hinc dici potest, quod, & psalmista prædixit, & Apostolus succinit, Tu, inquit, in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes vt vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos? &c. Ad Filium, quod est Dei verbum, dictum hoc esse Apostolus meminit: terra iuxta conditionem, cæli iuxta fidei dignitatem fuerunt supradicti Elias, & Elisæus; sicut & Dauid, & Abraham, ceterique sancti, quorum in mentibus per fidem Deus sedit, & habitauit, rectè dicuntur cæli; Eiusmodi cæli perierunt, idest pertansierunt, quia mortales erant, & mortui sunt; & quandoque immutandi, & renouandi sunt, qui sic inueterauerunt: Tu autem, ò Verbum Dei, idem es, & illis deficientibus, non defecisti, nec deficies.*

Luc.23. 46.

SPIRITVM COMMENDAT PATRI.

§. LXVI.

1 *Clamaui ad te Domine, tota die expandi ad te manus meas* ps. 87. 10.
2 *In manus tuas commendo spiritum meum* ps. 30. 6.

Luc.23. 46. 1 D. *Bruno Episc.* Clamauit autem, sicut in Euangelio legitur, voce magna dicens, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Expandit verò in cruce positus manus suas totâ die, sicut per prophetam dicitur, Tota die expandi manus meas
Is. 65. 2. ad populum non credentem, & contradicentem mihi. Hac benigna manuum suarum expansione totum mũdum Dominus amplexatus est, omnesque in se credentes ad se attraxit.

2 *D. Aug.* In manus tuas commendo spiritum meum. *Verba hæc ita interpretatur,* Potestati tuæ commendo spiritum meum, cito recepturus.

D. Cypr. in expos. Symboli ad illa verba Crucifixus sub Pontio Pilato Spiritum post hæc scribitur reddidisse: pronũciatũ fuerat & hoc per prophetam dicentem, In manus tuas commendo spiritum meum.

Origines in cat. apud Corderium In manus tuas, &c. Hac sententia etiam vsus est Saluator, cum Cruci affixus erat.

MO-

MORITVR, ET AD MORTEM IPSIVS TENEBRÆ FACTÆ SVNT SVPER VNIVERSAM TERRAM. *Matt. 27. 45. & 50.*

§. LXVII.

1 *Fecit lunam in tempore, sol cognouit occasum suum ps. 103. 19.*
2 *Sol cognouit occasum suum; posuisti tenebras, & facta est nox Ibid.*
3 *Ego sum vermis, & non homo ps. 21. 7.*

1 D. *Bruno Episc.* Fecit lunam in tempore; sol cognouit occasum suum. Vno enim eodemque tempore & Ecclesia, quæ per lunam significatur, initium habuit, & sol iustitiæ Christus Deus noster venit ad occasum: sicut enim de latere Adam dormientis Eua facta est, ita de latere Christi in Cruce pendentis Ecclesia fabricata est.

Innoc. III. serm. in fer. 5. post Dom. 3. Quadrag. Sol iustitiæ Christus est, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, de quo dicit Propheta; Sol cognouit occasum suum. Hic sol occubuit, quando Christus inclinato capite spiritum emisit. *Io. 1. 9.*

2 *D. August.* Sol cognouit occasum suum: Et hic qui sol, nisi sol ille iustitiæ, quem sibi non ortum impij plangent in die iudicij? qui dicturi sunt in illo die, Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol non ortus est nobis: *Et infra:* Quid est, sol agnouit occasum? Christus agnouit passionem suam: occasus Christi passio Christi. Sed numquid sic sol occidit, vt non oriatur? Numquid qui dormit, non adijcit, vt resurgat? Nonne ipse dixit, Dormiui turbatus? & de ipso dictum est, Exaltare super cælos Deus? Ergo sol agnouit occasum suum: quid est agnouit? approbauit; placuit ei. Et vnde ostendimus, quia agnouit, hoc est, placuit ei? quid enim non nouit Deus? quid non nouit Christus? & tamen dicturus est quibusdam in fine, non noui vos. Quomodo ergo ibi non noui vos, non est quasi mihi ignoti estis, sed non mihi placetis; sic & hic agnouit occasum suum, placuit illi occasus suus: si enim ei displiceret quomodo pateretur? homini enim etsi displicet passio sua, patitur & quod non vult; ille autem non pateretur, nisi ei placeret; idest nisi agnosceret occasum suum, non occideret, quia ipse dixit Potestatem habeo *Sap. 5. 6.* *ps. 40. 9.* *ps. 56. 5.* *Ibid. v. 6.* *Mat. 7. 23*

Io. 10. 18. beo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam; nemo tollit eam à me, sed ego ipse eam pono à me. Ergo agnouit occasum suum, & sol agnouit occasum suum. Et quando occidit sol, cum passus est Dominus, factæ sunt quędam tenebræ in Apostolis: defecit spes eorum, quibus primò magnus, & redemptor omnium videbatur: quare Posuisti tenebras, & facta est nox.

D. Bruno Hpisc. Posuisti tenebras, & facta est nox, Eo, *inquit*, tempore, quo sol iustitiæ Saluator noster occubuit, tenebræ factæ sunt, quibus & intus, & extra miseri Iudæi sunt excæcati; & facta est super eos nox, & caligo tenebrarum.

3 *Eusebius in cat. græca.* Ego autem sum vermis, & non homo, Per hæc verba mortem suam, et se mortuum inanimatum significat; mortuus enim, non est homo; sed si omnino mortuus est, sat est illi, homo si videatur, Ego autem, inquit, sum non homo; quoniã cum mortem virtute propria abolere posset, mortem suscepit; iure se ipsũ vermem, non hominem appellauit.

ANNOTATIONES.

1 Lunæ nomine congruenter in scripturis significatur Ecclesia, An quòd suum à se lumen non habeat, sed ab vnigenito Dei filio, qui multis in locis iustitiæ sol appellatur? An quòd ex parte spirituali luceat, ex parte autem carnali obscura sit; & quandoque spiritualis pars in bonis operibus appareat hominibus, quandoque verò in conscientia lateat, ac Deo tantummodo sit nota? An quòd nunc incrementa in bonis, nunc decrementa in malis sentiat? Hæc si quis per allegoriam senserit, Augustino consentiet ad illud ps. 10. *vt sagittent in obscuro* vel, (vt ipse legit) *in obscura luna rectos corde*.

Is. 57. 1. 2 Iustus moritur, & quamuis vnus non recogitet homo, iusta ei nihilominus persoluuntur, & tamquam naturæ parenti tota parentat natura. Nam & cœlum tenebris obducitur, ex quo atratus in mærore mundus apparet, & terra profundis concussionibus contremiscens dolorem suum ostentat scissione petrarum. Nimirum *debebat* vt ait S. Leo P.P. serm. 6. de pass. *hoc testimoniũ suo mundus auctori, vt in occasu conditoris sui vellent vniuersa finiri*, & D. Fulgentius serm. 28. initio *In cuius passione*, inquit, *cuncta commota sunt sidera, & euentum dominici vulneris elementa tremuerunt. Expanit dies non solitam noctem, & non suas tenebras mundus inuenit; stetit sub incerto lumine dies inclusus, & penè ipsa lux mundi mori visa est cum Deo. Ad hoc scilicet omnis claritas migrauit in noctem, ne sacrilegium cernere cogeretur: clau-*

ferat enim suos oculos cælum, ne in cruce aspiceret Dominum. Pulchrè autem Chrysost. serm. 4. feriæ 5. in cæna Domini noctem sub meridiem inductam docet ad tegendam Dei morientis ignominiam, *Ecce subita* (verba sunt Chrysostomi) *tenebrarum caligine tota passionis indignitas tegitur, & omnis iniuria noua noctis obscuritate velatur*. Nec minus eleganter Beda in Gen. c. 9. Christum Dominum, tamquam Noe, non vino, sed amoris vi ebriú nudatumque in tabernaculo suo, idest in gente suа, considerat; eumdemque prius à Cham, hoc est à Iudaico populo irrisum, à luminaribus cæli, velut à Sem, & Iaphet, opertum pallio tenebrarum: *Sem*, inquit, *& Iaphet solem, & lunam significant pallium imponentes humeris suis, idest splendorem suum iuxta Crucem, quarũ facies auersæ sunt, idest sua auersione in tenebras*.

Porro de ecclipsi hac solis extra naturæ ordinem ab hora sexta vsque ad horam nonam per vniuersum orbem facta sic scribit Theoph. Ceram. hom. 27. *Quoniam sexta hora creatus Adam fuerat, congruum erat, vt sexta etiam hora per passionem Christi reformaretur: cumque sexta hora trangressio euenisset, eadem etiam emẽdata est. Sed creata natura creatorem videns à creatis hominibus cõtumelijs affectũ armabatur ad vindictã; & luna quidem cum tunc ex diametro soli esset opposita incredibili phosphorum velocitate præcurrens offudit tenebras: nec vero in vnam terra plagam, sed in omne, quod ambitu cæli continetur, vt etiam externi sapientes miraculum deprehẽderint. Nisi enim horum duorum astrorum contingat occursus, ecclipsis fieri nequaquã potest. Sed erat vtique nutus Dei naturæ ordine, serieque superior, qui ex immenso hæmisphærij spatio lunam ad solem obsepiendum indefessa celeritate perduxit: quæ vbi tres horas per perpendiculum soli subiecta terrarum orbem nocturnis tenebris obscurasset, ad ordinẽ suum recurrens rursus ex diametro illi se opposuit. Atque hoc fortasse Abacum ante significauit, Eleuatus est sol, & luna stetit in ordine suo: In crucem enim iustitiæ sole sublato, sublatus est etiam sol iste, qui sensu videtur, luce terræ præclusa, & luna famulata miraculo postmodum stetit in ordine suo.* *Abac. 3. 11.*

CLAMANS EXPIRAT, ET TERRA CONTREMISCIT. *Matt. 27. 51.*

§. LXVIII.

1 *Dedit vocem suam altissimus, & mota est terra ps. 17. 14.*
2 *Commota est, & contremuit terra ps. 17. 8.*

1 D. *Ambros. lib. 3. de fide c. 2.* Dubitari non potest, quod altissi-

tissimus Christus sit, cum alibi etiam dixerit de mysterio passionis, dedit vocē suā, & mota est terra. *Magnam illam vocem significat, quâ emissa Dominus expirauit, & protinus terra mota est, petræ scissæ sunt, vt dicitur Matt. 27. 51.*

Ex.18.19. 2 *D. Hieron. Commota est, &c.* Secundum historiam factum fuit, quando Moyses accepit legem in monte Sina, terra tremuit: quod præfigurauit passionem Christi; quia in passione Christi omnis terra tremuit, quando noua lex data est populo christiano.

Io.19.34. A MILITE LANCEA CONFODITVR.

§. LXIX.

1 *Hæc porta Domini; iusti intrabunt in eam ps. 127.19.*

1 RVpertus lib. 1. *in Michæam c. 3.* Hæc porta Domini; iusti intrabunt per eam. Quænam hæc est porta, nisi ipsa eadē passio Christi, extra quam nulla est via, qua in vitam quis possit ingredi? Portam illam, quam fecit in latere Crucifixi lancea militis, inundationem illam sanguinis, & aquæ, quæ inde profluxit, Diuident, ait, & transibunt, & egredientur per eam. Mich.2.13.

ANNOTATIONES.

CHristum in ligno crucis Arcam mysticè si quis agnouerit, in quam demersis in sanguinis ipsius diluuio humani generis criminibus, iusti saluarentur, fac ille in aperti lateris vulnere ostiū illud aduertet, quod Dei iussu à Noe priori illi Arcę ex latere positum est. Ad id autem asserendum inducit nos D. Ambros. qui in Arca à Noe ædificata humani figuram corporis descriptam fuisse multis docet lib. de Noe & Arca cap. 6. Nam primò *Dixit Deus ad Noe, Fac tibi arcam de lignis leuigatis,* seu, vt ipse legit, quadratis: *Quadratum autem, subdit, hoc appellamus, quod omnibus benè consistat partibus, & conueniat sibi. Itaque, & Deus auctor nostri corporis, naturaque fabricator adstruitur, & corpus ipsum perfectum esse ijs sermonibus figuratur; quadrata autem hominis membra esse, euidens ratio, si consideres pectus hominis, consideres vētrē pari mensura longitudinis, & latitudinis: Iam pedes, & manus, & brachia, fœmora, & crura quadripartita quis non ipso vsu aduertat? sicut autem pleraque eorum, etsi non eiusdem longitudinis, aut latitudinis, tamen qua analogiam ita seruent, vt in ijs quoque congrua mensura ratioque concurrat, longitudo prolixior, quam latitudo sit; latitudo, quam altitudo: Et sicut arca trina dis-*

Gen.6.10. Gen.6.14.

distantia est, siquidem trecentorum cubitorum longitudinem, & quinquaginta latitudinem, & triginta cubitorum latitudinem struandam esse præscripsit; ita & in nostro corpore summa est, & media, & minima distantia: summa secundum longitudinem, media secundum latitudinem, minima secundum altitudinem: totum tamen corpus attentum à singulis membris quadratum videtur; nam & in vsu ita est, vt eos quadratos dicamus, quos nec enormes proceritate, & validos robusti qualitate corporis æstimamus. Quod autem subdit, Mansiunculas, seu nidos, vt legit idem Ambrosius, *in ea facies, naturaliter dictum arbitror, eo quod omne corpus nostrum attextum est, sicut nidus, vt spiritus vitalis omnes partes viscerum penetret, atque de principali nostro fundat se per actus singulos. Nidi quidam sunt oculi nostri, quibus se virtus inserit: nidi sunt nostrarum sinus aurium, per quos se auditus infundit, & velut in foueam altam reijcit: nidus est narium, qui ad se odorem attrahit: Nidus est quartus maior ceteris hiatus oris, in quo nutritur; donec adolescat sapor, & vnde vox euolat: Nidus est membrana illa, quæ cerebrum fouet, & intra cohibet: spiritus quidem nostri, hoc est eius, quem carpimus, & quo alimur in hac vita, nidus est pulmo: Sanguinis autem & spiritus nidus est cor: Ossa quoque validiora nidos habent; sunt enim intus cauata, in quibusdam foraminibus est medulla: in visceribus ipsis mollioribus nidi cupiditatis, aut doloris sunt: & alia si quis consideret etiã plures nidos inueniet in hac fabrica humani corporis*. Accedit ad sensum Ambrosij Petrus Dam. & benè ab Arca Noe Christum in cruce præsignari ex eiusdem arcæ, & humani corporis non dissimili mensura docet serm. 2. de exalt. S. Crucis vbi *sicut Noe*, inquit, *cum suis per aquam, lignũque saluatur; sic & Christi familia aqua saluatur, & ligno; dum & baptismo salutis abluitur; & viuifica Crucis impressione signatur. Quæ videlicet arca, vt in sacramento Christi humani corporis videatur æquiparare mensuram, trecentos habuisse cubitos in longitudine, quinquaginta in latitudine, triginta verò in altitudine perhibetur. Trecenti namque quinquagenarium numerum sexies, & tricenarium in se decies includunt: & humani corporis longitudo à vertice vsque ad pedes septies tantum habet, quam latitudo, quæ est à dextera vsque ad sinistram: & decies tantum quam altitudo, quæ est ante, & retro. Sic nimirum Arca, & in trecentenario longitudinis suæ numero speciem Crucis, & in totius suæ demensionis habitudine figuram tenet dominici corporis: Et sicut septem animæ donantur Noe, vt per lignum saluentur in vndis; sic septem Ecclesiæ septiformi spiritu repletæ saluantur in Christo per lignum crucis, & aquam baptismatis.*

Verum strictius, & elegantius ad rem nostram D. Augus. l. 15.

de ciuit. c. 26. Quod Noe, *inquit*, homini iusto imperet Deus, vt arcã faciat, in qua cũ fuis liberaretur è diluuij vastitate, procul dubio figura est peregrinantis Ecclesię, quæ fit salua per lignum, in quo pependit mediator Dei, hominum homo Christus Iesus: nam & mensuræ ipsæ longitudinis, altitudinis, latitudinisque eius significant corpus humanum, in cuius veritate ad homines prænũciatus venturus, & venit. Humani quippe corporis longitudo à vertice vsque ad vestigia sexies tantum habet, quam latitudo, quæ est ab vno latere ad alterum latus, & decies tantum, quam altitudo, cuius altitudinis mensura est à dorso ad ventrem: Veluti si iacentem hominem metiaris supinum, seu pronum, sexies tantum longus est à capite ad pedes, quàm latus à dextera in sinistram, vel à sinistra in dexteram; & decies, quàm altus à terra. Vnde facta est Arca trecentorum in longitudine cubitorum, & quinquaginta in latitudine, & triginta in altitudine. Et quod ostium in latere accepit, profectò illud est vulnus, quando latus Crucifixi lancea perforatum est: hac quippe ad illum venientes ingrediuntur, quia inde sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.

Paulo aliter, sed non minus eleganter Rupertus lib. 8. de diuinis officijs c. 13. Ipse autem octonarius numerus animarum, quæ in arca saluæ factæ sunt, quia à primo pari, idest binario, proficiscens solidum corpus creat, scilicet habens longitudinem, latitudinem, atque altitudinem: nam bis bina bis, octo sunt, quod apud geometras, & arithmeticos vsitatum est: Ipse, inquam, octonarius numerus animarum perfectionem designat corporis Ecclesiæ, quod præeunte mundo infidelium per aquæ iudicium, quo nunc fideles ab infidelibus separantur, fide sua se saluat, & in ligno crucis supernatat. Et pulchè arca illa fenestram habuit in latere, per quam saluandi illi ingrederentur; quia Christus lancea militis in latere est vulneratus, per cuius vulneris Sacramentum cuncti credentes Ecclesiam ingrediuntur. Et quoniam Ecclesia de hominibus constat, pulchrè arca illa, quæ Ecclesiam figurabat, quamdam humani corporis similitudinem in ipsa forma sua prætendebat. Siquidem humanum corpus sic est, vt longitudinis suæ sextam partem habeat in latitudine, decimamque eiusdem longitudinis in altitudine. Sic arcam constructam fuisse non dubium est: trecentorum erat cubitorum in longitudine, quinquaginta in latitu-
Gen.6.15. dine, triginta cubitorum in altitudine.

Postremo audire non pigeat Drogonem Ostiensem Episcopum, qui in lib de Sacram. Domin. pass. Christum arcam, ostiumque arcæ acceptum in ipsius latere vulnus agnoscens, eumdem sic alloquitur, Aperi nobis, Domine, aperi nobis ostium lateris tui, quod est in

arca

arca tua, vt introducas nos cum mundis animalibus septena, & septena. Tu es verus Noe, quem solum inuenit Deus Pater tuus iustum coram se: Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: Tu cognoscis oues tuas, & ipsæ te agnoscunt, quia sunt animalia munda septena, & septena, qui septiformi gratia, & operibus lucis sabbatum ex sabbato adepti iam digni sunt Octauæ conscribi, qui numerus tantum in arca saluatus est. Introduc nos ad te per ostium lateris tui, quod est fides Ecclesiæ; & claude ostium à foris, donec pertranseat iniquitas; & cessante diluuio iterum nobis aperias ostium, non iam fidei, sed spei: ostium contra ostium, quod in montis ædificio Ezechieli Prophetę monstratum est. Interim tamen & fenestram habes in arca, per quam dilectus mittit manum suam, & columbam suam excitat, Surge, inquiens, amica mea, speciosa mea, & veni: & cum euolat post te, vt apprehendat te, effugis, & ascendis super Cherubim, & volas super pennas ventorum, vt non inueniat pes columbæ tuæ solidum quid de te, vbi requiescat, nisi iterum ad arcam tuam reuertatur, & tu manu apprehensam iterum in sua mansiuncula reponas: Tutius est enim in porta fidei interim præstolari, & quiescere, quàm te nimis, & frustra insequendo in aquas diluuij intransmeabiles decidere, & submergi.

Gen. 6. 9. *Mat. 3. 17.* *Io. 10. 14.* *Gen. 7. 16.* *Ez. 40. 13.* *Cant. 2. 13.* *ps. 17. 11.* *Gen. 8. 9.*

E CRVCE DEPOSITVS CVM AROMATIBVS SEPELITVR.

Io. 19. 40. & 42.

§. LXX.

1 *Et in puluerem mortis deduxisti me ps. 21. 16.*

2 *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebris, &c. ps. 17. 7.*

1 **D**. *Basilius in schol. ad ps. 21.* Traditus autem est & sepulcro, quod puluerem mortis nominauit.

Didymus in cat. græca. Fortasse quoque inferos, quos adiuit, & mortalitatem, quam nostri causa suscepit, mortis puluerem appellabis; fuit enim in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

Nicephorus in eadem cat. In puluerem mortis, Ad sepulchrum, inquit, tu volens deduxisti me propter hominum salutem.

Theodoretus ibidem. Post crucem sepulturæ traditus est: id quod mortis puluerem appellat, eo quod qui humantur, puluere obducuntur.

2 *D. Chrysost. aduer. Gentiles quod Christus sit Deus*. Consequenter

tor sepeliendus erat : quod sic manifestum : Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebris, & in vmbra mortis. Funeris quoque pompam non transierunt silentio, nempè quod mulieres attulerunt myrrham, guttam, & casiam. Audi quid dicat Propheta, myrrham, & guttam, & casiam à vestimentis suis, ex quibus lætificauerunt te filiæ Regum in honore suo.

Ps. 44. 9.

INANI STVDIO, CASSOQVE LABORE SEPVLCHRVM MVNIVNT SIGNANTES LAPIDEM CVM CVSTODIBVS.

Matt. 27. 66.

§. LXXI.

1 *Cogitauerunt consilium, quod non potuerunt stabilire ps. 20. 12.*

1 D. *Hieron.* Cogitauerunt consilium, quando dixerunt ad Pilatum, Domine recordati sumus, quod seductor ille, dixit adhuc viuens, post diem tertium resurgam : iube ergo custodiri sepulchrum vsque ad diem tertium. At ille, habetis custodiam : ite, custodite, sicut scitis : & postea posuerunt sigilla, sed mortui retinere virtutem non potuerunt. Resurrexit, quod illi nec voluerunt, nec crediderunt : Tunc non potuerunt stabilire consilium, quod cogitauerunt.

SEPELITVR NON PVTRESCIT IN SEPVLCRO.

§. LXXII.

1 *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem ps. 15. 10.*
2 *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem ps. 29. 10.*
3 *Eripe me de luto, vt non infigar. ps. 68. 15.*

1 LOcum hunc psalmi 15. tamquam vaticinium de incorruptione corporis Christi Domini recitat Apostolus Petrus Act. 2. 26. & 27.

Auctor imperfecti in Matt. hom. 49. Tale est, quod Petrus dixit in actibus interpretans, Et non dabis sanctum tuum videre corruptionem : quia non poterat hoc intelligere de Dauid, sed de Christo ; quia Dauid vidit corruptionem, Christus autem tertio die resurgens non vidit corruptionem.

D. Basil. in schol. in ps. 15. Loquitur hic quoque Dominus

Chri-

Christus secundum humanam naturam; quoniam, inquit, sine intermissione per diuinam confirmor naturam, salutarem aggredior passionem, & propter resurrectionis spem gaudeo; non enim derelinquetur in inferno anima mea; nec caro mea naturalem patietur corruptionem; veloci namque resurrectione potiar.

D. Bern. serm. 35. in Cant. circa med. Haud dubium, quin de corpore dicat, quod in sepulchro iacebat exanime: Hoc enim Sanctum & Angelus, qui nunciauit Virgini, locutus est dicens, Et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei. *Luc.1,35.*

Idem Bern. serm. 4. in vig. Natiuit. Domini circa medio. O verè Sanctum! non dabis, Domine, sanctum tuum videre corruptionem, quod nec matri quidem abstulit incorruptionem.

D. Cyrill. Alex. hom. de Incarn. verbi Dei in fine. Corruptionē caro Verbi Dei nullo modo sustinuit: iam enim ante vociferatus est de eo Propheta dicens, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Voluntariam quidem passionem sustinuit filius Dei incomprehensibilem in se continens Patrem, & in sinu Patris constitutus ineffabili modo & in carne sua continetur. Resurrexit verò triduanus, spoliatis inferis, & apparuit nobis in carne sua Dei filius, vt nos & à morte, & à corruptione liberaret.

D. Cyrill. Hierosol. cathechesi 14. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Non dixit, neque dabis sanctum tuum videre mortem; alioquin non esset mortuus; sed corruptionem, inquit, non videbo, in morteque non permanebo.

2 *D. Ambros. lib. 3. de Virginibus.* Sed ne mireris, quomodo descenderit in corruptionem, cuius caro, vt alibi scriptum est, non vidit corruptionem: descendit quidem in locum corruptionis, qui penetrauit inferna, sed corruptionem incorruptus exclusit.

D. Aug. enarrat. 2. in ps. 29. Quæ vtilitas in sanguine meo, &c. Si enim descendero, inquit, in corruptionem, id est, si fuerit corrupta caro mea, quomodo cæterorum hominum, vt in fine resurgat, vt quid fudi sanguinem? si enim non modo resurgam, nemini annunciabo, neminem lucrabor: vt autem alicui annunciem mirabilia tua, laudes tuas, vitam æternam, exurgat caro mea, non eat in corruptionem: nam si ierit, quomodo cæterorum hominum, quæ vtilitas in sanguine meo? Numquid confitebitur puluis, aut annunciabit veritatem tuam?

Idem August. epist. 120. cap. 15. Nec aliter exposuerunt Apostoli, quod in alio psalmo positum est, Neque dabis sanctum tuum videre corruptionem, nisi quia eius caro non est corrupta, quæ tam celeriter resurrexit: vnde item in alio psalmo dicit, quæ vtilitas *Act.2.27.*

litas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Numquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam? hoc scilicet dicens, quod si eo modo, quo & cæteri, mortuus dimitteretur in puluerem, & caro eius resurrectioni vltimæ seruaretur, nulla esset vtilitas in sanguine eius; quia nihil prodesset mors eius; nec annunciaretur veritas Dei, quæ illum continuò resurrecturum esse prædixerat.

3 *D. Hieronym. Eripe me de luto, &c.* Orat, vt non in luto, & puluere, sicut omne humanum genus dissoluitur, corrumpatur.

D. Hilarius. Eripe me de luto, vt non inhæream, & de profundo aquarum: qui infixus esset in limo profundi, vt luto non inhæreat, rogat secundum illud ps. 15. 10. Quoniam non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: qui enim de terra est, & in terram, ex qua acceptus est, reuertetur, luto, & limo, quo infixus est inhærebit in naturæ suæ, idest corporis, originem resolutus.

DESCENDIT CVM POTESTATE AD INFEROS.

§. LXXIII.

1 *Et in puluerem mortis deduxisti me ps. 21. 56.*
2 *Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit ps. 106. 16.*
3 *Attollite portas, Principes, vestras, & eleuamini, &c. ps. 23. 7.*
4 *Non derelinques animam meam in inferno ps. 15. 10.*
5 *Singulariter sum ego donec transeam. ps. 140. 10.*

1 D. *Hieron.* Et in puluerem mortis, *vel, vt ipse legit* in limum mortis deduxisti me: in limum, in infernũ, quando animas Sanctorum inde deduxit secum.

2 *Arnoldus Carnotensis tract. de sexto, & septimo vltimis verbis Domini in cruce initio; habetur to. 1. bibl. PP.* Sese totum obtulit Patri, & consummata est illius holocausti plenitudo, expensis in illud ministerium carne simul & spiritu; quia & pro carne, & pro spiritu hominis agebatur, & totus homo totum Christum habuit sanatorem, dum & caro in medelam carnis oblata est in ligno, & ad sanctificationem animæ obtinendam spiritus ille descendit ad inferos, & ascendit ad superos; ibi confringens ferreos vectes, hic portas aperiens æternales.

D. Bern. serm. de quadrupl. debito longè ab initio, Non est igitur quod vobis, vel pro vobis timeam à viribus Satanæ, & ministrorum eius, cum nouerim illius fortitudinem post Redemptoris vulnera traductam, & deductam ad nihilum; in spiritu enim for-

fortitudinis fortem fortior ille contriuit, portas æreas, & vectes ferreos confringens.

Idem serm. 16. in Cant. In spiritu fortitudinis tamquam potés crapulatus à vino descendit ad inferos; contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit, alligauit fortem, & vasa captiuitatis eripuit. *ps. 77. 65. Matt. 12. 29.*

D. Chrysol. serm. 123. post med. ad hunc locum psalmi 21. alludens, Arietem, *inquit*, suæ crucis portans aggressurus infernum, vt conterat, & cōfringat ipsas tartari ianuas ære munitas, & ferro.

Petr. Damiani serm. 40. qui est de Assumpt. V. non longe ab initio. In spiritu fortitudinis Saluator ad inferos descendens contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit, & gehennalis ollæ dissipatis fragminibus totum illud infelix habitaculum ruinosa concussione succussit, conclamantibus Angelis, Attollite portas principes vestras: illi, qui superbiæ lapsu irremediabili corruerunt, ignoratione dedignatiua retorquent, Quis est iste Rex gloriæ? Hic est ille insipiens, qui dixit in corde suo, non est Deus, & Nescio Dominum, & Israel non dimittam: Angeli pacis confidenter ingeminant, Dominus fortis, & potens, dominus potens in prælio: fortis ad vestram fortitudinem infirmandam; potens ad vestram potentiam vacuandam, in prælio illo vtique quo potestates aereas singulariter debellauit. *ps. 23. 7. ps. 52. 1. Exod. 5. 2.*

3 *D. Chrysost. aduer. Gentiles, quod Christus sit Deus* Insuper descendit in infernum, omnes disturbauit, & tumultu, turbationeque impletam arcem destruxit. Audi de hoc in inferioribus tumultuantes, & dicentes, Tollite portas principes vestras.

4 *D. Hieron.* Non derelinques animam meam in inferno, quia propterea illuc descendit, vt electos suos exinde eliceret, & diabolum ligaret.

5 *D. Amedeus hom. 6. de laud. Virg. post initium:* Solus fuit in transitu ad inferos dominus Iesus, sicut ex persona illius Dauid cecinit, Singulariter sum ego, donec transeam: solus in ingressu, sed in egressu minimè solus, qui innumera Sanctorum millia secum reduxit.

ANNOTATIONES.

2 Contriuit portas aereas, &c. Dauidi concinit Isaias, qui in persona Redemptoris sic loquitur *Portas aereas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum*: quæ postrema verba sic legit D. Chrysost. aduer. Gent. quód Christus sit Deus: *Et aperiam tibi thesauros obtenebratos, & inuisibiles ostendam tibi*: subditque *Infernum* *c. 45. 2.*

sic vocat; nam quamuis infernus esset; animas tamen tenebat Sanctas, & vasa pretiosa, Abraham, Isaac, & Iacob, propter quod thesauros vocabat, obtenebratos autem, quia nondum sol iustitiæ ibi fuerat, neque de resurrectione sermones prædixerat. Cæterum tartareas legiones territas tremëtesque ad inopinatum deprædatoris aduentum eleganti prosopopœia in hæc verba loquentes inducit D. Augustinus serm. 137. de tempore: *Quisnam est iste terribilis, & niveo splendore coruscus? numquam noster tales excepit tartarus; numquam in nostram cauernam talem euomit mundus: Inuasor iste, non debitor; exactor est, non peccator: Iudicem videmus, non supplicem; venit iubere, non succumbere; eripere, non manere. Vbi iam ianitores nostri dormierunt, cum iste bellator claustra vexabat? Hic si reus esset, tam potens non esset; si eum aliqua peccata fuscarent, numquam nostra tartara suo dissiparet fulgore: Si Deus, vt quid venit? Si homo, quid præsumpsit? Si Deus, quid in sepulchro facit? si homo, quare peccatores soluit? Numquid cum actore nostro fœdus composuit, aut forte congressus, & ipsum vicit, & sic ad nostra regna ascendit? certè mortuus erat; certè illusus erat. Prœliator noster nesciuit, quam huic stragem procuraret inferno Crux illa fallens gaudia nostra, parturiens damna nostra: per lignum ditati sumus, per lignum euertimur; perit potestas illa semper populis formidata. Nullus huc viuus intrauit; nemo carnifices terruit; numquam huic coenulento loco, & nigra semper caligine cæcato iucundum lumen apparuit: Aut fortè sol de mundo migrauit? Sed nec cælum, nubes, astraque apparent, & tamen infernus lucet. Defendere contra ipsum custodias carceris nostri non valemus: malè intrauimus, lumen obtenebrare nequiuimus; insuper & de nostro interitu formidamus. Vnde est iste tam splendidus, tam fortis, tam præclarus, tamque terribilis? Mundus ille, qui nobis subditus fuit semper nostris vsibus, mortis tributa persoluit, numquam nobis talem misit, numquam talia inferis munera destinauit: Quis ergo iste est, qui sic intrepidus fines nostros ingreditur? & non solum nostra supplicia non veretur, insuper & alios de vinculis nostris absoluit? An fortè ipse est ille, de quo Princeps noster paulo ante dicebat, quod per eius mortem totius mundi acciperet potestatem? Sed si iste est, in contrarium est nostri prœliatoris versa sententia, & dum sibi vincere visus est, ipse potius victus, atque prostratus est. O Princeps noster, hic ne est ille, de cuius tibi semper futura morte plaudebas? Ipsene est, in cuius cruce omnẽ mundum tibi subiugandum esse credebas? Quid est, quod egisti? Quid est, quod facere voluisti? Ecce iam totas tibi tenebras suo splendore fugauit, & omnes tuos carceres fregit, captiuos eiecit, ligatos soluit, luctus eorum in gaudium commutauit. Ecce ipsi, qui sub nostris*

ftris solebant suspirare tormentis, insultant nobis de perceptione salutis; & non solum iam nihil verentur, insuper & minantur. Nunquam hic ita superbi erant mortui, nec aliquando sic poterunt lati esse captiui. Vt quid huc istum adducere voluisti, quo veniente omnes sunt lætitia restituti, qui ante fuerant desperati? Nullus hic iam solitus eorum mugitus auditur, nullus resonat gemitus; factū est autem captiuis redemptionis commercium. O Princeps noster, illas tuas diuitias, quas primum acquisieras per paradisi amissionem, nunc perdidisti per crucem: perit omnis lætitia tua; in luctum conuersa sunt gaudia tua: dum tu Christum suspendis in ligno, ignoras quanta damna sustineas in inferno. Prauidere non poteras, quia euersorem regni tui in mortem sine reatu aliquo perducebas? Attēderes causam, requireres culpam: in quo nihil mali cognoueras; quare eum ad nostram patriam perducebas? liberum huc adduxisti, & tot obnoxios perdidisti.

SANCTORVM PATRVM ANIMAS IN LIBERTATEM VINDICAT.

§. LXXIV.

1 *Qui educit vinctos in fortitudine ps. 67. 7. Et iterum Eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum disrupit. ps. 106. 14.*

2 *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem ps. 117. 16.*

3 *Dominus de cælo in terram aspexit, vt audiret gemitus compeditorum, & solueret filios interemptorum. ps. 101. 20. 21.*

1 D. *Bruno Episc.* Per hos autem (*vinctos*) Patriarchas, & Prophetas, omnesque Sanctorum animas, quæ captiuæ in inferno tenebantur, intelligere possumus, de quibus alibi dicitur, Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum disrupit. Hos autem in quanta fortitudine Dominus eduxerit, quid attinet dicere, cum tantum pro eis educendis, & liberandis laborum susceperit? quæ enim alia causa fuit, quod in mūdum venit, quod carnem assumpsit, quod Crucis passionem sustinere voluit, nisi vt omne genus humanum de diaboli laqueis, & vinculis liberaret? *ps. 106. 14.*

2 *D. Chrysol. serm.* 33. Dextera Domini Christus est, sicut prophetico docemur eloquio: & verè facit virtutem, diabolum dum debellat, dum alligato forti, sicut ipse dixit, vasa fortia diripit, dum infernum destruit, dum ipsam mortificat mortem. Et verè *Matt. 12. 29.*

exaltauit nos, quos de profundo extulit, & eleuauit ad cælum.
3 Innoc. III. in exposit. psal. 3. pænit. De cælo prospexit Dominus in terram, vt audiret gemitus vinculatorum, idest exaudiret gemebundas preces eorum; qui tenebantur in inferno, quasi ligati, vel compediti vinculis tenebrarum, quos Christus in triduo mortis descendens ad infernos liberauit; & tunc solutis inferni doloribus, in sanguine testamenti sui eduxit vinctos suos de
Zacch. 9. 11. lacu, in quo non erat aqua, captiuitatem nostram sua ducens virtute captiuantem. Et ipse de cælo in terram prospexit, vt solueret à peccatis filios interemptorum, idest primorum parentum, qui fuerunt interemptores, & interempti, quia causam interemptionis, & mortis, idest originale peccatum ad filios transmiserũt; nam, vt inquit Apost. per vnum hominem, idest Adam, & Euã,
Rõ. 5. 12. qui fuerunt duo in carne vna, etiam in omnes homines mors pertransijt. Et ipsi quidem propter inobedientiam interempti fuerũt mortem corporis, & animæ incurrentes, sicut fuerat illis prædictum, Quacumque die comederitis, moriemini.
Gen. 2. 17.

MORTIS SIMVL, AC SEPVLTVRAE DESCENSVSQ; AD INFEROS MYSTERIA.

§. LXXV.

1 *Myrrha, & gutta, & casia à vestimensis tuis. ps. 44.9.*

1 D. *Basilius* Descendens paulatim consequenter propheticus sermo, ac omnibus mysterijs secundum dispensationẽ obuiã procedens, spiritus ei occulta patefacientis instigatione venit ad mortem dominicam. Myrrha inquit, & gutta, & casia à vestimentis tuis. Myrrha quidem quod sepulturæ signum sit, Euãgelista quoque Ioannes docuit dicens, Ioseph ab Arimathæa eum
Io. 19. 40. & 42. cum myrrha, & aloe tumulasse. Gutta verò & ipsa myrrhæ species est tenuissima; ex hoc enim aromate contuso omne quod hæsit liquidum, in guttam separatur; reliquum quod restat crassius, myrra appellatur: Itaque Christi quidem bona fragrantia myrrham ob mortem spirat; guttam vero, quod non immobilis nec otiosus in sepulchro permanserit, sed tribus illis diebus, ac noctibus infernum descenderit, ac omnia circa resurrectionem mysteria, nequid eorum, quæ ab ipso agenda erant, relinqueretur, absoluerit. Casiam demum spirat, quod folium est odoratum, ac tenuissimum ligneum extendens calamum: Crucis itaque supplicium in beneficium omnis creaturæ sumptum altius nobis ac sapienter hic sermo per casiæ nomen innuit. Habes ergo myrrham ob sepulturam; gut-

guttam ob descensionem in infernum, quod omnis gutta ad inferiora tendat; casiam verò ob carnis circa lignum dispensationem.

VICTOR RESVRGIT AB INFERIS.

Matt. 28. Mar. 16. Luc. 22. Io. 20.

§. LXXVI.

1 *Exurge domine non confortetur homo ps. 9. 20.*
2 *Ego dixi, ne quando supergaudeant mihi inimici mei ps. 37. 17.*
3 *Ego hodie genui te ps. 2. 7.*
4 *Numquid qui dormit, non adijciet vt resurgat? ps. 40. 9.*
5 *Notas mihi fecisti vias vitæ ps. 15. 10.*
6 *Refloruit caro mea ps. 27. 7.*
7 *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua ps. 102. 5.*
8 *Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi ps. 3. 6.*
9 *Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto ps. 101. 8.*
10 *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. ps. 131. 8.*
11 *Excussus sum, sicut locusta ps. 108. 23.*
12 *Factus sū sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber ps. 87. 5.*
13 *Cantate domino, psalmum dicite nomini eius; iter facite ei qui ascendit super occasum ps. 67. 5.*
14 *Conscidisti saccum meum, & circūdedisti me lætitia ps. 29. 12.*
15 *Vitam petijt á te, & tribuisti ei ps. 20. 5.*
16 *Exaltabo te domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me ps. 29. 1.*
17 *Aruit tamquam testa virtus mea ps. 21. 16.*
18 *Caro mea requiescet in spe ps. 15. 9.*

1 D. *August. serm. 31 de verb. domini*: Ad extremum missus est ille per prophetas ante promissus: Non prævaleat homo, vel quia Deus factus est homo: sed etiam ipse faciens diuina contemptus est, præstans tam multa beneficia prensus est, flagellatus est, suspensus est. Huc vsque præualuit homo Dei filium prendere, Dei filium flagellare, Dei filium spinis coronare; Dei filium ligno suspendere: tantum præualuit homo. Sed quousque, nisi quousque de ligno depositus positus est in sepulchro? Si ibi remansisset, verè homo prçualuisset: sed propheta iste etiam ipsum Dominum Iesum alloquitur, Exurge domine, non præualeat homo: Domine, in carne venire dignatus es, Verbum caro factus: Verbum super nos; caro inter nos; Verbum caro inter Deum, & hominem: Virginem, vnde nascereris secundum carnem, elegisti; Virginem concipiendus inuenisti; natus Virginem reliquisti; sed

non agnoſcebaris; apparebas, & latebas: apparebat infirmitas, latebat poteſtas: Hoc totum factum eſt, vt ſanguinem funderes, quod eſt pretium noſtrum. Feciſti miracula tanta: valetudinibus ægrotorum ſanitatem tribuiſti; beneficia multa præſtitiſti, & recepiſti mala pro bonis: inſultatum eſt tibi: pependiſti in ligno; agitatum eſt ante te caput ab impijs, & dictum eſt, Si filius Dei es,
Matt. 27. 40. deſcende de cruce. Itane perdideras potentiam, an potius demõſtrabas patientiam? Et tamen illi inſultauerunt, & tamen illi riſerunt; tamen illi, te occiſo, quaſi victores diſceſſerunt. Ecce in ſepulchro iaces: Exurge Domine, non præualeat homo, non præualeat impius inimicus: non præualeat cæcus Iudæus. Cum enim crucifigereris, præualuiſſe ſibi viſus eſt Iudæus cæcus: Exurge Domine, non præualeat homo: Factum eſt, omnino factum
Pſ. 9. 20. eſt: Et quid reſtat, niſi vt iudicentur Reges in conſpectu tuo? Reſurrexit enim, ſicut noſtis, aſcendit in cælum; inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos.

2 *D. Greg. in expoſ. 3. pſ. penit.* Gauiſi ſunt Iudæi occiſo Chriſto, ſed non ſunt ei ſupergauiſi, quia in cauſa mortis eius ipſi sũt inferiores inuenti: qui enim, vt à morte redimeret homines, mortis legibus ſubiacuit, tertia mox die victorioſiſſimè à mortuis reſurrexit. Hoc eſt, quod caro ſine contagione peccati aſſumpta
Io. 17. 1. euidenter rogabat, cum diceret, Pater clarifica filium tuum: Hoc etiam multo ante tempore manifeſtauerat, dicens, Non dabis sãtum tuum videre corruptionem.

Pſ. 15. 10. 3 *D. Ambroſ. lib. 3. de ſacramentis cap. 1. initio* Habes in actibus Apoſtolorum, quod ille verſiculus, qui dicitur in pſalmo ſecundo, Filius meus es tu, ego hodie genui te, ad reſurrectionem
A. 13. 33. ſpectare videatur. Namque S. Apoſtolus Paulus in Actibus Apoſtolorũ ſic interpretatus eſt, quod tunc, quando reſurrexit filius à mortuis Patris vox reſultauerit, Filius meus es tu; ego hodie genui te. Vnde & primogenitus à mortuis dicitur. *Pulchrè autẽ idem Ambr. ſerm. 56. poſt med. Chriſti tumulum cum Virginis vtero confert, vnde duplex iſta eiuſdem Chriſti generatio proceſſit.* Sed videamus, *inquit*, de hoc ipſo Domini corpore, poſteaquam de Cruce deponitur, quid geratur. Accepit illud Ioſeph Ab Ari-
Io. 19. 41. mathæa, vir iuſtus, ſicut ait Euangeliſta, & in nouo ſuo ſepeliuit monumento, in quo nondum quiſquam poſitus erat, Beatum ergo corpus Domini Chriſti, quod, cum naſcitur, vtero Virginis gignitur; cum recedit, iuſti tumulo commendatur, a beatum planè corpus, quod virginitas genuit, & iuſtitia cuſtodiuit: cuſtodiuit illud Ioſeph tumulus incorruptum, ſicut ſeruauit illud Mariæ Virginis vterus illibatum; hic enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non læditur; vbique beato corpori defer-

tur

tus sanctitas; vbique virginitas: nouus illud venter concipit, nouus tumulus includit: dominica ergo & virgo vulua, & virgo est sepultura: quin potius ipsam sepulturam vuluam dixerim; est enim similitudo non parua: sicut enim Dominus de matris vulua viuus exiuit; ita de Ioseph sepultura viuus surrexit; & sicut tūc de vtero ad prædicandum natus est; ita & nunc ad euangelizandum renatus est de sepulchro: nisi quod gloriosior ista est, quam illa natiuitas; illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale, post illam natiuitatem ad inferos descenditur, per hanc remeatur ad superos: religiosior planè est ista, quam illa natiuitas; illa enim totius mundi dominum nouem mensibus in vtero clausū tenuit, hęc autem triduo tantùm tumuli gremio custodiuit; illa cunctorum spem tardius protulit; hæc omnium salutem citius suscitauit.

D. Chrysost. Nemo autem alienum existimet, quod propositū psalmum resurrectioni Christi attribuimus; apostolicam enim regulam secuti sumus, & Pauli interpretationem, tamquam legem tenemus. Paulus dicit in Actibus, Et nos vobis annunciamus promissionem factam Patribus, quod hanc Deus impleuit filijs suis nobis resuscitans Iesum, & mentionem faciens resurrectionis Iesu propositum psalmum accepit dicens, sicut & in psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te, quemadmodum ex Virgine non satum, ita ex sepulchro incorruptum; neque enim caro eius nouit corruptionem. Hinc dicitur regeneratio ex mortuis resurrectio. *c. 13. 32.*

D. Hilarius Filius meus es tu, ego hodie genui te, qui natus ex Virgine homo est, erat & tum filius Dei: sed qui filius hominis est, idem erat & Dei filius. Natus autem rursus ex baptismo, & tum Dei filius, vt & in idipsum, & in aliud nasceretur: Scriptum est autem, cum ascendisset ex aqua, Filius meus es tu, Ego hodie genui te: sed secundum generationem hominis renascentis tum quoque ipse Deo renascebatur in filium: profectò vt hominis filio, ita & Dei filio, in baptismate comparato. Sed id quod nūc in psalmo est, Filius meus es tu, ego hodie genui te, nō ad Virginis partum, neque ad lauacri generationem, sed ad primogenitum ex mortuis pertinere Apostolica auctoritas est, namque in libro actuum Apostolorum ita dictum est, Nosque vobis Euangelizamus eam, quæ ad Patres facta est repromissio: Hanc Deus expleuit filijs nostris suscitans dominum nostrum Iesum, sicut & in psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, Ego hodie genui te, cum suscitauit eum à mortuis amplius non regressurum in interitum. Vox ergo hæc Dei Patris secundum Apostolum in die resurrectionis extitit. *Act. 13. 32.*

D. Am-

4. *D. Ambrof.* Quid fit adiectio; confideremus, Naturale eft omnibus animantibus, & volatilibus cæli, & pifcibus maris nafci, & mori: Homini, quem pretiofiorem cęteris animantibus Deus fecerat, hanc pręcipuè contulit gratiam, vt mortuus reuiuifcat: hæc dicitur ad renouationem vitæ fuperioris adiectio. Denique & Ezechiæ Regi cum præfcripfiffet Dominus, quod vitæ fuæ tempus impleffet, & per Ifaiam mandaffet, vt ordinaret domum fuam, quia moriturus effet; atque ille orafset ad Dominū,

Is. 38. 5. & fleuiffet fletu magno, mifertus Dominus mandauit ei, Ecce adijcio ad tempus tuum annos quindecim, Et alibi; Dies fuper

ps. 60. 7. dies regis adijcies annos eius. Inuentum ergo homini, quod addatur; Deo autem addi nihil poteft, quia fcriptum eft: Non eft adijcere, neque minuere, in quo perfecta, & plena funt omnia,

Eccl. 18. 5 Et, fi Chriftus refurrexit, vtique in eo, quod affumpferat, refurrexit, in quo plenitudini diuinitatis eius nihil vel decedere potuit, vel accedere; Deus enim incorporeus, & immortalis eft, cuius fumma natura, & plenitudo virtutum fine vlla carnis acceffione fignatur; caro autem difpenfationis in Chrifto eft, quā miferationis titulo, & pietatis iure fufcepit, vt captiuam redimeret, ablueret contaminatam, mortuam refufcitaret. Et pulchrè ait, Numquid qui dormit, non adijciet, vt refurgat? eo

Io. 2. 19. quod ipfe fe Dei filius refufcitauit, ficut fupra diximus, dixiffe eum Iudæis; Soluite hoc templum, & in triduo fufcitabo illud. Adiectionem accepit caro quafi fumpta de homine, fufcepta de Virgine, fed quafi Deus adiectionem ipfam operatus eft, qui virtute propria refurrexit, vt effet fuæ refurrectionis operator. Cum igitur legas; quod & Pater Filium, & Filius ipfe fe refufcitauerit, agnofce operationem illam diuinæ fuiffe virtutis; quia Patri, & Filio vna virtus, communis operatio; quandoquidem vna atque eadem fubftantia Trinitatis eft.

Idem Ambrof. ibidem: Verbum, *inquit*, iniquum propofuerunt aduerfum me, ideft illicitum, & contra ius, & nefas fermonem propofuerunt mihi, facientes de humano fanguine pactiones, quem fceleratiffimè vendidit Iudas, Iudæi quoque emendum non minore fcelere crediderunt. Vaniffimi homines, quafi qui dormit, non adijciet, vt refurgat?

D. Bafilius in fchol. ad ps. 40. Numquid qui dormit, &c. Etfi, inquit, mortem pertulero, refurgam tamen.

D. Hieron. Numquid qui dormit, &c. Sic me interficere feftinabant, quafi poft mortem refurgere non haberem: hoc eft dicere: Qui ab iniquis iniuftè fomno mortis opprimitur, non refurget?

Hierem. 8. 4. ficut alius Propheta dixit, Numquid qui cadit, non refurget? cecidit enim granum frumenti, & meffis copiofa furrexit.

5. D. Am-

5 *D. Ambrof. fer.74 qui eft de Natali Martyrum initio* Scriptum eft in pfalmo, Notas mihi fecifti vias vitæ. Hoc vtique in refurrectione ex perfona dicitur Saluatoris, qui dum poft mortē ab inferis redit ad fuperos, incipiat notam habere viam vitæ, quæ ante habebatur ignota: Ignota enim erat ante Chriftum via vitæ, quæ nullius adhuc refurgentis fuerat temerata veftigio: at vbi Dominus refurrexit, nota facta folo attrita eft plurimorum, de quibus S. Euangelifta ait, Multorum corpora Sanctorum refurrexerunt cum eo. *Matt.27. 53.*

D. Greg. in explicat. 6. pf. panit. ad illa verba A cuftodia matutina vfque ad noctem, &c. Moriendo mortem deftruxit, refurgendo vitæ aditum nobis patefecit: Hinc eft quod eidem Ecclefia dicit; Notas mihi fecifti vias vitæ: Ante aduentum quippe eius vitæ via omnibus ignota fuerat, tendentibus cunctis ad mortem, & ad inferos defcendentibus, etiam electis, donec ille veniret, qui & impios ad iuftificationem, & mortuos vocaret ad vitam veram fidem aftruens mortis, & refurrectionis fuæ indicijs, & doctrinæ nouæ nos formans inftitutis, per quæ nimirū & mortem poffemus euadere, & in nouitate vitæ per adiunctam Spiritus S. gratiam ambulare.

6 *D. Ambrof. ferm. 54. circa finem.* Et refloruit caro mea: Refloruit, inquit, caro mea: Videte, quo verbo eft vfus: non ait, Floruit, fed Refloruit; non enim reflorefcit, nifi quod ante floruerit; Floruit autem caro Domini, cum primum de Mariæ Virginis illibata vulua proceffit, ficut ait Ifaias, dicens, Exibit virga de radice Ieffe, & flos de radice eius afcendet: Refloruit antem, cum fuccifo per Iudæos corporis flore, rediuiua de refurrectionis gloria germinauit, & in floris modum odorem pariter, & nitorem cunctis hominibus immortalitatis afflauit odorem, bonorum operum fuauitatem, circumferens nitorem, incorruptelam perpetuæ diuinitatis oftendens. *Is. 11. 1.*

7 *D. Ambrof. ferm.* 54. Non ait, Renouabitur, ficut Aquilarum, fed ficut aquilę iuuentus tua. Vnius ergo aquilæ renouandā in nobis afferit iuuentutem, quam vnam & folam aquilam rectè Chriftum Dominum dixerim, cuius iuuentus renouata eft tunc, cum à mortuis refurrexit: depofitis enim corruptelæ corporalis exuuijs rediuiua carnis affumptione refloruit, ficut ipfe ait per prophetam, Et refloruit caro mea.

8 *Auctor imperfecti in Matt. hom.49.* Et introducens prophetiā dominicæ refurrectionis addidit ita, Ego dormiui, & foporatus fum, & exurrexi, quoniam dominus fufcepit me. Si fecundum hiftoriam velis intelligere, nullum habent faporem, vt dicamus, Dauid, cum pateretur à filio, dormiuit, & refurrexit: quomodo

enim dormiuit, vt surgeret? quid ergo? necesse habemus relinquere ordinem historiæ, & spiritualiter intelligere de Christo;

D. August. lib. 17. de ciuit. c. 18. De resurrectione quoque eius nequaquam psalmorum oracula tacuerunt. Nam quid est aliud, quod in psalmo tertio ex persona eius canitur, Ego dormio, & somnum cepi, & exurrexi, quoniam dominus suscepit me? An forte quisquam ita desipit, vt credat, velut aliquod magnum nobis indicare voluisse prophetam, quod dormierit, & exurrexerit, nisi somnus iste mors esset, & euigilatio resurrectio, quam de Christo sic oportuit prophetari?

Idem August. serm. 46. de temp. Ad Iudæos loquens, Sed ne in hoc quidem, *inquit*, gloriemini, quod Christum occidistis: actum est de vobis potius, & nescitis. Audite ipsum dominum dicentē per prophetam, Ego dormiui, & somnum cepi, somnum appellans mortem à vobis illatam: Ceterum qualis mors potuit esse triduana, maxime illius, qui per eumdem prophetam alio loco dicit, Numquid qui dormit, non adijciet, vt resurgat? Ego, inquit, dormiui, Ego qui potestatem habeo ponendi animam meā: ego dormiui, non quia sæuistis, non quia insanistis; ego impleui quod volui, vos in scelere remansistis.

Idem tract. 47. in Euang. Io. Ego dormiui, & somnum cepi, & exurrexi, quoniam dominus suscepit me. Quid est dormiui? mortuus sum: nonne dormiuit, qui quando voluit de sepulchro, tāquam de lecto surrexit?

D. Bruno Episc. Ego dormiui, &c. Breuissimè satis in his verbis passionem suam, resurrectionem, & ascensionem ostendit. Ego dormiui: Mors Christi dormitio fuit, vnde & bene subdit, & sōnum cepi: cepit quidem, sed non diu dormiuit; & idcirco subdidit, Et exurrexi: in eo quod addidit, Et dominus suscepit me, post dies multos cœlos se ascendisse ostendit.

D. Bruno Carth. Ego dormiui, idest dormiam; & soporatus sū idest soporabor, & exurrexi, idest exurgam: Et bene dicit, non surgam, sed exurgam, idest extra aliorum surrectionem surgam, gloriosior enim ero cunctis alijs resurgentibus. Per hoc quod dicit, dormiam, innuit, quia non longa erit mors illa, sed ad horā, vnde possit excitari, sicut aliquis de dormitione. Per hoc quod dicit, Soporatus, innuit, quod cum quiete erit, & cum securitate resurgendi: soporatus namque dicitur, qui securè dormit: vel quia dixerat, dormiam, idest breuem mortem patiar, ne putaremus, quod mox resurgeret, addit, soporatus ero, idest aliquantulum dormiam: Et exurrexi quia dominus susceptor meus erit, idest suscipiet me, idest resuscitabit.

Rupertus de trinit. & operibus eius lib. 2. c. 35. initio, Ego dormiui,

miui, & soporatus sum, & exurrexi, quia dominus suscepit me. Planè hoc non suo, sed Christi spiritu dicit, qui vtique multis tribulationibus, multis aduersum se insurgentibus, ac dicentibus, Non est salus illi in Deo eius, tandem cruci affixus emittendo spiritum obdormiuit, & profunda morte soporatus est: sed tertia die resurrexit, quoniam Dominus suscepit eum, quoniam illa caro erat, quam de vtero Virginis suscepit, sibique in vnam eamdemque personam vniuit Dominus Deus, Dei Verbum: idcirco, Exurrexi, inquit, à somno mortis, solutis videlicet doloribus inferni iuxta quod impossibile erat me ab illo teneri. *Ps. 3. 3.* *Act. 2. 24.*

9 *D. Greg. in expos. ps. 5. pænit.* Vigilauit, quia à mortuis resurrexit: qui enim dormiuit in morte, vigilauit in resurrectione. Hinc namque ait, Ego dormiui, & somnum cepi, & resurrexi: Hinc Iacob in benedictione ait, Catulus leonis Iuda, ad prædã fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt leo; & quasi lęena: quis suscitabit eum? Quis est iste catulus leonis, nisi ille de quo in Apocalypsi dicitur ad Ioannem, Vicit leo de tribu Iuda? qui ad prædam ascendit, quia fortem armatum fortior superueniens expugnauit; arma eius abstulit, quia iure illo, quod in hominibus habere videbatur, eum priuauit; ille enim dum ambijt illicita, perdidit acquisita: spolia quoque eius distribuit, quia vasa iræ fecit vasa misericordiæ. Hinc ergo leo requiescens accubuit, quia mortem sponte subiuit; sed nullus eum suscitauit, quia per diuinitatis suæ potentiam ipse à mortuis resurrexit. Et quia post resurrectionem suam in cœlum ascendit, rectè cum præmisisset Vigilaui, subiecit, Et factus sum sicut passer solitarius in tecto; quia solus inter mortuos liber cum Patre regnat in cælo; Vnde & ait, Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo. *Ps. 3. 6.* *Gen. 49. 9.* *Ap. 5. 5.* *Rom. 9. 22. 23.* *Io. 3. 13.*

Innoc. III. in ps. 5. pænit. Christus quoque fuit sicut passer vnicus in ædificio, siue solitarius in tecto: solus de Patre, solus de Matre, de Patre sine matre; de matre sine patre: solitarius in vtero, solitarius in sepulchro: & sicut ipse testatur, nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cęlo, filius hominis, qui est in cælo: *& infra*: Passer portat multiplicem in scriptura figuram; nam passer dicitur Christus; vnde Factus sum sicut passer solitarius in tecto: hinc leprosus mundatus duos viuos passeres offerebat, quorum vnus immolabatur in sacrificium, & alter dimittebatur in agrum: quia humanitas Christi est immolata pro mundana humani generis lepra, & diuinitas in passione libera est dimissa. *Leuit. 14. à v. 4.*

10 *D. August.* Exurge Domine in requiem tuam, Tu & arca sanctificationis tuæ. Domino dormienti dicit, Exurge: Iam nostis, qui dormiuit, & quis resurrexit: Ipse enim quodam loco

 di-

ps. 56. 5. dicit in psalmo, Dormiui conturbatus: Bene illi dicitur, Exurge
Rom. 6. 9. domine in requiem tuam: iam non conturbaberis; quia Christus
ps. 3. 6. surgens à mortuis iam non moritur, mors ei vltra non dominabitur. Ipsius est vox in alio psalmo, Ego dormiui, & somnum cepi, & exurrexi, quoniam dominus suscepit me. Ipse dormiuit; ipsi dicitur, Exurge domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuę, idest exurge, vt exurgat & arca sanctificationis tuæ, quam sanctificasti. Ipse caput nostrum, Arca eius, Ecclesia eius: surrexit prior, surgat & Ecclesia: non autem auderet sibi resurrectionem corpus promittere, nisi prius exurgeret caput. Exurge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. Et corpus Domini nostri Iesu Christi, quod ex Maria natum est, intellectum est à quibusdam arca sanctificationis, vt hoc diceret, Exurge domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ, Cum corpore exurge, vt palpent, qui non credebant.

D. Greg. hom. 20. in Ezech. Exurge domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ, Exurrexit enim dominus in requiem suam, cum carnem suam de sepulchro suscitauit: post hūc quoque exurgit & arca, quia resurgit Ecclesia.

11 *D. Greg. lib. 31. mor. c. 12.* Excussus sum sicut locusta: Locustæ nomine per comparationem Redemptoris nostri resurrectio designatur; vnde & voce eius per prophetam dicitur, Excussus sum sicut locusta: teneri enim à persecutoribus vsque ad mortem pertulit; sed sicut locusta excussus est; quia ab eorum manibus saltu subitæ resurrectionis euolauit.

12 *D. Ambros. lib. 7. in Lucam.* Factus sum sicut homo inter mortuos sine adiutorio liber. Non vnus è plebe, non vnus è numero, sed filius Dei à Deo Patre electus est, qui, cum supra omnes esset, pro omnibus se posset offerre; quem mori oportuit, vt cum esset fortior morte, alios liberaret, factus inter mortuos sine adiutorio liber, sine adiumento scilicet hominis, aut alicuius creaturæ liber à morte.

Idem Ambros. lib. de fide resurr. post med. Aduertimus, quam graue sit sacrilegium resurrectionem non credere: si enim non resurgemus, ergo Christus gratis mortuus est; ergo Christus non resurrexit: si enim nobis non resurrexit, vtique non resurrexit, qui, sibi cur resurgeret, non habebat. Resurrexit in eo mundus, resurrexit in eo cælum; resurrexit in eo terra; erit enim cęlum nouum, & terra noua: sibi autem non erat necessaria resurrectio, quem mortis vincula non tenebant. Nam etsi secundū hominem mortuus, in ipsis tamen liber erat infernis: vis scire quam liber? Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber: Et bene liber, qui se poterat suscitare, iuxta quod scriptū

est, Soluite templum hoc, & in tridno resuscitabo illud: Et bene liber, qui alios descenderat redempturus. *Io.2.19.*

D. Cypr. in expos. symboli ad illa verba Tertia die resurrexit à mortuis. Et factus sum, sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Non dixit, Homo, sed sicut homo: sicut homo enim erat, quia etiam descenderat in infernum; sed inter mortuos liber erat, quia à morte teneri non poterat: Et ideo in vno natura humanæ fragilitatis, in alio diuinæ potestas maiestatis ostenditur.

13 *D. August.* Iter facite ei, qui ascendit super occasum. Ascendit super occasum, cum resurgendo vicit corporis casus.

D. Greg. hom. 1. in Ezech. Ipse etenim super occasum ascendit, qui mortem resurgendo calcauit: cui dum cantamus, iter facimus, vt ad nostrum cor veniat, & sui nos amoris gratia accēdat.

Idem Greg. lib. 19. mor. c. 3. Iter facite ei, qui ascendit super occasum. Super occasum fuit ascendere ipsam mortem, quam perculerat, resurgendo superasse. Ait ergo, Ei, qui ascendit super occasum, iter facite, idest resurgenti domino in vestris cordibus per fidem viam præbete.

Rupertus lib. 1. in Michaam c. 3. ad illa verba capitis 2. 13. Ascendit enim scandens iter ante eos, Ascendet, subauditur, in Crucem, & exaltabitur à terra, bonus pastor ponendo animam suam pro ouibus suis: Ascendet super occasum, idest super mortem resurgendo; mortem quippe calcabit. Et ascendet super cælos, cælorum, & sedebit ad dexteram Patris pandens iter ante eos, videlicet, vt eo perueniat humilitas gregis, quo processerat celsitudo pastoris.

14 *D. August. enarrat. 2. in ps 29.* Audi iam ipsam resurrectionem, Conscidisti saccum meum &c. quis est saccus? mortalitas: saccus de capris conficitur, & de hœdis, & capræ, et hœdi inter peccatores ponuntur. Dominus de numero nostro saccum solum accepit, non assumpsit meritum sacci: meritum sacci peccatum est; saccus ille mortalitas est: assumpsit propter te mortalitatem, qui meritum mortis non habebat; meritum enim mortis habet ille, qui peccat; ille autem, qui non peccauit, non habuit meritum sacci. Et non compungar: quid est non compungar? Iā non morior: compunctus enim est, cum in cruce penderet, lancea percussus est: caput ergo nostrum dicit, Non compungar, Iam nō moriar.

Idem August. serm. 256. de temp. Quomodo dicit Christus, Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia? Saccus eius erat similitudo carnis peccati, Non tibi vilescat, quod ait, saccum meum: ibi erat inclusum pretium tuum. Conscidisti sac-

cum meum: in passione conscissus est; quomodo ergo Deo Patri dicitur, Conscidisti saccum meum? Quomodo Patri dicatur, vis audire, Conscidisti saccum meum? quia proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. fecit enim per Iudæos
Rom. 8. 32. nescientes, vnde redimerentur scientes, & confunderentur negâtes; nesciunt enim quid boni nobis operati sunt malo suo: conscidit saccum lancea persecutor, & fudit pretium nostrum Redêptor. Cantet ergo Redemptor, gemat Iudas venditor, erubescat Iudæus emptor: Ecce Iudas vendidit, Iudæus emit, malum negotium egerunt: ambo damnati sunt, seipsos perdiderunt venditor, & emptor. Dicat ergo caput nostrum, Conscidisti saccum meũ, & accinxisti me immortalitate, & incorruptione, vt cantet tibi gloria mea, & non compungar. Quid est Non compungar? Iam cõtra me non ferat lanceam persecutor: Vt non compungar: Christus enim surgens à mortuis iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur.
Rom. 6. 9.

D. Bern. serm. 2. de Epiph. Domini. Vbi est, ô Magi, vbi est purpura Regis huius? Numquid viles panni isti, quibus est inuolutus? Si Rex est, diadema eius vbi est? Sed vos eum verè videtis in diademate, quo coronauit eum mater sua in sacco mortalitatis, de quo resurgens ait, Quia conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.
Can. 3. 11.

Idem serm. 4. de Ascens. initio. Magna lætitia, & exultatio multa nimis, quando conscisso sacco circumdatus est lætitia, factaque de medio sacci ipsius non quidem substantia, sed vetustate, sed corruptione, sed miseria, sed vilitate, nostræ dedicauit primordia resurrectionis.

D. Hieron. Quid est saccus Christi, nisi mortalitas, quam de nobis assumpsit? Tunc conscissus est iste saccus, quando resurrexit, & immortalis effectus est. Circumdedisti me lætitia resurrectionis.

15 *D. August.* Vitam petijt, & dedisti ei, Resurrectionem petijt dicens, Clarifica filium tuum: & dedisti ei longitudinem dierum in seculum, & in seculum seculi: longa tempora seculi eius, quæ haberet Ecclesia, & deinceps æternitatem in seculum seculi.
Io. 17. 1.

Rupertus lib. 4. in psalmos c. 5. Vitam petijt à te, & tribuisti ei, Vitam, inquam, idest resurrectionem petijt, & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum seculi; resurgens quippe ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.
Rom. 6. 9.

16 *D. August.* Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me: quos inimicos? Iudæos, an potius Diabolum, & Angelos eius, qui confusi discesserunt, postquam Dominus resurrexit? Præpositus mortis doluit victam mortem. Et non iucundasti inimicos meos super me; quia teneri

apud

apud inferos non potui. Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me, Orauit in monte Dominus ante passionem, sanauit eum: quem sanauit, qui numquam ægrotauit? Verbum Deum, Verbum diuinitatem? Non; sed mortem carnis portabat; vulnus tuum portabat, sanaturus te de vulnere tuo. Sana est autem caro. Quando? cum resurrexit: Audi Apostolum; vide veram sanitatem, Absorpta est, ait, mors in victoria: vbi est mors aculeus tuus? vbi est mors contentio tua? 1. Cor. 15. 54.

17 *D. August. enarrat. 1. in ps. 21.* Exaruit velut testa virtus mea, Exaruit passione virtus mea, non velut fœnum, sed velut testa, quæ fit igne firmior.

Idem August. enarr. 2. in eumdem psalmum. Exaruit velut testa virtus mea, firmum factum est nomen meum de tribulatione; quomodo enim testa ante ignem mollis est, post ignem fortis; sic Dominus ante passionem contemnebatur, post passionum honorificatur.

Idem epist. 120. ad Honoratum cap. 15. initio. Exaruit tamquã testa virtus mea, Testa igne firmata est; sic & virtus Christi non sicut fœnum igne consumitur, sed sicut testa, velut igne, passione firmatur.

D. Greg. lib. 3. moral. c. 14. Quid aliud in manu Domini testa est, nisi caro ex nostræ substantiæ luto sumpta? Etenim testa igne solidatur; caro autem Domini eo ex passione sua robustior extitit, quo per infirmitatem moriens à morte sine infirmitate surrexit: Vnde rectè etiam per Prophetam dicitur, Exaruit velut testa virtus mea: sicut testa enim eius virtus exaruit, qui susceptæ carnis infirmitatem passionis suæ igne roborauit.

Idem Greg. hom. 22. in Euang. post med. Carnes (*Agni Paschalis*) igne assandæ sunt, quia nimirum dissoluit ignis carnes, quas aqua coxerit; quas verò ignis sine aqua excoquit, roborat: Carnes itaque agni nostri ignis excoxit; quia eum ipsa vis passionis illius ad resurrectionem valentiorem reddidit, atque ad incorruptionem roborauit: qui enim ex morte conualuit, videlicet carnes illius ab igne duruerunt: vnde per Psalmistam dicitur, Exaruit velut testa virtus mea: quid namque est testa ante ignem, nisi molle lutum? Sed ei ex igne agitur, vt solidetur: virtus ergo humanitatis eius velut testa exaruit, quia ab igne passionis ad virtutẽ incorruptionis creuit.

Idem hom. 34. in Euang. Lucerna lumen in testa est, lumen verò in testa est diuinitas in carne, de qua videlicet testa sui corporis dicit ipsa sapientia, Exaruit tamquam testa virtus mea. quia enim testa in igne solidatur, eius virtus sicut testa exaruit, quia assumptam carnem ad resurrectionis gloriam ex passionis tribulatione roborauit.

Ruper-

Rupertus lib. 2. in Exod. c. 10. Carnes, inquit, assas igni, idest excoctas molestia passionis: vnde quia vis ipsa passionis eum valentiorem reddidit ad resurrectionem, dicit in persona eius Psalmista, Aruit tamquam testa virtus mea: Quid namque est testa ante ignem, nisi molle lutum? sed ei ex igne agitur, vt solidetur: Virtus ergo humanitatis eius velut testa exaruit, quia ab igne passionis ad virtutem incorruptionis creuit.

18 *Albertus M.* Caro mea, per mortem anima separata, requiescet in sepulchro, in spe resurgendi ad immortalitatem veraciter, & velociter: Christus enim accelerauit, tertia die resurgens. Et nota quod caro dicit, non corpus; quia, sicut dicit Isidorus, caro & corpus diuersa significant; nam caro est, quæ viuit, corpus etiam quod non viuit: licet enim caro Christi esset ab anima separata, quæ est vita carnis propria; erat tamen ei vnita diuinitas, quæ est vita vera. Nota etiam, quod dicit, requiescet, vt ostendat, mortem suam fuisse dormitionem, & quietem, Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi. Sed quare requies, cum iaceret caro illa tenerrima vndique duris lapidibus circumsepta? ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus: Sed dicendum, quod requies dicitur comparatione ad laborem, quem sustinuerat in Cruce; quantumcumque enim duro iacere in lecto tolerabilius est, quam clauis perforantibus affigi Cruci. Item post profundam & fortis vini ebrietatem profunda requies necessaria est, vt vinum digeratur: Sed Christus in Cruce inebriatus est fortissimè, Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio; propter hoc passionem calicem appellabat, Transeat à me calix iste, Calix, inquam, inebrians, Et calix meus inebrians quam præclarus est! Propter hoc de resurgente dicitur, Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino, vel potans: Potentes enim frequenter potantes sunt. Quid ni ergo requiesceret, qui sic laborauerat, & sic inebriatus erat?

[Margin: 1. Cor. 15. 4. — ps. 3. 6. — 2. Reg. 32. 8. — Hen 3. 15. — Matt. 26. 39. — ps. 22. 5. — ps. 77. 65.]

D. Bruno Episc. Caro mea requiescet in spe, in spe vtique velocis, & cito occurrentis resurrectionis; nam & subditur, Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

ANNOTATIONES.

3 EGO *hodie genui te*: Christi resurrectio ex mortuis ipsius quædam generatio est iuxta sensum Apostoli, qui Act. 13. 32. ad eius mysterij faciendam fidem profert verba supra laudata psalmi secundi, Ego hodie genui te: Vnde à Ioanne Apoc. cap. 5. dicitur Primogenitus mortuorum: quin etiam vniuersalem illam

sub

ſub finem mundi reſurrectionem, in qua iterum cuiuſque anima corpus ſuum informabit, regenerationem appellauit idem Chriſtus, Matt. 19. 28. In regeneratione, inquit, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, &c. Et verò quemadmodum Ambroſius tumulum cum vtero Virginis conferens non paruam inter ea ſimilitudinem agnouit, vt ſupra vidimus; ita Epiphanius orat. de Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti ſepultura inter vtramque eiuſdem natiuitatem conuenientiam ſatis magnam luculenter exponit. *Qui autem, inquit, geminus in Chriſtum exortus conueniat, audi; & ob rei miraculum plaude. Qui Chriſti Matri Mariæ generationem denunciabat, Angelus erat; Angelus rurſum erat, qui Mariæ Magdalenæ eiuſdem Chriſti ex ſepulchro regenerationem indicabat: Noctu Chriſtus in Bethleem naſcitur; noctu itidem in Sion ex mortuis renaſcitur: ſpelaum ſaxeum erat, vbi Chriſtus naſcebatur; ſpecus atque ſaxea erat, vbi ex mortuis renatus eſt: faſciæ illius ortum exceperunt; & hic quoque faſciæ, in quibus reuolueretur, non defuere: myrrham ſuſcepit natus; myrrham rurſum, & aloem ſuſcepit in ſepulchrum illatus: Ibi adfuit Ioſeph Mariæ maritus, etſi maritalem conſuetudinem cum ea non habuit; hic etiam Ioſeph ab Arimathia deſideratus nũ fuit: partus in Bethleem editus in præſepi depoſitus eſt; in ſepulchro itidem perinde ac in quodam præſepio collocatus eſt Chriſtus: primi, qui Chriſti Domini natiuitatem enuntiarunt, fuere Paſtores; primi rurſum, qui Chriſti ex mortuis reſurrectionem publicè vulgarunt, extiterunt communes omnium Paſtores, nempe Chriſti diſcipuli: Ibi Angelus Aue Virgini Matri intonuit, hic magni conſilij Angelus Chriſtus mulieribus clara voce, Auete, dixit: In primo ortu Chriſtus Dominus poſt quadraginta dies in terreſtris Hieruſalem templũ ingreſſus, primogenitorum more, par turturum Deo obtulit; in ſecundo quoque, hoc eſt in ſua ex mortuis reſurrectione, idem ille Chriſtus Dominus poſt quadraginta dies ad ſupernam illam Hieruſalem, à qua nunquam alioqui receſſerat, aſcendit; ingreſſuſque in vera illa ſancta ſanctorum tamquam incorruptus ex mortuis primogenitus corpus, & animam, quaſi duos impollutos turtures, Deo Patri obtulit, quæ etiam antiquus ille dierum Deus, veluti Simeon quiſpiam, haud ſecus intra incircũſcriptum Sinum ſuum, atque inter vlnas excepit.* Hactenus Epiphanius.

Eſt ergo ſepulchrum, in quo Chriſtus Dominus tamquam in reſurrectionis officina, vt loquitur D. Athanaſius ſerm. in paraſceue ſub finem, ſuæ noſtræque immortalitatem vitæ operatus eſt, non iam mortis, ſed immortalitatis ſedes; in eo enim mors eſſe definit, & vita gignitur finem non habens. Age Terram, communem ſcilicet omnium matrem attẽde, quæ mortuorum cadauera in tumulo

tam-

tamquam in vtero suo excipit, vt maturato iam conceptu regeneratos ad nouam vitam suo tempore parturiat. Nec moueat, quod ibi vermes, putredo, fœtor, corruptionis potius notissima indicia, quam generationis appareant. nam *Insipiens tu* (verba sũt Apostoli 1. Cor. 15. 36.) *Quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur: seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Pulchrè Iob futuræ resurrectionis non ignarus terram matrem suam nominat, quæ corruptum iam corpus, tamquam semen in vtero fouet, vt germinet aliquando ad vitam, & rediuiuum ad immortalitatem enitatur. *Nudus*, inquit, *egressus sum de vtero*
Iob.1.21. *matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Quo te, obsecro, reuersurum ais? in eumdemne matris vterum, qui te primùm infantem, ac nudum edidit? minimè vero: numquid enim potest homo in
Io.3.4. ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci? Ergo in vterum communis matris, hoc est in sepulchrum, cum eadem, qua è genitricis suæ vtero in hunc prius mundum editus fuerat, nuditate reuersurum sese affirmat. Nec veretur futuram suam è sinu terræ resurrectionem natiuitatem appellare; siquidem vbi habetur in vulgata *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea*, legit Symmachus, *donec veniat sancta natiuitas mea.* Illud etiam obserua, quod non statim ac mater concipit, fœtum suum emittit, sed ad certum tempus in se retinet, fouetque, donec bene formatum in lucem edat: similiter terra, quæ hominum cadauera in suis visceribus excipit, non à se statim expellit, sed ad nouissimum diem seruat, quando maturos iam formatosque conceptus non sine crebris, iisdemque grauibus concussionibus, quæ parientis pressuram, dolorisque vehementiam declarent, ad auras emittat. Quod si formandi conceptus mora in ventre communis matris ad finem vsque seculorum protracta nimis tarda cuipiam videatur, cogitet is, nouem mensium spatium satis eius efformationi congruum esse, qui mortalem hanc, tamque breuẽ vitam victurus sit; non item, vt ad immortalem quis, æternamque reformetur, sed multo longius requiri. Denique vt in hoc etiam similitudo non desit, quemadmodum non viui omnes, sed abortiui quandoque è materno ventre exoriuntur; ita in extremo illo terræ partu, hominumque regeneratione alij procedent in
Io.5.29. resurrectionem vitæ, & alij in resurrectionem iudicij: quod bene obseruauit Origenes lib. 3. in Iob prope finem his verbis: *Sicut abortiua de ventre matris suæ exeuntia non viderunt solem, sed ex tenebris in tenebras eunt, ex tenebris atque angustia vteri maternis in tenebras, & angustias terræ, atque sepulchri: sic impij*

de

de tenebris in tenebras eunt, ex angustia in angustiam expellentur, de corpore in sepulchrum, ex sepulchro in angustiam expellentur, atque iudicij damnationem, & in tenebras exteriores, vbi non est lux, neque videbunt lucem homines.

6 *Refloruit caro mea.* Quænam sit virga de radice Iesse procedens, cuius meminit Isaias; quis verò flos, super quem requiescit Spiritus S. *Manifestum est*, inquit D. Bern. serm. 2. de adu. domini: *quoniam virgo Dei genitrix virga est; flos filius eius. Flos itaque filius Virginis, vt ipsemet de se testatur in Cantico, Ego flos campi, & lilium conuallium: flos quidem campi, non horti; hortus siquidem vt floreat, hominum manu, & arte excolitur; campus vero sine humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus sarculo, non impinguatus fimo: sic omnino, sic Virginis aluus floruit; sic inuiolata, integra, & casta Mariæ viscera, tamquam pascua æterni viroris, florem protulere, cuius pulchritudo non videat corruptionem, cuius gloria in perpetuum non marcescat.* Denique huius campi florem, nec sulcati vomere, nec sarculo defossi, nec fimo impinguati senex ille Patriarcha caligans quidem visu, sed odoratu sagax præsentiens spiritu præ gaudio exclamauit, Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit dominus. Flos ergo Christus, flos caro ipsius, quæ floruit in natiuitate, refloruit in resurrectione. Io. 11. 1. Can. 2. 1. Gen. 27. 27

Huc etiam pertinent, quæ ab eodem D. Bern. afferuntur serm. 58. in Cant. *Ceterum illis decurrentibus* (malis imbribus) *terra apparuit arida: & flores apparuerunt in ea significantes tempus putationis adesse. Quæris, quando hoc fuit? quando putas, nisi cum refloruit caro Christi in resurrectione? Et hic primus, & maximus flos, qui apparuit in terra; nam primitiæ dormientium Christus: ipse inquam flos campi, & lilium conuallium Iesus, vt putabatur, filius Ioseph à Nazareth, quod interpretatur flos. Is ergo flos apparuit primus, non solus; nam & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, pariter surrexerunt: denique venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* 1. Cor. 15. 20. Matt. 27. 52.

Ad eumdem quoque locum illustrandum facit quod D. Greg. scripsit lib. 14. mor. c. 29. ostendens multo ante in figura præsignatum fuisse, Christum dominum statim, hoc est post triduum, ab inferis resurrecturum; nostram vero resurrectionem ad finem vsque mundi destinandam: *Ecce nos*, inquit, *per mortem carnis vsque ad finem mundi remanemus in puluere; ille autem die tertia ab ariditate mortis viruit, & diuinitatis suæ nobis potentiam ipsa innouatione suæ carnis ostendit: quod bene per Moysen virgis duodecim in tabernaculo positis demonstratur: Nam cum Aaron ad sacerdotium, qui de tribu Leui fuerat, despiceretur, nec digna tri-* Ibid. 53.

Num. 17. *bus; qua offerret holocausta, crederetur, duodecim virga iuxta duodecim tribus in tabernaculo poni precepta sunt: Et ecce virga Leui viruit, & quidquid virtutis in munere Aaron haberet, ostendit: quo videlicet signo quid innuitur, nisi quia omnes, qui vsque ad finem mundi iacemus in morte, quasi virga reliqua in ariditate remanemus? sed cunctis virgis in ariditate remanentibus, virga Leui ad florem rediit; quia Corpus Domini, veri scilicet sacerdotis nostri, in mortis ariditate positum in florem resurrectionis erupit: quo flore Aaron recte Sacerdos esse cognoscitur, quia hac resurrectionis gloria redemptor noster, qui de tribu Iuda, & Leui ortus est, intercessor pro nobis esse monstratur. Ecce ergo iam virga Aaron post ariditatem floret, sed virga duodecim in ariditate remanet, quia iam quidem corpus Domini post mortem viuit, sed nostra adhuc corpora vsque ad finem mundi à resurrectionis gloria differuntur.*

Nu. 17. 8.

7 *Renouabitur vt aquila iuuentus tua.* Quamuis Ezechiel Propheta sub animalium specie Euangelistas quatuor se vidisse describat, sibique in eis hominis, leonis, bouis, & aquilæ faciem apparuisse testetur; singula autem ad vnumquemque Euangelistarum rectè conueniant, dum alius humanæ natiuitatis ordinem, alius per mundi sacrificij mactationem, quasi vituli mortem, alius potestatis fortitudinem, quasi leonis clamorem insinuat, alius natiuitatem Verbi intuens, quasi ortum solem aquila expectat; *Possūt tamen*, inquit Gregorius lib. 31. mor. c. 33. *hæc quatuor animalia ipsum suum caput, cuius sunt membra, signare: Ipse namque, & homo est quia naturam nostram veraciter suscepit; & vitulus, quia pro nobis patienter occubuit; & leo, quia per diuinitatis fortitudinem suscepta mortis vincula rupit; & ad extremum aquila, quia ad cælum, de quo venerat, rediit. Homo ergo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad cælos ascendendo vocatus est.* Quibus vero de causis idem Christus signanter aquilæ comparetur, accipe ex ijs, quæ scripsit Ambrosius lib. de Salom. c. 2. vbi afferens illud Sapientiæ Tria sunt impossibilia mihi scire, & quartum, quod non cognosco, vestigia aquilæ volantis, &c. *Aquilam*, inquit, *in hoc loco Christum dominum nostrum debemus accipere, qui post venerandam resurrectionem, qua docuit humanū genus ad vitam redire post mortem, velut aquila reuolauit ad Patrem prædam secum referens, idest hominem, quem rapuerat de faucibus inimici: Hac est aquila, quam Ezechiel Propheta in illa quadriformi sede, & Cherubim vidisse se retulit inter animalia, qua mysticum vehiculum rotis iuncta portabant: vnum enim animal simile vituli, aliud leonis, tertium hominis, quartum aquila, sicut in Apocalypsi Ioannes se vidisse conscripsit: Hac est aquila, de*

Ezech. 1. 10.

Prou. 30. 19.

Ezech. 1. 10.

Ap. 4. 7.

qua

qua scriptum est, Sicut aquila tegit nidum suum, idest Christus Ecclesiam : & iterum Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua : Nam vt aquila colonæ quasi mater nidi semper vnius est, nec ad procreandā sobolem aliud aliquando cubile perquirit ; & cum primùm calidis ouis maturo ortu fœtus eruperit, pullos educit implumes, hos contra faciem feruidi solis opponit : qui ægram, & inualidam corusco radiorum appulsu aciem submiserit oculorum, materno damnatus arbitrio & á fratrum consortio separetur, & deijciatur in terram : ita & Christus Dominus vnam diligit Ecclesiam, vt aquila nidum suum, quam ab æstu persecutionis alarum suarum defendit vmbraculo ; Sic quoque extra Ecclesiam proijcit, in quibus fidei lumen infirmum est, qui ignem Euangeliorum vitijs secularibus inquinati ferre non possunt. Vt aquila serpentes deuorat, & eorum venena calore coquit interno ; ita etiam Christus Dominus noster percusso dracone, idest diabolo lacerato, dum humanum sibi corpus assumit, & peccatum illud, quod hominem tenebat obnoxium, tamquam perniciosum virus extinxit, sicut Apostolus ait, Et de peccato dānauit peccatum in carne sua, & alibi Qui cum peccatum non nosset, pro nobis peccatum fecit.

Deut. 32. 11. & ps. 56. 2. ps. 102. 5. Rom. 8. 3. 2. Cor. 5. 21.

TRIDVANVS SVRGIT E TVMVLO.

§. LXXVII.

1 *Tu autem domine ne longe facias auxilium tuum à me ps. 21. 20.*
2 *De torrente in via bibet ps. 109. 7.*
3 *Adiutor meus, & liberator meus es tu, ne tardaueris. ps. 39. 18.*

1 ALb. M. Domine Deus pater ne elongaueris à me auxiliū tuum, sicut ab illis, quos in puluere relinquis vsque in diem iudicij; sic enim mortem communi lege non meruerat: nostra enim mors fuit pro peccato, sua autem mors magis hostia pro peccato, quia voluntariè se ad mortem obtulit. Necessitas, & voluntas numquā parem merentur honorem, sed ipse voluntariè mortuus est, Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam, non necessitate: Nos necessitate, & ob hoc minori debemus honore honorari, ipse maiori, & sic sua resurrectio cum nostra non debuit retardari, sed fieri statim. *Io. 10. 18.*

D. August. enarr. 1. in ps. 21. Tu autem Domine ne longe facias auxilium ; &c. Tu autem Domine non in fine seculi, sicut ceteros, sed statim resuscita me.

Idem August. epist. 120. c. 16. referens citatum versiculum. Hoc, *inquit*, ad eius carnem pertinet, carnis resurrectio non in longū est missa, vt aliorum.

D. Hie-

D. Hieron. Tu autem Domine, &c. Humanitas ad diuinitatem loquitur, vt auxilietur ei in tempore passionis, Tu autem domine ne elongaueris auxilium tuum à me, sed protinus me resuscita.

Rupertus lib. 5. de diuinis officijs c. 10. Domine ne longe facias, &c. Orat ipse, qui tamquam vermis, & non homo absque vllo respectu leuiter conculcatur propter nos relictus ad tempus: Orat, inquam, Patrem, ne elongeť auxilium suum, idest festinet resurrectionem suam, & à potestate eorum, qui sunt vnicornes, idest singularis superbiæ, liberet humilitatem suam.

2 *D. Greg lib.* 14. *mor. c.* 29. Mortem suam non plus quam triduanam esse voluit, ne, si in illo resurrectio differretur, in nobis omni modo desperaretur: quod benè de illo per prophetam dicitur, De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput: quasi enim de quodam flumine nostræ passionis non in mansione bibere, sed in via dignatus est, qui mortem transitoriè, idest ad triduum contigit; nequaquam, sicut nos, vsque ad finem seculi remansit.

Idem Greg. lib. 33. *mor. c.* 6. Quid per torrentem, nisi huius mortalis vitæ cursus exprimitur? de quo rursum per prophetam dicitur, De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput, quia videlicet Redēptor noster mortalis vitæ pœnam in quodam transitu attigit; & idcirco diu eidem morti, cui sponte succubuit, non inhæsit. vnde die tertia hoc, quod moriendo posuerat, resurgendo caput eleuauit.

Idem hom. 25. *in Euang.* De torrente in via bibet, &c. In humano quippe genere ab ipso mundi initio torrēs mortis effluxerat; sed de hoc torrente Dominus in via bibit, quia mortem in transitu gustauit, atque ideo exaltauit caput, quia hoc, quod moriendo in sepulchro posuit; resurgendo super Angelos eleuauit.

D. Hieron. Tulit calicem, & impleuit de torrente huius mundi, & quoniam turbidæ erant aquæ, dicit, Pater si possibile est, transeat calix iste à me. Bibit ergo de torrente mundi istius, sed non bibit, quasi in domo sua, sed in via, ad alia ire festinans.

Matt. 26. 39.

3 *D. Hilarius* Citum quoque auxilium, vt liberaretur, orat, ne qua remorationis tarditas sit, qui & ipsas passionis moras non ferens proditori dixerit, Fac, quod facis, cito, dum liberari in se susceptæ carnis infirmitatem maturatæ resurrectionis virtute festinat.

ANNOTATIONES.

Matt. 12. 40.

QVonammodo tertia die surrexerit Dominus, quaue ratione fuerit in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus, cum

cum à morte ad resurrectionem eiusdem horæ tantùm quadraginta numerentur, iuuabit audire D. Ambrosium, & D. Leonem. Nã Leo PP. serm. 1. de resurr. *Ne turbatos*, inquit, *discipulorum animos longa mæstitudo cruciaret, denunciatam tridui moram tam mira celeritate breuiauit, vt, dum ad integrum secundum diem pars primi nouissima, & pars tertij prima concurrit, & aliquantulum temporis spatio decederet, & nihil dierum numero deperiret.* D. verò Ambros. lib. 1. de interpellatione hæc habet. *Prædixerat Dominus, quia tribus diebus futurus erat in corde terræ, & tribus noctibus: didicerat hoc sol, seruabat præceptum: dubitabat ergo dicens: quid facio? Orior, & dies est: occido, & nox est. Si cursũ meum seruauero, demorabor mundi salutem. festinemus etiam ad redemptionem nostram; festinare etiam debeo ad nouam vitam; erit enim beneficio Crucis, qua renouantur vniuersa, & sol nouus, & cælum nouum: festino ergo, vt illum possim videre solem iustitiæ illuminantem animas vniuersorum. Sed quid faciam? ipse vult post triduum fieri resurrectionem: Inueni, quid faciam, vt & moras non faciam, & numerum dierum meorum custodiam. Non faciã integram diem, & integram noctem; abbreuiabo horas, vt tribus quidem diebus, & noctibus sit inter mortuos Dominus Iesus, citius tamen, quam trium dierum, & noctium interualla patiuntur, resurgat à mortuis. Abbreuiabo igitur horas, vbi ascendit Crucem: à sexta hora statim fiat nox, ne videam Domini passionem, sed fugiam parricidialis persecutionis spectaculum: Occidam, & erit nox horarum trium: egrediar, & innouabo diem, vt sit horarum triũ. Percursus est ergo primus dies: sequitur nox secunda spatio suo; sequitur similiter dies. Tertia resurget dominus in nocte, & erit dies in lumine resurgẽtis, vt compleatur illud, Et nox sicut dies illuminabitur.* *ps. 138. 12.*

Denique Rupertus lib. 2. in c. 2. Cant. ad illa verba Reuertere; similis esto, dilecte mi, capreæ, aut hinnulo ceruorum super montes Bethel, qui pasceris inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ *Cum aspirauerit dies*, inquit, *& inclinatæ fuerint vmbræ, reuertere, idest diluculo resurge, valde mane; orto iam sole, plena luce reparationis nostræ, inclinatis, atque destructis vmbris mortalitatis nostræ. Cito reuertere, noli moras facere, quia anima mea desiderat te: Scio quidem quia cito reuersurus es iuxta illud propheticum, Viuificabit nos post duos dies in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius, & iuxta quod ipse dixisti, Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Tridui quidem tempus breue est, sed dilectæ, & columbæ tuæ desideranti, & gementi vulnerata mente, non satis dilecte mi festinatum est.* *Mar. 16. 2.* *Osee 6. 3.* *Mat. 12. 40.*

est. Abbreuia hoc ipsum triduum, & similis esto in reuertendo capreæ, aut hinnulo ceruorum, idest velocissimus esto ad peragendum cursum tuum. In corde terræ, idest in sepulchro tuo non totum expendas triduum: sufficit ad complendam veritatem scripturarum, si partem exiguam primi diei, idest tres horas nouissimas, & partem aliquam diei tertij, scilicet sex horas, quod est dimidium noctis cū die secundo, idest cum Sabbato iacens in sepulchro, transegeris: Nā tres integri dies horæ septuaginta duæ sunt: hoc esset nimis longum: sufficiunt horæ triginta tres, qui numerus ex duobus ternarijs, deceno, & singulari compositus est. Beatam Trinitatem, cui primus homo peccauit, in te, & per te, & de te ipso, dilecte mi, caro mea, & sanguis meus, Deus meus, & Dominus meus, placare oportet: sed hoc fiat celerrimè, & multum festinanter, sicut caprea, siue hinnulus ceruorum in montibus celerrimus est, secundum nomen tuū,
Is. 8.3. *quo per prophetam iussus es vocari, Accelera spolia detrahere; Festina prædari. Vix igitur expectatis triginta tribus horis reuertere super montes Bethel, idest resurge, & appare principibus domus Dei, scilicet Apostolis tuis, & mihi, cuius maximè, sicut & illorum, imo & multo plus, quam illorum, tu es grande desiderium, iuxta illud Patriarchæ Iacob dictum ad Ioseph filium decorum, Be-*
Gē. 49.26. *nedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius, donec veniret desiderium collium æternorum. Quam veraciter ille te appellauerit desiderium, ego maximè in visceribus meis experta sū; & hoc amicis est intimandum.* Legi etiam potest hac de re Innoc. III. serm. 1. in dom. 1. post pascha.

DILVCVLO, HOC EST SVMMO MANE, RESVRGIT.

§. LXXVIII.

1 *Adiuuabit eam Deus mane diluculo ps. 45. 6.*
2 *Exurge gloria mea exurge psalterium, & cithara; exurgam diluculo ps. 56. 9.*
3 *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia ps. 29 6.*
4 *A custodia matutina vsque ad noctem speret Israel in domino ps. 129. 6.*

1 D. *Basilius* Quoniam diluculo resurrectio futura erat, adiuuabit eam Deus mane diluculo, hoc est victoriam contra mortem die tertia matutina conficiet.

2 *D. Hieron. epist. ad Hedibiam to. 3.* Exurge gloria mea, &c. Ipsa-

Ipsaque de se respondet gloria, & dispensatio carnis assumptæ, Exurgam diluculo: vt impleretur vigesimi primi psalmi titulus Pro assumptione matutina.

Rupertus lib. 4. in psalmos c. 5. Cui enim, nisi ipsi Dauid, idest Christo, attribuendæ sunt voces huius psalmi? Nam Pater illi dicit in sepulchro iacenti; Exurge gloria mea, exurge psalteriũ, & cithara: respondet ille continuò, Exurgam diluculo. Et adiecit Confitebor tibi in populis, Domine, & psallam tibi in nationibus: Sic denique factum est: Cithara illa, idest corpus, per quod resonuerat per triginta, & tres annos illa Dei Patris musica, cithara inquam musici Dei per mortem quassata in sepulchro iacebat; sed manè resumpta est incolumis; diluculo surrexit: Et ecce confitetur, idest Confessores, & laudum cantores facit Patri in omnibus populis.

Idem Rupertus in Cant. lib. 6. Ipse est enim psalterium, & cithara Dei Patris, cui Pater in psalmo dicit, Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara. Fiebant autem antiquitus citharæ octo chordis ea lege, vt octaua eadem esset, quæ prima: quam symphoniam maximam musici nominant Dyapason.

Idem in Ionam lib. 1. Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara; Est vox Patris, siue diuinitatis carnem de sepulchro suscitans.

Idem lib. 3. in Oseam Ponamus ante oculos mentis, & illum Dauid patrem carnis Christi, & hunc filium eius, verum Dauid, quia videlicet vterque suo modo Israel sanare voluit: ille psalterium componendo, hic carnem assumendo: Nam psalterium illud manu factum typum fuisse carnis, vel corporis Christi testatur ipse, cum in psalmo personam Patris ad eumdem filiũ, dum in sepulchro corpus eius quiescit, loquentem introducit, Exurge psalterium, & cithara: & ille respondens Exurgam, inquit, diluculo. Illo psalterio suo manufacto Dauid Israel sanare voluit, quia nimirum idcirco verba cælestia cum psalterio cecinit, vt populum tantummodo terrena diligentem introduceret ad amorem, & spem futuri regni, quæ vera sanitas est cordis.

Denique idem Rupertus lib. 1. comm. in Ioannem. Quid sumus nos, nisi magni musici Dei quædam instrumenta? vnde & in citharis, & in organis, quæ profectò corda, & corpora nostra sunt, Dominum laudare iubemur: Ipse quoque Dominus noster musicum Dei Patris maximè instrumentum est, cui dicit idem Pater, dum secundum corpus in sepulchro iacet, Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara: Imo totus mundus diuinæ laudis instrumentum est, licet solus homo, vel Angelus laudem Dei decantare sciat; sicut in citharis sola corda, sed non sine ligno modum cantilenæ personat. Ps. 150. 3. 4

5 *D. Ambros in ps.* 21. Hanc quoque matutinam susceptionem in Euangelio Sancto possumus adscribere Mariæ Magdalenæ, quæ maturè, ac diluculo ad monumentum vigilans Saluatoris resurrectionem Domini prima suscepit, & clarescente mundi sole Solis iustitiæ ortum præ omnibus sola cognouit; ac susceptione quidem matutina gauisa est diem redditum, sed magis gauisa Christum à mortuis suscitatum, atque in ipsa completa est prophetia, Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.

D. August. In domino nostro vespera fuit, quia sepultus; & matutinum, quia surrexit tertia die.

Idem August. serm. 18. *de temp.* In vesperum abundauit fletus, & ad matutinum lætitia: Vesperum passionis, quando sequebatur eum multitudo populi, & mulieres lamentabantur, & plangebant; Matutinum resurrectionis, quo mulieres cum gaudio à monumento currebant, & discipuli cum gaudio ad monumentũ festinabant.

D. Basil. in schol. ad ps. 21. Ad vesperum demorabitur fletus, &c. Cum Apostoli propter passionem Domini lugerent, mulieres manè venerunt, lætitiamque attulerunt.

Idem Basil. in expos. psalmi eiusdem. Reminiscere temporis dominicæ passionis, & sermonis significationem, qui ponitur hic, facile reperies. Ad vesperam demoratus est fletus discipulis domini; quando in Cruce pendentem conspexerunt: & ad matutinũ lætitia, quando post resurrectionem cum gaudio cucurrerunt inter se bonos afferentes nuncios, quemadmodum viderint dominũ.

D. Cyrillus Hierosol. catechesi 14. Ad vesperum demorabitur fletus; Vespere enim erat discipulorum luctus, & manè in die resurrectionis lætitia.

D. Hieron. Ad Vesperum demorabitur fletus: Cum in passione eius in tenebris obtecta omnia essent, Apostoli in fletu, & gemitu morabantur: Et ad matutinum lætitia futuram Domini gloriam, quæ matutina eius resurrectione perfloruit, præfigurauit.

4. *Reg.* 18. & 19. *Theodoretus*. Hoc autem sic accidit tempore Ezechiæ, & tempore communis salutis: Cum enim Assyrij illis comminationibus vsi fuerint, cumque in luctum ciuitatem commouerint, nocte plagam receperunt, & mane, quos lacrymari coegère, lætitia impleuerunt: atque cum diuinus Isaias mortis sententiam Ezechiæ

4. *Reg.* 20. 38. vesperi attulisset, versus diluculo faustum vitæ nuncium ipsi attulit. Idem tempore communis salutis accidit: cum enim Sancti Apostoli, & illi, qui cum eis crediderunt, crucem Domini lugerent; manè mulieres venerunt resurrectionis lætitiam afferentes.

4 *Rupertus lib.* 2. *in Exodum c.* 36. Quatuor computantur vi-

gi-

gilię noctis, ternis horis per singulas vigilias computatis. Porro sensu mystico vigilia matutina ipsa est resurrectio vitę dominica: matutino namque tempore sedit Angelus ad sepulchrum Domini, & post profundam tristitię noctem magni gaudij diem mulieribus, & per illas lugentibus Apostolis euangelizauit. Hinc est illud psalmi, A custodia matutina vsque ad noctem speret Israel in domino: Custodiam matutinam dixit custodiam militum manè exterritam in exemplum omnium impiorum; nam mulieres lætificatæ sunt in exemplum omnium piorum. Quid speret Israel in Domino ab illa custodia matutina? videlicet quòd in se, quod in illa factum esse ex tunc innotuit, futurum est; quia resurrexit à mortuis; quia apud dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio; & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus suis, subauditur, quemadmodum illos filios Israel ex omnibus Aegyptijs hominibus.

ANNOTATIONES.

2 E*Xurge psalterium, & cithara*: Quomodo corpus Christi Domini psalterium sit, idemque cithara, accipe ex D. August. in ps. 56. *Quid vocat, vt surgat? Duo organa video, corpus autem Christi vnum video: vna caro resurrexit, & duo organa surrexerunt: alterum ergo organum psalterium, alterum cithara. Organa dicuntur omnia instrumenta musicorum: non solum illud organum dicitur, quod grande est, & inflatur follibus, sed quidquid aptatur ad cantilenam, & corporeum est, quo instrumēto vtitur qui cantat, organum dicitur. Distincta sunt autem inter se ista organa, & volo, quantum dominus dat, indicare vobis, & quomodo distincta sunt, & quare distincta, & quare vtrique dicatur, Exurge Iam dicimus, Vna caro Domini resurrexit, & dicit, Exurge psalterium, & cithara. Psalterium est organum, quod quidem manibus fertur percutientis, & chordas distentas habet; sed illum locum, vnde sonum accipiunt chordæ, illud concauum lignū, quod pendet, & tactum resonat, quia concipit aerem, psalterium in superiore parte habet. Itaque in psalterio chordæ sonum desuper accipiunt, in cithara autem chordæ sonum ex inferiore parte accipiunt: hoc interest inter psalterium, & citharam. Quid ergo duo hæc organa nobis figurant? Excitat enim Christus Dominus noster psalterium suum, & citharam suam, & dicit, Exurgam diluculo. Puto, quia hic iam agnoscitis dominum resurgentem: Videte horam resurrectionis; quamdiu per vmbras quærebatur Christus? lux itaque agnoscatur: diluculo surrexit. Sed quid est psalterium? quid est cithara? Per carnem suam dominus duo genera factorum*

operatus est, miracula, & passiones: miracula desuper fuerunt; passiones de inferiori fuerunt: illa enim quæ fecit miracula, diuina erant, per corpus fecit, per carnem fecit: caro ergo diuina operans psalterium est; caro humana patiens cithara est. Sonet psalterium: Illuminentur cæci, audiant surdi, stringantur paralytici, ambulent claudi, surgant ægroti, resurgant mortui: iste est sonus psalterij: Sonet & cithara: Esuriat, sitiat, dormiat, teneatur, flagelletur, irrideatur, crucifigatur, sepeliatur. Cum ergo vides in illa carne quoddam sonuisse desuper, quoddam de inferiori parte, vna caro surrexit, & in vna carne cognoscimus psalterium, & citharam.

Concinit Augustino Rupertus, qui lib. 12. de victoria Verbi Dei cap. 27. *Quod erat illud psalterium*, inquit, *vel cithara? Vnũ idemque corpus in sepulchro quiescens erat psalterium, erat cithara. Erat cithara, quam distentis caritatis fidibus personantem, dulcesque prædicationis sonos modulantem Iudæi confregerant: at illa fractura citharæ illi causa fiebat augmenti, causa successus optimi, vt surgeret psalterium decachordum, id est psalterium dulcisonum numquam frangendum, semper confessionis in populis, & psalmi in gentibus vocem daturus, cuius chordas manus nulla vlterius rumpere posset, cuius ligni compages deinceps nulla vis frangere prævaleret; iuxta quod ait Apostolus, Christus resurgens è mortuis iam*
Rom. 6.9. *non moritur, &c. Hæc est gloria Dei Patris, quando videlicet in hoc opere suo per magnam gloriatur abundantiam caritatis. Exurge igitur, inquit, ò gloria mea, &c. Hanc Patris vocem, hanc Verbi intentionem numquid non audiebat, numquid non sentiebat anima illa sic eidem Verbo, velut sponsa sponso interminabili osculo coniuncta, irremissibili complexu connexa? plane audiebat, quippe quæ Verbi eiusdem omnia plusquam matronali iure nouerat, omnia capiebat. Respondebat itaque cum gaudio, Exurgam diluculo: Quid eiusmodi responsione iucundius? quid ita respondentis corde paratius? Non ergo nos lateat, cur principium eiusdem psalmi taliter in*
ps. 107.2. *persona eius intonuerat, Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. O cor quam delectabiliter paratum! quam libenter arrectũ ad suscipiendum diuinitatis imperium! dulce imperium dicentis, Exurge. Denique hoc est paratum habere cor, ita respondere, Exurgam diluculo. Numquid ad hoc solum erat, vel fuerat paratum cor eius? Nimirum ad obediendum vt mereretur, fuerat paratum cor: omnino fuerat paratum cor, corpus suum dare percutientibus, & genas suas vellentibus, faciem suam non auertere ab increpantibus, & conspuentibus, & omnia sustinere vsque ad mortem, mor-*
Is. 50.5. *tem autem crucis. Ego autem, inquit, non contradico, retrorsum non abij. Decebat itaque esse paratum cor ad respondendum, Exurgam diluculo, quod fuerat paratum ad obediendum Patri suo non*

par-

parcenti ei propter nos. Non ergo causa nos latebat, cur ita intonuerat psalmi principium, Paratum cor meum; & cur non contentus semel dixisse, dixerit, & semel, & iterum Paratum cor meũ Deus, paratum cor meum.

Denique idem Rupertus dulcisonantem hanc Christi Domini citharam propè auribus audire nos facit lib. 4. in Matt. c. 5. vbi ait, *Clausum erat os Domini, idest scriptura, quæ est os domini, nec nisi docente ipso poterat eiusmodi os aperire. In aperiendo quid primum dixit? Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: Octauo autem loco, Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Hoc primum cecinit canticum beatitudinis cithara gloriosa, cithara sonora, & dulcis, cui tota erat, & est insita musica Patris, vniuersa sapientia Dei, qui & dicebat ad eum iamdudum in propheta, Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara: Octo chordis antiquitus citharæ fiebant, & quæ per primam, eadem vox resonabat per octauam secundum musicæ naturalem vim, quia tantum septem sũt discrimina vocum; & octaua vox eadem, quæ prima est: quod cãtoribus peritis, idest musicis, non incognitum est: & quod non minimè delectat, in ista beatitudinum cantilena quæ prima, eadem octaua sententia est, Quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Mat. 5. 3. Ibid. 10.

Exurgam diluculo: Christum dominum diluculo surrexisse habetur ex ps. 21. cuius titulus est In finem pro assumptione matutina psalmus Dauid, *Et est sensus*, inquit Rupertus lib. 4. in psalmos c. 5. *Iste psalmus attribuendus est Christo vero Dauid tẽdenti in victoriam, quæ finis est cursus obedientiæ eius: pro assumptione matutina, idest pro resurrectione, quæ facta est valde mane, cum adhuc tenebræ essent. Hoc dictum est ad similitudinem solis, qui sicut paulatim depulsis tenebris ascendendo vires assumit; sic Christus resurgendo paulatim mentes infidelium illuminat.* Et D. Greg. in expos. ps. 6. pænit. ad illa verba, A custodia matutina, &c. *Vt hunc locum*, inquit, *melius intelligamus, ad vicesimi primi psalmi titulum curramus: Intitulatur enim Pro assumptione matutina. Quæ est assumptio matutina, nisi resurrectio Dei manè facta? ibi nempe & custodia facta fuit, ad hoc vsque prorumpente Iudaicæ cæcitate perfidia, vt quem viderant mortuum, crederent non resurrecturum: & ne eum discipuli nocte raperent, custodibus sepulchrum munierunt. Alia translatio habet, A vigilia matutina, per quod aptius ipsa domini resurrectio exprimitur: qui enim dormiuit in morte, vigilauit in resurrectione; ideoque dicit, Ego dormiui, & soporatus sum, & resurrexi, Et iterum Vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Hæc itaque resurrectio spei nostræ fundamentum est, quia illuc nos peruenturos speramus, quò* Ps. 3. 6. Ps. 101. 8.

ca-

caput nostrum praecessisse cognoscimus; multos enim ante hanc resurrectionem legimus resuscitatos, & tamen dicit Apostolus, quia
1. Cor. 15. 10. *Primitiae dormientium Christus: Ioannes quoque Primogenitum*
mortuorum eum nominat; quotquot enim ante eum resurrexerunt,
Ap. 1. 5. Rom 6. 9. *iterum mortui sunt; Christus verò resurgens ex mortuis iam non moritur. Christi ergo resurrectio spei nostrae fundamentum est, quia in illa vita resurrecturos sine fine speramus.* Hactenus Gregorius. Verum multo expressius Christum Dominum summo mane surrexisse habetur ex verbis Marci c. 16. 2. vbi de mulieribus ad sepulchrum aduentantibus ait, Et valde manè vna Sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole: quem locum allegans D. Chrysologus serm. 82. *Si valde mane*, inquit, *quomodo orto iam sole?* Dicerem, Euangelistam totum tempus in itinere traductum complexum fuisse, adeo vt quae summo mane domo decesserant, orto iam sole peruenerint ad sepulchrum foemineis scilicet tardisque passibus gradientes, nonnullis praesertim distentae curis in via, vel circa militum custodiam, vel circa reuolutionem
Mar. 16. 3 lapidis, *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Vel etiam quamuis summo mane dicamus ad sepulchrum peruenisse; nihilominus orto iam sole peruenerunt, quandò nimirum Sol iustitiae Christus è clauso sepulchri vtero ad vitam sempiternam ortus iam fuerat. Verum Chrysologus loco cit. de ortu solis huiusce materialis sermonem ibi esse ratus *Non est erroris*, inquit, *ista*
Matt. 27. 45. *relatio, veritatis est; nec lapsum pariter sermonis humani; sed rei gesta caelitus aperit veritatem. Dixerat Ab hora sexta vsque ad horam nonam tenebrae factae sunt: Ergo sol, qui praeter horam, vt domino compateretur, abscesserat, claritate, cum resurgeret, ante tempus occurrit; & qui, vt suo commoreretur auctori, ipsam meridianam suam mortificauerat claritatem, vt consurgeret auctori suo, euictis tenebris antelucanus erupit: Valde mane, quia nunc sol, vt mane faceret, manicauit; & qui ante noctem fugerat, nunc ipse noctem praeuenit fugaturus; vt reddat luci nox horas, quas terror dominicae passionis inuaserat.* Porrò manicare verbum est deductum à mane, significatque accelerare, festinare: quare perinde est manicasse solem, ac praeuentione ortus sui terris properasse diem, lucemque matutinam mundo ante tempus attulisse. Lucae 21. 38. habetur, *Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.*



MI-

MILITES CVSTODES SEPVLCHRI SVBLATVM A DISCIPVLIS DOMINVM MENTIVNTVR. Matt. 28. 15.

§. LXXIX.

1 *Locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur ps. 37. 13.*
2 *In multitudine virtutis tua mentientur tibi inimici tui ps. 65. 3.*

1 D. *August.* Locuti sunt vanitatem, & non veritatem; & dolum tota die meditabantur, hoc est fallaciam sine cessatione meditabantur. Nostis, quanta falsa testimonia dicta sunt in dominum, antequam pateretur: Nostis, quanta falsa testimonia dicta sunt, etiam cum resurrexisset; nam illi milites custodes sepulchri, de quibus Isaias dixit, Ponam malos pro sepultura; mali enim erant, & veritatem dicere noluerunt, & corrupti mendacium seminauerunt. Attendite, qualem vanitatem locuti sunt: Is. 53. 9. Interrogati sunt etiam ipsi, & dixerunt, Cum dormiremus, venerunt discipuli eius, & abstulerunt eum: hoc est loqui vanitatem; si enim dormiebant, vnde sciebant, quod gestum erat? Mat. 28. 13.

Innoc. III. in expos. 3. ps. pœnit. ad illa verba, Et factus sum sicut homo non audiens, Et tota die meditabantur dolos, idest fallacias, vt quando custodes pecunia corruperunt, vt dicerent, Nobis dormientibus venerunt discipuli eius, & furati sunt eum.

2 *D. Chrysost. hom. 1. in symb. Apost. tom. 5.* In multitudine potentiæ tuæ *legit, & ait* Tertia die a mortuis resurrexit: Ecce quanta potentia, & in ista potentia eius mentiti sunt ei inimici eius, vt dicerent, Nobis dormientibus venerunt discipuli, & furati sunt eum: Impletum est quod dictum est, In multitudine potentiæ tuæ mentientur tibi inimici tui.

AVGVSTIORE POST RESVRRECTIONEM SPECIE APPARET.

§. LXXX.

1 *Dominus regnauit, decorem induit ps. 91. 1.*
2 *Confessionem, & decorem induisti amictus lumine sicut vestimento ps. 103. 2.*

1 D. *Bernardus serm. 33. in Cant. ante med.* Attulit nouum de resurrectione decorem, & sereniorem solito lucem; quoniam etsi noueramus eum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus: & scriptum in propheta Decorem induit, induit 2. Cor. 5. 16.

fortitudinem, & præcinxit se, quòd carnis infirma, tamquam nubila quædam, excusserit, stolam gloriæ induens.

Theophanes Ceram. hom. 28. Par est intelligere non talem omnino dominum post resurrectionem, qualis cum illis versabatur antequam pateretur, sed alia quadam specie, atque erat antea, videndum se præbuisse discipulis: consentaneum enim erat, cum assumpta humanitas iam esset in immortalitatis statum traducta, nouam eius formam existere, atque ideo ille, qui mundi victor euaserat, & corpus incorruptibile donarat, & factus morte superior erat, pulchra quadam & illustri maiestate præfulgebat. Hoc autem prædixit etiam Dauid Dominus regnauit, decorem induit: Vbi id regnum, & ea dominatio præsignificatur, quam post resurrectionem obtinuit, & vniuersæ rei creatæ iam Dominus præclaro quodam decore, & pulchritudine prędictus apparebat, nō immutatis lineamentis, sed inimitabilis cuiusdam pulchritudinis accessione facta, sicuti cum iam in Monte Thabor transfiguratus est prius. Et fortasse hoc ornatum decore spectantes eum in cælum ascendentem Angeli alij alios interrogabant, Quis est hic, qui venit de Edom, iste formosus in stola sua? Hanc Christi speciem prospiciens Salomon dicebat admirans in Cãtico Quàm pulcher factus es, & dulcis! Ac ne diuina hæc species peregrina, & aduentitia illi à mortuis restituto videretur, ea se forma splendentem discipulis præmonstrauit in Thabor: transfiguratio quippe imago fuit, & futuræ post resurrectionem gloriæ præfiguratio. Ea igitur specie in monte Galileæ visus est vndecim, qua tribus discipulis prius in Thabor. Quare & Petrus, & filij Zebedæi splendorem illum, quem tunc viderant, agnoscentes immoti perstiterunt: quotquot verò transfiguratum dominum contemplati non fuerant, inusitata illa forma perculsi dubitauerunt. Vnde nihil eos increpans dubitationis, illam asperitatem tollit, ac veluti declarans apparentis illius formæ claritatem Data est mihi, inquit, omnis potestas in cælo, & in terra: Ne nouo spectaculo mẽs vestra moueatur formam hanc meam, solis instar, vibrantem radios conspicata; non enim mihi corpus infirmitatibus carnis subiectum est amplius, sed eiectus iam mundi huiusce Princeps; ac mundi potestas, & dominium vniuersæ creaturæ traditum est.

Is. 63. 1.
Can. 1. 15.
Matt. 28. 18.

2 *D. Laur. Iustin. de triumph. Christi agone c. 3. post med.* In ipsa resurrectione gloriam immortalitatis, quam deposuerat patiendo, tamquam vestimenta propria resurgendo resumpsit: sic namque resurrexit, vt omni calcato corruptionis vestigio, in supernam conscenderit gloriæ claritatem, acceperitque in cælo, & in terra regiam potestatem, itaut vbique fulgeat diuinitatis ipsius clara maiestas. De hac per prophetam dicitur, Confessionem, &

deco-

decorem induisti amictus lumine sicut vestimento. Horum vestimentorum ineffabilem fulgorem Apostolus intuens sustinere non valuit, quando Damasco appropians de cælo lumine circumfusus, & in terram prostratus Iesum audiuit dicentem sibi, Saule, Saule quid me persequeris? Reuerberatus quidem diuinitatis splendore mox corporali priuatus est lumine. Horum quoque vestimentorum fulgorem Sanctus Isaac, quoniam caligabat oculis, videre non potuit, fragrantiam tamen persensit in spiritu, quando ipsorum miro respersus odore inquit, Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus: Et bene pleni, quoniam omnis plenitudo diuinitatis in Christo corporaliter habitabat; de qua plenitudine testatur Ioannes, Et vidimus, ait, gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis. Plenitudinem igitur gloriæ, & resurrectionis, & immortalitatis stolam in se complendam esse post resurrectionem indicauit in eo, quod postquam discipulorum lauit pedes, accepit vestimenta, post quorum receptionem etiam recubuisse legitur. Maximum recubitus iste ingerit sacramentum: ad cælos enim in eo innuitur ascensus, & supra Angelicam dignitatem ad Patris dexteram alta consessio.

Act. 9. 4. *Ge. 27.27* *Colos. 2.9.*

DVBITANT PRIMVM DISCIPVLI DE RESVRRECTIONE DOMINI.

§. LXXXI.

1 *Oculi mei languerunt præ inopia ps. 67. 10.*
2 *Genua mea infirmata sunt à ieiunio ps. 108. 24.*

1 D. *Hieron.* Oculi mei languerunt, idest Apostoli languebūt, scilicet deficientes a spe resurrectionis meæ præ inopia lucis interioris scilicet, quia non erunt interius fide plenariè illuminati, deficient à spe resurrectionis: Vnde quidam desperando dixisse leguntur, Nos sperabamus quod hic redempturus esset Israel? Oculi quidem in Ecclesia conuenienter Apostoli dicuntur, eo quod minoribus pastorali cura prouideant ad similitudinem oculorum toti corpori prouidentium. *Luc. 24. 21.*

2 *D. Bruno Carthus.* Genua mea, idest Apostoli, qui genua mea dicuntur, eo quod per eos ferat in notitiam hominum, sicut fertur per genua corpus, infirmabuntur in fide, vt etiam de resurrectione mea sint dubitaturi: illi quippe infirmati sunt, qui cū hæsitatione dixerunt, Nos putabamus, quod hic esset redempturus Israel: Infirmabuntur, inquit, & hoc continget à ieiunio panis illius, qui de cęlo descendit, mei videlicet: vnde eis continget hæc infirmitas, quod, me absente, ieiuni erūt à doctrinā meā

A VIRGINE MATRE, IOSEPHO, AC DISCIPVLIS ADORATVR.

§. LXXXII.

1 Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ, & lumē. ps. 148. 3.

1 D. *Ambrof. lib. de Ioseph c. 2. in fine* Quis est ille, quem parentes, & fratres adorauerunt super terram, nisi Christus Iesus, quando eum Maria, & Ioseph cum discipulis adorauerunt, Deum verum esse in illo corpore confitentes, de quo solo dictum est, Laudate eum Sol, & Luna; laudate eum omnes stellæ, & lumen?

D. August. serm. 81. de temp. Vidit etiam aliud somnium (*Ioseph*) quod Sol, & Luna, & vndecim stellæ adorarent eum. Hoc in illo Ioseph impleri non potuit; quia iam mater ipsius de hac luce migrauerat: In nostro vero Ioseph, idest Domino Iesu Christo, somnij illius sacramenta completa sunt: Sol enim, & Luna, & vndecim stellæ eum adorauerunt, quando post resurrectionem S. Maria, quasi Luna, & B. Ioseph, velut Sol, cum vndecim stellis, idest beatis Apostolis, incuruati, & prostrati sunt ante eum, & impleta est prophetia, Laudate eum Sol, & Luna; Laudate eum omnes stellæ, & lumen. *Gen. 37. 8.*

ANNOTATIONES.

IOsephum Virginis sponsum, eumdemque Christi Domini nutritium, ac Patrem, vt vulgo putabatur, ante quam is ageretur in crucem, diem suum obijsse, communis sententia est. Pro miraculo enim haberetur, si quo tempore Dominus, traditus fuit in mortem, ille vixisset, non interfuisse spectaculo; nec de eodē Euangelistas, quemadmodum de mulieribus, quæ plangentes ad supplicium præeuntem sequebantur, & de Ioanne, ac Matre iuxta crucem astantibus, vllam prorsus mentionem fecisse; præterquam quod non erat, cur filius genitricem discipulo commendaret, si sponsus eius, idemque custos fidelissimus id temporis affuisset. Verùm nisi dicamus post regressum ab inferis Redemptorem vnà cum Matre, & discipulis adoratum etiam à Iosepho simul cum plerisque alijs, qui iam dormierant, excitato, vt refert D. Matthæus Euangelista c. 27. 52. cogemur fateri, eum superstitem Christo fuisse, quemadmodum apertè Arnoldus Carnotensis affir-

firmat tract. de laud. Virginis, vbi hæc habet. *Ecce bone Iesu coram te est Mater tua: cur modò non dicis, Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Matrem non abijcis, nec ignoras, sed commendas discipulo, & vicariam imponis sollicitudinem illi, quem præcipuè diligis, qui supra pectus tuum in cœna recubuit. Mulier, inquit, Ecce filius tuus, & ad discipulum, Ecce Mater tua. Supererat Ioseph, ad quem vsque ad illud tempus, præcipua obsequij spectauerat ratio, & cui ad hoc ipsum fuerat desponsata; & modo quasi hoc ministerio censeatur indignus, Ioannes assumitur: Hunc intellectū circumstantia sermonis videtur exigere. Verùm secretiori ratione virginitas virginitati commendatur, vt hoc testimonio iuguletur Bonosus hæreticus, & prophanus Heluidius, qui in ore fœtido ausi sunt garrire, quod de vtero virginali alius, præter Christum, partus effusus est, & post Saluatorem natum Ioseph eam licentia maritali contigerit. Ipse Christus de cruce materna virginitatis est arbiter, idem & assertor: Obstructum est os loquentium iniqua: suscepit eam Ioannes in suam non abnuente Ioseph, nec aliquam calumniā referente: suscepit eam in suam, non quasi maritus, sed loco filij assecla, & custos, & testis, & conscius. Erant quidem ambo in ministerio Mariæ, Ioseph cedente pro tempore, & causa, Ioanne Præposito.* In eo autem quod Matrem filius è Cruce Ioāni Discipulo, non autem Ioseph coniugi commendauit *Vberrimè*, inquit, Ambr. lib. 10. in Lucæ c. 23. *testimonium Mariæ virginitatis perhibetur: neque enim abrogaretur vxor marito, cum scriptum sit, Quod Deus coniunxit, homo non separet; sed quæ pro mysterio coniugium prætexuit, completis mysterijs, iam coniugio non egebat.* Matt. 12. 48.

THOMAS CICATRICES PALPAT, ET CREDIT.

§. LXXXIII.

1 *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus ps. 76. 2.*

1 D. *August.* Ipsa vita tentatio est; si ergo tentatio, vtique tribulatio: In hac igitur tribulatione, hoc est in hac vita Deum exquisiuit iste transiliens: quomodo? manibus, inquit, meis: quid est manibus meis? operibus meis: non enim aliquod corporeum quærebat, vt contrectando inueniret quod perdiderat, vt manibus quæreret nummum, argentum, vestem, quidquid tale est, quod manibus teneri possit. Quamquam & ipse Dominus noster Iesus Christus voluit se manibus inquiri, quando dubitanti discipulo cicatrices ostendit.

D. Chrysost. serm. de S. Trinit. to. 3. Et Thomas inquit Apostolus, Dominus meus, & Deus meus, quemadmodum & psaltes dicit, Manibus meis Deum exquisiui, & non sum deceptus: palpauit enim Thomas Verbum in incredulitate, & non est deceptus Christum Deum illum confessus in fide.

S. Epiphanius in Ancorato. Sed ingrediens foribus conclusis, contrectatus tamen à Thoma, vt ne imaginatio putaretur, sed veritas: qui à Thoma creditus est, vbi impletum esset quod prædictum est, Manibus meis Deum requisiui, & non sum deceptus.

Mat. 28. 18.

ACCESSIONE GENTIVM AD FIDEM DATAM SIBI OMNEM POTESTATEM DOCET IN CAELO, ET IN TERRA.

§. LXXXIV.

1 *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium ps. 17. 44.*

2 *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctũ eius ps. 2. 6.*

3 *Postula á me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. ps. 28.*

4 *Regnabit Deus super gentes; Deus sedet super sedem sanctam suam ps. 46. 9.*

5 *Timebunt gentes nomen tuum domine, & omnes reges terræ gloriam tuam ps. 101. 16.*

6 *Omnes gentes seruient ei ps. 71. 11.*

1 D. *August. Constitues me in caput gentium; populus, quem non cognoui, seruiuit mihi:* Populus gentium, quem corporali præsentia non visitaui, seruiuit mihi; in auditu auris obediuit mihi; Neque oculis me vidit, sed recipiens prædicatores meos in auditu auris obediuit mihi: *Eadem habet lib. 17. de ciu. c. 16.*

D. Basil. in schol. ad ps. 17. Constitues me in caput gentium, Haud nouimus, Dauidem regem fuisse gentium: Per eum ergo impleta est hæc prophetia, qui ex ipso secundum carnem natus est.

Origenes in cat. apud Corderium, Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium: Christus hæc dicit, qui in signum contradictionis factus est, quem Deus posuit in caput gẽtium; caput enim Ecclesiæ Christus est.

2 *D. August. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Ex persona ipsius Domini nostri Iesu Chri-

sti ista manifesta sunt. Sion autem, si speculationem, vt quidam interpretantur, significat, nihil magis quam Ecclesiam debemus accipere, vbi quotidie intentio erigitur speculandæ claritatis Dei sicut Apostolus dicit, Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes: Ergo iste sensus est: Ego autem cõstitutus sum Rex ab eo super Ecclesiam Sanctam eius, quam montem appellat propter eminentiam, & firmitatem. Ego autem constitutus sum Rex ab eo; Ego scilicet, cuius vincula illi dirumpere, & iugum meditabantur abijcere prædicans præceptum ipsius: Quis hoc non sẽtiat, cum quotidie factitetur? 2. Cor. 3. 13.

D. Cyrillus Alex. lib. 3. in Io. c. 2. in fine Ego autem constitutus sum Rex ab eo, &c. Qui cum Deo Patre semper regnat, regẽ se constitutum fatetur: Homo enim factus, cui regnare naturaliter non est, regnum accipere dicitur; quod naturaliter vt Deus semper habet.

Theoph. Ceram. hom. 28. Cum Rex esset naturæ totius ac dominus, et iam ante omne æuum regnandi ius innatum haberet, à Patre tamen vt homo constitutus est Rex. Quoniam verò carnem eam assumpserat, quæ indigebat, vt gloria afficeretur; nec vero caro cuiusdam alterius, sed eius ipsius facta erat: merito sibi vendicat, quæ in ipsam carnem collata, & ad ipsam attinebant: & quæ non habebat vt homo, accipit à Patre eã, quæ naturaliter habebat, Omnia subiecisti sub pedibus eius. ps. 8. 8.

3 *D. August. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, Hoc iam temporaliter secundum susceptum hominem intelligendum est, quia sacrificium sese obtulit pro omnibus sacrificijs, qui etiam interpellat pro nobis, vt ad totam ipsam dispensationem temporalem, quæ pro genere humano facta est, referatur quod dictum est, Postula à me, vt scilicet gentes nomini Christiano copulentur, atque ita à morte redimantur, & possideantur à Deo. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam; quam possideas ad earum salutem, & quæ tibi fructificent spiritalia. Et possessionem tuam terminos terræ: Idem repetitum est, Terminos terræ pro eo positum quod dictum est, dabo tibi gentes: Sed hoc planius dictum fit, vt omnes gentes intelligamus: Possessionem tuam pro eo dictum est, hæreditatem tuam.

D. Bernardus serm. 28. in Cant. longe ab initio, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Tuam, inquit hæreditatem, tuamque possessionem dabo tibi: quomodo dabis ei, si sua est? & quomodo suam mones, vt postulet? aut quomodo sua, si necesse habet, vt postulet? Mihi proinde postulat, qui meam ad hoc induit formam, vt susciperet causam.

D. Lau-

D. Chrysost. serm. de S. Trinit. to. 3. Et Thomas inquit Apostolus, Dominus meus, & Deus meus, quemadmodum & psaltes dicit, Manibus meis Deum exquisiui, & non sum deceptus: palpauit enim Thomas Verbum in incredulitate, & non est deceptus Christum Deum illum confessus in fide.

S. Epiphanius in Ancorato. Sed ingrediens foribus conclusis, contrectatus tamen à Thoma, vt ne imaginatio putaretur, sed veritas: qui à Thoma creditus est, vbi impletum esset quod prædictum est, Manibus meis Deum requisiui, & non sum deceptus.

Mat. 28. 18.

ACCESSIONE GENTIVM AD FIDEM DATAM SIBI OMNEM POTESTATEM DOCET IN CAELO, ET IN TERRA.

§. LXXXIV.

1 *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium ps.* 17. 44.
2 *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctũ eius ps.* 2. 6.
3 *Postula á me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. ps.* 28.
4 *Regnabit Deus super gentes; Deus sedet super sedem sanctam suam ps.* 46. 9.
5 *Timebunt gentes nomen tuum domine, & omnes reges terræ gloriam tuam ps.* 101. 16.
6 *Omnes gentes seruient ei ps.* 71. 11.

1 D. *August. Constitues me in caput gentium; populus, quem non cognoui, seruiuit mihi:* Populus gentium, quem corporali præsentia non visitaui, seruiuit mihi; in auditu auris obediuit mihi; Neque oculis me vidit, sed recipiens prædicatores meos in auditu auris obediuit mihi: *Eadem habet lib. 17. de ciu. c. 16.*

D. Basil. in schol. ad ps. 17. Constitues me in caput gentium, Haud nouimus, Dauidem regem fuisse gentium: Per eum ergo impleta est hæc prophetia, qui ex ipso secundum carnem natus est.

Origenes in cat. apud Corderium, Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium: Christus hæc dicit, qui in signum contradictionis factus est, quem Deus posuit in caput gẽtium; caput enim Ecclesiæ Christus est.

2 *D. August. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Ex persona ipsius Domini nostri Iesu Chri-

sti ista manifesta sunt. Sion autem, si speculationem, vt quidam interpretantur, significat, nihil magis quam Ecclesiam debemus accipere, vbi quotidie intentio erigitur speculandæ claritatis Dei, sicut Apostolus dicit; Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes: Ergo iste sensus est: Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Ecclesiam Sanctam eius, quam montem appellat propter eminentiam, & firmitatem. Ego autem constitutus sum Rex ab eo; Ego scilicet, cuius vincula illi dirumpere, & iugum meditabantur abijcere prædicans præceptum ipsius: Quis hoc non sentiat, cum quotidie factitetur? 2. Cor. 3. 13.

D. *Cyrillus Alex. lib. 3. in Ioan. c. 2. in fine Ego autem constitutus sum Rex ab eo, &c.* Qui cum Deo Patre semper regnat, regē se constitutum fatetur: Homo enim factus, cui regnare naturaliter non est, regnum accipere dicitur; quod naturaliter vt Deus semper habet.

Theoph. Ceram. hom. 28. Cum Rex esset naturæ totius ac dominus, et iam ante omne æuum regnandi ius innatum haberet, à Patre tamen vt homo constitutus est Rex. Quoniam verò carnem eam assumpserat, quæ indigebat, vt gloria afficeretur; nec vero caro cuiusdam alterius, sed eius ipsius facta erat: merito sibi vendicat, quæ in ipsam carnem collata, & ad ipsam attinebant: & quæ non habebat vt homo, accipit à Patre eā, quæ naturaliter habebat, Omnia subiecisti sub pedibus eius. ps. 8. 8.

3 D. *August. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, Hoc iam temporaliter secundum susceptum hominem intelligendum est, quia sacrificium sese obtulit pro omnibus sacrificijs, qui etiam interpellat pro nobis, vt ad totam ipsam dispensationem temporalem, quæ pro genere humano facta est, referatur quod dictum est, Postula à me, vt scilicet gentes nomini Christiano copulentur, atque ita à morte redimantur, & possideantur à Deo. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam; quam possideas ad earum salutem, & quæ tibi fructificent spiritalia. Et possessionem tuam terminos terræ: Idem repetitum est, Terminos terræ pro eo positum quod dictum est, dabo tibi gentes: Sed hoc planius dictum fit, vt omnes gentes intelligamus: Possessionem tuam pro eo dictum est, hæreditatem tuam.

D. *Bernardus serm. 28. in Cant. longe ab initio*, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Tuam, inquit hæreditatem, tuamque possessionem dabo tibi: quomodo dabis ei, si sua est? & quomodo suam mones, vt postulet? aut quomodo sua, si necesse habet, vt postulet? Mihi proinde postulat, qui meam ad hoc induit formam, vt suscipiat causam.

D. Laur. Iustin. c. 13. De triumph. Christi agone: Rex tantum super Israel lætitiæ oleo fuerat vnctus, sicut idem testatus est, dicens, Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt Domus Israel: nondum enim visibiliter regni sceptrum extenderat super gentes. Hoc autem quando impletum esse cognoscitur? vtique post resurrectionem, cum legatis suis per vniuersum orbem directis, regni gloriam gentibus reuelauit; Tunc veraciter impletum est, quod Pater ad filium per Prophetam inquit; Postula à me, & dabo tibi gentes.

Theoph. Ceremeus hom. 28. cit. Ex persona autem Patris ita Christum alloquitur, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatē tuam, & possessionem tuam terminos terræ: Postquam enim vna gens Israelita furore concitata in ipsum est, atque adeo ab ipso reiecta, omnes gentes datæ sunt Christo, quæ ipsi fideles essent: quoniam autem erat expectatio gentium, & in ipsum gentes sperabant, & pro vna Iudeę terra plenitudinē gentiū, vt hæreditatem

Matt. 28. 19. obtinuit; præcepit discipulis, Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Et quidem ante passionem vetuit eos, quominus in viam gentium irēt, ac solum ad oues domus Israel iussit accedere: nunc autem omniū gentium curam illis concredidit, Euntes docete omnes gentes.

4 *D. Chrysost hom. 22. ex diuersis in Matt. locis* Illud est tēpus, quando sedet Christus in sede maiestatis suæ, sicut testatur propheta de gentium fide futura, Regnabit Deus super gentes, &c. Quicumque enim Christum in se suscipiunt credendo, sedes sunt maiestatis eius. Et vide quia non de tempore futuri iudicij dicit, sed de vocatione gentium vniuersarum: nec enim dicit, Cum venerit filius hominis sedens super sedem maiestatis suæ, sed ita, Cū

Matt. 19. 28. sederit in sede maiestatis suæ: In sede autem Maiestatis suæ ex eo cæpit sedere, ex quo gentes credere cæperunt in eum. *Eadem habet Auctor imperfecti hom. 33 in Matt.*

5 *D. Greg. in expos. ps. 5. pænit.* Timuerunt gentes, quando spreta Idolorum cultura, & antiquæ contemptis superstitionis erroribus, baptismo sunt mundati pænitentiæ, & Christianæ susceperunt instituta doctrinæ; in quibus verbis notandum, quia non ait, Sion timebit nomen tuum Domine, sed gentes timebunt nomen tuum, quia etsi missus sit Christus ad oues, quæ perierunt domus Israel; tamen illis Verbum Dei repellentibus, & indignos se æternæ vitæ iudicantibus, conuersi sunt ad gentes Apostoli, qui nomen Christi cum gaudio susceperunt.

ps. 81. 3. 6 *Tertull. lib. 3. adu. Marcionem c. 12.* Inclamat psalmus, Iudicate pupillo, & mendico, & humilem, & pauperem iustè tractate; liberate pauperem, & mendicum de manu peccatoris eruite:

Item

Item psalmus septuagesimus primus, Et saluos faciet filios pauperum: & in sequentibus de Christo, Omnes nationes seruient ei. Dauid autem vni genti Iudaicę præfuit, nequis in Dauid putet dictum, quia & ille susceperat humiles, & necessitatibus laborãtes. Ps. 71. 4.

ANNOTATIONES.

PVlchrè D. Chrysost. de Christi principatu ad illa Dauidis verba, Tecum principium in die virtutis tuæ, *Quid est tecum principium, seu principatus? In te, inquit, est principatus, qui non postea accessit, sed in te est perpetuò: quod & Isaias similiter significans dicebat, Principatus eius super humerum eius, hoc est in ipso, in substantia eius, in natura eius; quod quidem non inest in regibus, principatus enim eorum est in multitudine exercitus; quod nõ erat in Apostolis; nam ipsorum quoque principatus fuit ex operatione eis inspirata extrinsecus. Ipse autem habuit principatum in natura, in substantia, vt qui non eum acceperit, postea quam fuit genitus, nec extrinsecus importatam, aut aduenticiam possederit; sed ita sit genitus. Et ideo de regno quoque interrogatus dicebat, Egò in hoc natus sum.* Is. 9. 6. Io. 18. 37.

INSTITVIT DISCIPVLOS SVOS PER DIES 40. APPARENS EIS, ET LOQVENS DE REGNO DEI. Act. 1. 3.

§. LXXXV.

1 *Narrabo nomen tuum fratribus meis ps. 21. 23.*

1 D. *August. epist.* 120. c. 17. Narrabo nomen tuum, *inquit*, fratribus meis: Fratres illius sunt, de quibus in Euangelio ait, Vade, & dic fratribus meis. Io. 20. 17. Luc. 24. 5.

D. Bruno Episc. Fratres suos Apostolos dicit, quibus & per se ipsum post passionem suam, & spiritum S. quem eis misit, nomen, & gloriam paternæ maiestatis ostendit, quorum officio Ecclesiam regeret, & doceret, & vbique gentium Dei magnalia prædicaret.

D. Hieron. Narrabo, &c. Vox Christi: Fratres Apostoli; postquam resurrexit, ait, Ite nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam; ibi me videbunt. Matt. 28. 10.

Origenes in cat. apud Corderium Narrabo nomẽ tuum, &c. Hæc quodammodo ab ipso à mortuis resurgente dicta sunt, quando exauditus fuit ab ijs, pro quibus orauerat.

AN-

THeophanes Ceram. hom. 39. circa med. præter literalem causam Christi ascensionis in cælum ad quadragesimum diē dilatæ *Quia alioqui* (vt ipse ait) *phantasia quadam, & illusio videri resurrectio potuisset, si reuiuiscens abijsset simul atque visus est, ac simile quid fuisset obiectis per somnium gaudijs, quæ solum apparent, ac statim euolant*; mysticam etiam rationem affert subijciens, *Tres in terra Christi natiuitates nouimus: primam ex Matre purissima; secundam, quæ in Iordane per aquam; tertiam, quæ ex mortuis regeneratio facta est, per quam primogenitus qui erat omnis creaturæ, mortuorum etiam primogenitus dictus est. In prima post quadraginta dies duxit eum vt primogenitum mater in templum, vt sisteret eum domino, & hostiam daret. In secunda ductus fuit à Spiritu in desertum, & totos quadraginta dies ibidegens cum tentationes omnes vicisset, cœpit prædicare regnum Dei. Congruenter igitur post tertiam natiuitatem, resurrectionem dico, peractis quadraginta diebus, in cœleste templum supra omnes cælestes orbes attollitur.* Non pigebit audire etiam Bernardum, & Chrysologum, qui eiusdem in cælum dilatæ ascensionis causam ingeniosè excogitatam assignant. Nam D. Bern. serm. 75. in Cant. post medium, *Nempe*, inquit, *itura ad Patrem caro, quæ non erat ex Patre, prius per gloriam resurrectionis omne infirmum exuit, accinxit se potentia, induit lumine, sicut vestimento, in quali nimirum gloria, & ornatu decuit eam paternis amplexibus præsentari.* Et D. Chrysol. serm. 85. *Christus quadraginta diebus residet, & remoratur in terris, & si dici fas est, Patris occursum differt, Patris suspendit amplexum, donec se totum releuet, & reformet suæ ascensionis in gloriam.*

FERTVR SVBLIMIS IN CAELVM.

Luc. 24. 51.

§. LXXXVI.

1 *Renouabitur vt aquila iuuentus tua ps. 102. 5.*
2 *Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ ps. 46. 6.*
3 *A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius ps. 18. 7.*
4 *Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli ad Orientem ps. 67. 34.*
5 *In sole posuit tabernaculum suum ps. 18. 6.*

1 D. *Ambros. serm. 61.* Meminit Sanctitas vestra, quod aquilæ illi de psalterio, cuius innouatam iuuentutem legimus

mus, comparauerim Saluatorem, est enim similitudo non parua: sicut enim aquila humilia deserit, alta petit, cælorum vicina cōscendit, ita & Saluator humilia inferni deseruit, paradisi altiora petijt, cælorum fastigia penetrauit; & sicut aquila relictis terrenis sordibus sublimè volans purioris aeris salubritate perfruitur, ita dominus terrenorum fœcem deserens peccatorum in Sanctis suis volitans purioris vitæ simplicitate lætatur. Per omnia igitur aquilæ comparatio conuenit Saluatori: Sed quid facimus, quòd aquila prædam facit frequenter in alienum? Nec in hoc tamen dissimilis est Saluator; prædam enim quodammodo sustulit, cum hominem, quem suscepit, inferni raptum faucibus portauit ad cælū, & alienæ dominationis, idest diabolicæ potestatis seruum de captiuitate erutum duxit ad altiora captiuum, sicut scriptum est in propheta, Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus: quæ sententia vtrique sic intelligitur, & quod captiuitatem hominis, quam sibi diabolus captiuauerat, illi eruendo sibi Dominus captiuarit; & ipsam, sicut ait, captiuitatem captam ad cælorum alta sustulerit: vtraque igitur captiuitas vno vocabulo nuncupatur; sed non æqualis vtraque est: diaboli enim captiuitas seruituti subijcit; Christi autem captiuitas restituit libertati. *Eph*. 4. 8.

2 *D. August*. Quid est iubilatio, nisi admiratio gaudij, quæ verbis non potest explicari? quomodo admirati sunt gaudentes discipuli videntes ire in cælum, quem planxerunt mortuum? Re-uera quia gaudio huic verba non sufficiebant, restabat iubilare, quod nemo potuit explicare. Ibi erat & vox tubæ, vox illa Angelorum; dictum est enim, Sicut tuba exalta vocem tuam: prædicauerunt Angeli ascensionem Domini; viderunt discipuli ascendentem dominum orantes, admirantes, stupentes, nihil dicentes, sed corde iubilantes. Et vox iam tubæ in voce Angelorum, Viri Galilæi, inquit, quid hic statis? Hic est Iesus. *Is*. 58. 1. *Act*. 1. 11.

Beda Ascendit Deus in iubilo, idest in immensa lætitia, & stupore Apostolorum; & Dominus ascendit in voce Angelicæ tubæ: Angeli namque consolati sunt Apostolos stupidos, & à se quodammodo alienatos, ascendente Domino; quasi dicant, corpus quidem tollitur ab oculis vestris; sed Deus non separatur à cordibus vestris. Videte ascendentem, credite absentem, sperate venientem, per occultam misericordiam semper sentite eum præsentem.

D. Chrysost. adu. Gent. quod Christus sit Deus, Ascendit Deus in iubilatione, &c. Per iubilationem, & tubam clara eius ascensio docetur.

Idem Chrysost. in cat. apud Corderium, Non dixit, Deductus est, sed ascendit, vt ostenderet eum ascendisse, nullo alio eum

ducente, sed ipsum hanc viam esse ingressum. Elias enim, qui nō eò, quò Christus, processerat, ducebatur ab alia potestate, non enim erat humanæ naturæ via aliena ingredi; Vnigenitus autem ascendit propria potestate. Quocirca Lucas quoque sic dicebat;
Act. 1. 10. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, Non dixit, cum ipse assumeretur, neque cum portaretur; erat enim proprius incessus id quod fiebat. Si autem antequam crucifigeretur, ferebatur super aquas adhuc patibili, & graui corpore circumdatus; quid mirum, si postquam sumpsit ab interitu alienum, aerem secuerit? Vbi autem in iubilo? quis iubilauit, quando ascendit? atqui hoc silentio factum est, & vndecim solùm præsentibus discipulis. Vides, non oportere dictiones simpliciter accipere, sed scire, quid ex eis significetur. Quod enim in proœmio psalmi monebam, iubilus aliquid aliud significat, nempe victoriam, trophęū; quod ergo hoc dicit in iubilo, hoc est, ascendit in victoria, cùm mortem vicisset, peccatum prostrauisset, dæmones fugauisset, errorem expulisset, omnia in melius commutasset, in antiquam patriam, imò verò longe meliorem, nostram naturam transtulisset. Quocirca Paulus quoque eius trophæum narrans dicebat, Expo-
Col. 2. 15. lians principatus, & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso. Dominus in voce tubæ: Idem rursus significat, hoc est in præclara victoria. Hìc autem est aliud quoque intelligendum, nempe id fuisse clarum, apertum, illustre: atqui nullus tunc id nouit, cum fieret; sed tam euasit manifestum, quam si tuba cecinisset, quin imò multo magis: illud enim quod tunc clanculum factum est, nemo ferè eorum, qui orbem terræ habitāt, ignorauit; sed ipsum perinde reuelauit rerum natura, ac si tuba cecinisset, quin etiam multo magis.

D. Cypr. in expos. symboli Apost. ad illa verba Ascendit in cælos, Dicit, & alibi idem Dauid, Ascendit Deus in iubilatione, & dominus in voce tubæ: In voce enim tubæ, moris victorum est, redire de prælio.

Origenes in cat. apud Corderium Quemadmodum Dominus ve-
1. *Thess.* 4. 15. niet in voce Angeli, & in tuba Dei descendet de cælo, ita ascendit Deus in iubilo; dominus autem in voce tubæ; & forte iubilò omnium gentium plaudentium manibus, iubilantium Deo in vo-
ps. 46. 1. ce exultationis.

Theodoretus in cat. apud eumdem Cum hæc, *inquit*, Dominus perfecisset; primùm quidem incarnatus fuit, hostisque tyrannidē euertit; deinde in cælos abijt, cælestibus virtutibus præeuntibus,
ps. 23. 7. & Tollite portas concinentibus: Has igitur voces iubilum, tubæque vocem appellauit, vt quæ in totū orbem terrarum peruadit.

D. Ambros. in caput 4. epist. ad Ephesios explicans verba illa,

Qui

Qui descendit, ipse est & qui ascendit, &c. Hoc est, *inquit*, quod *Io. 3.13.*
dicit Dominus, Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo: quod quidem & in psalmo continetur, A summo cælo egressio eius, & regressus eius vsque ad summum eius. Hic ergo descendens è cælis in terram homo natus est, post mortuus descendit ad inferos, ex quibus tertio die resurgens ante omnes mortales ascendit super cunctos cælos, vt illusā mortem ostenderet creaturæ.

4 *D. August. Regna terræ cantate Deo, psallite domino; psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli ad orientem.* In his verbis ille non intelligit Christum, qui eius resurrectionem ascensionéque non credit. Ad orientem verò quod addidit, nonne etiam locum, quoniam in partibus Orientis est, vbi resurrexit, & vnde ascendit, expressit?

5 *Rupertus lib. 1. in Abdiam c. 1. ad illa verba, & timebunt à meridie fortes tui, vt intereat vir de monte Esau*, Meridies, *inquit*, hoc tempus gratiæ est, ex quo sol iustitiæ Christus in altū ascendit, suæque diuinitatis radios, idest spiritus S. dona, diffundens mundum illuminauit, et calefecit; vnde Psalmista, In sole, inquit, posuit tabernaculum suum.

ANNOTATIONES.

3 *A summo cælo, &c.* Vide quæ in hunc versiculum de egressu Verbi è sinu Patris per Incarnationē notauimus supra ad §. 4. n.4.

4 *Ascendit super cælum cæli, &c.* Geminatio eiusdem vocis mirum in modum significationem intendit, phrasi hebræa. Vnde illa, Vanitas vanitatum apud Ecclesiasten 1. 2. pro re vanissima; millia millium apud Dan. 7. 10. & in Apoc. 5. 11. vt significetur numerus Angelorum ministrantium Deo propemodum infinitus, & qui numerari non possit, iuxta illud Iobi 25. 3. Numquid est numerus militum eius? Sanctum, vel Sancta Sanctorum Exodi 36. 34. & Leuit. 10. 17. ad indicandum locum in templo Sanctissimum, vel etiam res speciali ritu Deo consecratas, omnique veneratione dignissimas; seculum seculi pro longissima, atque adeo æterna, omnemque temporalem excedente duratione, vnde passim in psalmis, in æternum, & in seculum seculi: Latet enim in tali repetitione vocabuli ille superlationis gradus, quo, quemadmodum & comparatiuo, Hebræi carent. Similiter ergo Psaltes noster cælum cæli dixit empyreum, cælestium aliorum corporum supremum ac nobilissimum. Ex eo autem, quod hìc dicatur Seruator noster non iam in cælum, sed super cælum cæli conscendisse, satis innuitur, eumdem ascendisse super omnes cælos, vt loquitur Apostolus ad Ephes. 4. 10. atque etiam supra empyreum, vt totus super illud emineat, insistatque pedibus conuexæ superficiei cæli

eiusdem, fitque in spatijs, vt vocant, imaginarijs, quæ est sententia D. Tho. 3. p. q. 57. a. 4. quem sequuntur Caiet. Palud. & Suarius noster in tertiam par. de mysterijs Christi qu. 57. cap. 4. Idemque sentire videntur Chrysostomus, & Theophylactus, dum asserunt, Christum dominum ascendisse supra omnia, vltra quæ non sunt alia.

VIRTVTE PROPRIA, NON ALIENO SVFFVLTVS AVXILIO, CONSCENDIT.

§. LXXXVII.

1 *Exaltare domine in virtute tua ps. 20. 14.*

1 D. *Bruno Episc. Exaltare Domine*, Satis inter impios conuersatus es; victi sunt inimici; coronatus es corona de lapide pretioso. Exaltare igitur, & sic cælos ascende: nos autem cantabimus, & vbique gentium prædicabimus virtutes tuas.

D. Laur. Iustin. de triumph. Christi agone c. 28. ante med. Ex huius insueti ascensus intuitu astantium discipulorum admiratione transfixa sunt corda, adeo vt sumet obliti quid dicerent, ignorarent. Erat vtique prodigium hoc veneratione dignissimum: ab ipso vsque tunc mundi exordio minimè fuerat auditum, vt mortalium quispiam absque vehiculo, & sine adiutorio cælorum corporaliter secreta penetrasset. Præcesserat Enoch solus tantum in illa generatione iustus repertus, qui Angelorum fretus adminiculo de hoc seculo in deliciarum translatus extiterat locum: Eliā quoque in curru igneo ab aspectibus hominum legimus fuisse sublatum: Sed & Abacuch prophetam nouimus in momento de Iudæa in Babylonem esse deductum: Horum neminem per seipsum, sed per Angelorum ministerium id egisse cognouimus. Solus Mediator noster ex virtute Verbi alieno non indigens suffragio in beatorum mansiones gloriosus intrauit. Hoc longè ante Citharædus Sanctus contemplans aiebat, Exaltare domine in virtute tua, cātabimus, & psallemus virtutes tuas. In virtute igitur propria, cernentibus Apostolis alijsque quamplurimis ferebatur in cęlum, patenter quidem, & pedetentim, itaut intuentibus nulla inesset de ascensu eius ambiguitas.

Gen. 5. 24. *4. Reg. 2. 11.* *Dan. 14. 35.*

ANNOTATIONES.

IEsu Christi Seruatoris nostri gloriam virtute propria, non alterius ope, siue adminiculo ascendentis in cælum Isaias ex

An-

Angelorũ testimonio multò ante prædixit, dum eos ad hæc verba inter se loquentes inducit cap. 63. 1. *Quis est iste, qui venit de Edō tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ.* ? Non in virtute tantum sua, inquiunt, sed in multitudine fortitudinis suæ. Et apud Psalmistam nonnullis ex eorumdem numero nouam ascendentis pompam, nouamque gloriam admirantibus, ac sciscitantibus, *Quis est iste Rex gloriæ?* meritò ab alijs respondetur, *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Pulchrè D. Cyprianus serm. de Ascens. *Non auxiliaribus carpentis euectus est Christus, sed natura diuina propria vsus virtute carnem cælo intulit: non indiget vectoribus Angelis, sed præcedentes, & subsequentes applaudebant victori, & concinētes in iubilatione modulabantur canticum nouum.* & D. Bernard. tract. de gradibus humilitatis ante explicationem primi gradus. *Raptus est Paulus; raptus est Elias; translatus est Enoch: Redemptor noster legitur eleuatus, hoc est ex se ipso leuatus, non aliunde adiutus. Denique non currus vehiculo, non Angeli adminiculo, sed propria virtute subnixum suscepit eum nubes ab oculis eorum. Cur hoc? An fessum iuuit? An pigrum impulit? An cadentem sustinuit? Absit: sed suscepit eum oculis ab carnalibus discipulorum, qui etsi Christum nouerant secundum carnem, sed vltra iam non nouerent.*

Ps. 23. 9. 1. Cor. 12. 2. 4. Reg. 2. 11. Eccl. 44. 16. Act. 1. 9. 2. Cor. 5. 16.

ASCENDENTEM NVBES SVSCIPIT AB OCVLIS DISCIPVLORVM. Act. 1. 9.

§. LXXXVIII.

1 *Qui ponis nubem ascensum tuum* ps. 103. 3.
2 *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum* ps. 68. 4.

1 D. *August. concione prima de prima parte psalmi huius* 103. Accipitur & hoc bene ad litteram: Dominus visibiliter ascendit in cælum. Quomodo positæ sunt nubes ascensus cæli? Hæc cum dixisset, nubes suscepit eum. Habes item de resurrectione nostra prædictum, Et mortui, inquit, in Christo resurgent primi: deinde nos, qui viuimus, simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera, atque ita semper cum domino erimus. Habes nubes ascensum cæli. Act. 1. 9. 1. Thes. 4. 15.

D. Bruno Episc. Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas venturum. Hoc est enim, quod in Euangelio de Domino dicitur, quia videntibus discipulis eleuatus est, & nubes

su-

fuscepit eum ab oculis eorum. Ambulauit autem super pennas ventorum, quia nulli venti in eam altitudinem ascendere possunt. Hic autem nullā aliam expositionem quærere debemus, ne forte huic tam verissimæ, & clarissimæ expositioni iniuriam facere videamur.

D. Greg. hom. 8. in Ezech. prope finem mysticè locum psalmi ita interpretatur: Nubem enim Redemptoris carnem non inconuenienter accipimus, de qua per psalmistam dicitur, Qui ponis nubem ascensum tuum: Nubem quippe ascensum suum posuit; quia is, qui diuinitate vbique est, carne ad cælestia ascendit.

D. Hieron. Qui ponis nubem, &c. Dominus enim Iesus, benedictis discipulis, eleuatus est, & nubes suscepit illum, & intuebantur illum euntem in cælum.

Rupertus lib. 1. in Gen. c. 26. Quid verò est, quod vbi idem propheta dixit, Qui tegis aquis superiora eius, protinus adiun-
Ps. 103.3. xit, Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum? Etenim mysticè quidem prophetia est de hoc ipso, qui cælum extendit, magnificentissimo Deo, Dei Verbo, quia homo factus est, mortuus est, & mortuus post resurrectionem suam in cælum ascendit: tunc enim posuit nubem ascensum suum, & ambulauit super pennas ventorum; videntibus quippe Apostolis suis
Act. 1. 9. eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.

2 *D. Maximus hom. 3. in solemn. Pent.* Desideria quædam nostri sustinent oculi, dum non perspiciunt, quem requirunt, sicut ait Propheta, Defecerunt oculi mei, dum spero in Deo meo. Defecerunt enim prophetæ oculi, quia nondum videbat, quem sperabat, se esse visurum: sic namque Apostolorum defecerunt oculi, cum euntem ad cælum Dominum nequeunt intueri, secundum quod ait Lucas dicens, Et videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Stabant enim beati Apostoli toto suspensi corpore, & ascendentem ad cælum Dominum, quia incessu pedum non poterant, oculis sequebantur: & licet ad deducendum Saluatorem visio humana deficeret, fidei tamen deuotio nō defecit; vsque ad nubem enim Christum deducunt, vsque ad cælum autem cum Christo fidei deuotione comitantur.

ANNOTATIONES

1 PVlchrè D. Maximus nubem, quæ Christum in cælum ascēdentem suscepit, Patrem intelligit obuijs vlnis occurrentē filio, eūdēque post passionis opprobria, mortēq; pro humana redemptione obitam singulari beneuolentia complectentem. *Videamus, inquit hom. 2. in solemn. Pent. quæ ista nubes sit, quam splen-*

splendida, quã præclara, quæ lucem mundi Christum suscipere meretur; neq; enim poterat obscura esse ac tetra vel tenebrosa quia scriptũ est, Et tenebræ eã non comprehenderunt, tenebræ enim lucem gestare non poterant. Illa enim est nubes, quæ ascendentem suscepit Christũ, Io.1.5.
quæ & testimonium Christo etiam in monte perhibuit, de qua ait Euangelista, Vox in nube audita est dicens, Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Non igitur nubes suscepit Christum, sed Deus Matt.17.5
Pater recepit filium, & occursu quodam pietatis ascendentem illum gremio molliore complectitur. Nam ideo Pater dicitur suscipere filium nubis vmbraculo, vt ostendatur refrigerio quodam fouere eius vulnera passionis. Post crucem enim, post iniurias, post inferos nõ est maius Christo refrigerium, nisi quod virtute diuinitatis obumbraretur, sicut in Natiuitate eius ad Mariam dicitur, Et virtus altissimi obumbrabit tibi: Altissimus ergo Pater, qui nascenti Christo obumbrauit in virtute Mariæ, ascendentem eum suscepit in Luc.1.35.
nube. Semper enim Deus, quos post iniurias perducit ad requiem, protegit eos nubis vmbraculo, sicut filios Israel liberatos de Aegypto nubis columna protexit, & vt post multum laborem eos in terram repromissionis induceret, refrigerij fouet vmbraculo, sicut ait propheta. Expandit nubem ad protegendum eos. ps. 114.
Sententię D. Max. fauere videtur Hilarius, qui verba illa ps. 104.
54.6. *Exurge in occursum meum* ita interpretatur, vt sint Filij ad Patrem deprecantis, vt suum ad cælos regressum paterno occursu honorare dignetur. *Exurge in occursum meum, & vide, & tu Domine Deus virtutum Deus Israel intende ad visitandas omnes gentes; Exurgere enim sibi in occursum Deum virtutum ad visitandas omnes gentes precatur, in eo vtique, quo excitata, & collocata à dextris eius in cælestibus gentes sunt. Et dignum fuit, reditum eius ambitione occursus cælestis ornari, ne ingressuro cælos dignatio paterna de cælo deesset: Descensum namque eius in carnem, & ex Maria natiuitatem lætantes Angeli, & patentes cœli honorauerunt.*

TRIVMPHALI POMPA IN CAELI CAPITOLIVM ASCENDIT.

§. LXXXIX.

1 *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium: ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus ps. 67.18. & 19.*

1. **H**Vnc locum sic refert Apostolus Eph. 4. 8. Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.

D. August. Hoc Apostolus sic commemorat, sic exponit de Domino Christo loquens, Vnicuique autem nostrum, inquit, datur gratia secundum mensuram donationis Christi, propter quod dixit, Ascendit in altum captiuauit captiuitatem, dedit dona hominibus: Christo ergo sine dubio scriptum est, Ascendisti in altum, captiuasti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Nec moueat, quod Apostolus idem testimonium commemorans non ait Accepisti dona in hominibus, sed dedit dona hominibus; ille quippe auctoritate Apostolica secundum hoc locutus est, quod Deus Filius cum Patre fecit; secundum hoc quippe dedit dona hominibus mittens eis Spiritum S. qui Spiritus est Patris & Filij: secundum verò illud, quod idem ipse Christus in corpore suo intelligitur, quod est Ecclesia, propter quod & membra eius sunt Sancti, & fideles eius, vnde eis dicitur, Vos autem estis corpus Christi, & membra, procul dubio & ipse accepit dona in hominibus. Christus quippe ascendit in cælum, & sedet ad dexteram Patris; sed nisi & hic esset in terris, non inde clamasset, Saule Saule quid me persequeris? Cum ergo idem ipse dicat, Quando vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, quid dubitamus eum accipere in membris suis, quæ dona membra eius accipiunt? *Et post pauca:* Ipsos homines, qui captiui tenebantur, appellat captiuitatem, sicut militia cum dicitur, intelliguntur qui militant; eamdem captiuitatem Christo captiuatam dicit: cur enim non sit captiuitas felix, si & ad bonum homines possunt capi? Vnde Petro dictum est, Ex hoc iam homines eris capiens: Captiuati ergo quia capti; & capti quia subiugati, sub leue illud iugum missi, liberati à peccato, cuius serui erant, & iustitiæ serui facti, cuius liberi erant: Vnde & ipse in illis est, qui dedit dona hominibus, & accepit dona in hominibus; ideoque in ista captiuitate, in ista seruitute, in ipso curru non sunt millia plorantium, sed millia lætantium; dominus quippe in illis, in Sina, in Sancto.

Eph. 4. 7. & 8.

1. Cor. 12. 27.

Act. 9. 4.

Matt. 25. 40.

Luc. 5. 10.

Idem August. serm. 43. de verb. domini De ipso dictum est, Ascendit in altum, captiuauit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quid est captiuauit captiuitatem? Vicit mortem: quid est captiuauit captiuitatem? mortem procurauit diabolus, & ipse diabolus de morte Christi est captiuatus. Ascendit in altum: quid altius cælo? Nouimus euidenter, & ante oculos discipulorum suorum ascendit in cælum: Hoc scimus, hoc fatemur, hoc credimus, Dedit dona hominibus: quæ dona? Spiritum Sanctum: qui tale dat donum, qualis ipse est? Magna est autem misericordia Dei: donum dat

dat æquale sibi, quia donum eius Spiritus Sanctus est, & vnus Deus tota Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

Idem serm. 183 de temp. Credimus ad Patrem peruenisse Filiũ, cum videmus ad Apostolos descendisse Paracletum; credimus nã que eum regnare in cælis, quem cernimus munera Sancta donare in terris, sicut scriptum est per prophetam, Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Victor vtique muneratur, victor dona largitur: vnde & Saluator victor diaboli post triumphum discipulos, quos liberauit à captiuitate, etiam benedictione ditauit.

D. Ambros. serm. 62. Quam bene triumphum domini propheta describit! solebat, sicut dicunt, regum triumphantium currus captiuorum pompa præcedere. Ecce dominum euntem ad cælos nõ præcedit, sed comitatur gloriosa captiuitas; non enim ante vehiculum ducitur, sed ipsa euehit Saluatorem: quodam enim mysterio dum Filius Dei filium hominis sustulit ad cælum ipsa captiuitas portatur & portat. Quod autem ait, Dedit dona hominibus, hoc Victoris insigne est; post triumphum enim Victor semper dona largitur, & proprio regno residens seruorum gaudia muneratur: Sic Christus Dominus victor diabolicum post triumphum residens ad dexteram Patris hodierna die discipulis dona largitus est, non auri talenta, non argenti metalla, sed Spiritus Sancti cælestia munera, vt inter cetera Apostoli etiam linguis varijs loquerētur.

D. Anselmus ad c. 4. Ephes. Captiuam duxit captiuitatem, eos, qui in inferno tenebantur captiui, qui captiuitatis nomine designari possunt, duxit secum ad regna cælorum: nam sicut militia cum dicitur, intelliguntur qui militant; sic appellatione captiuitatis intelliguntur, qui inferni claustris detinebantur capti. In hac quoque vita multi tenebantur à diabolo captiui in peccatis, qui & captiuitas similiter appellantur; sed eos Christus feliciter captiuauit: cur enim non sit captiuitas felix, si & ad bonum homines possunt capi? Vnde Petro dictum est, Ex hoc iam homines eris capiens. Captiuati ergo sunt, quia capti; & capti, quia subiugati, idest sub leue Christi iugum missi. *Luc. 5. 10.*

D. Greg. hom. 29. in Euang. Ascendens quippe in altum captiuam duxit captiuitatem, quia corruptionem nostram virtute suæ incorruptionis absorbuit: Dedit vero dona hominibus, quia misso desuper spiritu alij sermonem scientiæ, alij gratiam virtutum, alij gratiam curationum, alij interpretationem tribuit sermonum. *1. Cor. 12. 8.*

Innoc. III. serm. de Annunc. V. Ascendens autem in altum captiuam duxit captiuitatem, Sanctos scilicet, qui à diuina visione suspensi in inferni tenebris tenebantur, de quibus legitur, Eduxit vinctos suos de lacu, in quo non erat aqua. *Zac. 9. 11.*

Origenes hom. 21. in Num. Victis aduersarijs, dæmonibus, eos, qui sub ipsorum dominatione tenebantur, Christus quasi prædam victrix suæ ducit, & spolia salutis reportat; sicut & in alijs de eo scriptum est, quia Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, captiuitatem scilicet illam humani generis, quam diabolus ad perditionem ceperat, iste rursus captiuam duxit, & à morte auocauit ad vitam.

EXCIPITVR PERHONORIFICE TAMQVAM REX GLORIAE.

§. LXXXX.

1 *Attollite portas principes vestras, &c. Quis est iste Rex gloriæ dominus virtutum ipse est Rex gloriæ ps. 23. 9.*

1 D. *Ambros. lib. 4. de fide c.* 1. Obstupuerunt & Angeli cæleste mysterium: vnde cum resurgeret dominus, atque illum, quem dudum secundum carnem angustus sepulchri locus texerat, resurgentem ab inferis cæli alta sustinere non possunt; hæserunt etiam cælestia opinionis incerto. Veniebat enim nouis victor redimitus exuuijs Dominus in templo sancto suo. Præibat Angeli, & Archangeli mirantes spolium ex morte quæsitum; & quamuis scirent, nihil Deo accedere externè potuisse, quia infra Deum omnia sunt; tamen trophæa crucis, cuius principatus super humerum eius, & triumphatoris æterni manubias intuentes, quasi eum, quem emiserant, cæli portæ capere non possent, licet nunquam eius capiant Maiestatem, maiorem viam quærebant aliquam reuertenti, adeo nihil exinanitus amiserat. Debuit tamē nouo Victori nouum iter parari; semper enim victor & præcelsior æstimatur, sed quia æternæ sunt iustitiæ portæ, eædemque noui, & veteris testamenti, quibus cælum aperitur, non mutantur vtique, sed eleuantur; quia non vnus homo, sed totus in omnium Redemptore mundus intrabat. Translatus erat Enoch, raptus Elias, sed non est seruus supra dominum; nullus enim ascendit in cælum,
Io. 3. 13. nisi qui descendit de cælo: Nam & Moysen, licet corpus eius non apparuerit in terris, nusquam tamen in gloria cælesti legimus, nisi postquam Dominus resurrectionis suæ pignore vincula soluit inferni, & piorum animas eleuauit. Translatus ergo Enoch, raptus Elias, ambo famuli, ambo cum corpore; sed non post resurrectionem, non cum manubijs mortis, & triumpho crucis viderunt illos Angeli: & ideo Dominum omnium primum ac solum de morte triumphantem venire cernentes, tolli portas principibus
im-

imperabant cum admiratione dicentes Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Erat tamen & in cælestibus qui stuperent, qui admirarentur nouam pompam, nouam gloriam; & ideo requirebant, Quis est iste Rex gloriæ? Sed quia & Angeli processus habent scientiæ; & capacitaté profectus habét, habét vtique discretionem virtutis, atque prudentiæ; solus sine processu Deus, quia in omni perfectione semper æternus est. Dicebant alij, illi vtique, qui affuerant resurgenti, illi qui viderant, vel iam cognouerant, Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. Iterum multitudo Angelorum triumphali agmine præcinebant, Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ: Rursus alij stupentes dicebant, Quis est iste Rex gloriæ? Vidimus eum non habentem speciem neque decorem: si ergo ipse non est, quis est iste Rex gloriæ? Respondetur à scientibus, Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ: Ergo dominus virtutum ipse est Filius. *Is. 53. 2.*

D. Cypr. in exposit. symboli ad illa verba Ascendit in cælos, Quia nouus iste ingressus portarum cæli æditiuis, & principibus videbatur, videntes naturam carnis cælorum secreta penetrantem, dicunt ad inuicem, sicut Dauid plenus Spiritu S. enunciat, Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ? Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. Quæ vox vtique non propter diuinitatis potentiam, sed propter nouitatem carnis ascendentis ad dexteram Dei ferebatur.

D. Greg. Nazianz. orat. 2. in Pascha Si in cælos ascendat, simul ascende, atque comitantibus, vel excipientibus Angelis te adiunge: Portis, vt attollantur, & sublimiores fiant, impera, quò Christum à passione sublimiorem capiant. His, qui propter corpus, & passionis signa, quæ in descensu non allata secum ascendés tulit, mente perplexi, atque ancipites sunt; atque ideo percontantur, Quis est iste Rex gloriæ? responde, Dominus fortis, & potés cum in ijs omnibus, quæ semper fecit, & facit, tum in præsenti bello, ac trophæo pro humani generis salute erecto; ac duplici interrogationi responsum duplex repende.

D. Hieron. epist. 27. Pulchrè leuari iubentur portæ & in sublime erigi; siquidem iuxta dispensationem carnis, & mysterium, & victoriam Crucis maior regreditur ad cælos, quam ad terras venerat.

Theodoretus in cat. apud Corderium. Attollite portas, &c. Domini ascensionem describit, nobisque Angelorum choros describit: hos siquidem Christum Dominum præeuntes; illos verò superius interrogantes, ac discere cupientes, quodnam hoc nouum sit spectaculum.

ANGELORVM.

§. LXXXXI.

1 *Eleuata est magnificentia tua super celos ps. 8. 2.*

Et iterum Exaltare super cælos Deus ps. 56. & 12.

2 *Et ascendit super Cherubim, & volauit, volauit super pennas ventorum ps. 117. 11.*

1 D. *Augustinus.* Quæro, vnde sit mirabile nomen eius in vniuersa terra? respondetur, Quoniam eleuata est magnificentia tua in cælos: vt iste sit sensus: Domine, qui es Dominus noster, quam te admirantur omnes, qui incolunt terram! quoniam tua magnificentia de terrena humilitate super cælos eleuata est: hinc enim apparuit, quis descenderis, cum à quibusdā visum est, & à ceteris creditum, quò ascenderis.

S. Bruno Episc. Ex eo namque cæpit hoc nomen esse admirabile in vniuersa terra, ex quo magnificentia Dei super cælos eleuata est. Magnificētia Dei Christus est; vel quia Pater per Filiū magnificatus est; vel quia ipse Filius tam magnus à Patre factus est, vt omnis creatura, & quę in cælis, & quæ in terra est, ei subijciatur: vnde & in sequentibus dicitur, Omnia subiecisti sub pedibus eius.

ps. 8. 8. *D. Bruno Carth.* Magnificentia tua, idest Filius tuus, qui emphaticè dicitur magnificentia, faciens suos magnificos, eleuata est, idest exaltabitur super cęlos materiales.

D. Greg. hom. 29. in Euang. De hac solemnitate (*Christi s. ascendentis in cælum*) per Psalmistam dicitur, Eleuata est magnificentia tua super cælos.

D. Hieron. Quam admirabile est &c. Quod pro nobis homo factus es, quod mortuus, quod resurrexisti, in cunctis gentibus est vulgatum: Quoniam eleuata &c. quod post resurrectionem cælos cum templo gloriæ conscendisti.

D. Hilarius. Quæ in altum de humilibus efferuntur, ea exaltari videntur, quia per profectum quemdam in id, quod sublimius est, euadunt. Quod autem super cælos exaltandum est, necesse est, vt prius descenderit ad inferiora de cælis, per quod rursum exaltandum sit super cælos: quod ipsum Apostolus absolutissimè ita dicit. Qui cum ascendisset in altitudinem, captiuam egit captiuitatem, dedit dona hominibus. Ascendit autem quid est, nisi quia & descendit in inferiora terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia: Hine exaltandi super cælos causam significans extitisse, quod descendendi

Eph. 4. 9.

vsque

vsque ad inferiora terræ humilitas esset assumpta. Ex voto ergo propheta pronunciat, exaltari super cælos Deum; & quia exaltatus super cælos impleturus esset in terris omnia Sancti Spiritus sui gloria, subiecit: Et super omnem terram gloria tua, cum effusum super omnem carnem spiritus donum gloriam exaltati super cælos domini protestaretur.

2 *D. Cyprianus in expos. symboli ad illa verba Ascendit in cælos* De ipso quoque (*Christo*) & aliàs dicitur, Qui ædificat in cælo ascensum suum: etiam alibi, Qui ascendit super Cherubim, & volauit, volauit super pennas ventorum.

D. Hieron. Et ascendit super Cherubim, hoc est super plenitudinem scientiæ Christus ascendit cum corpore suo super omnes Angelos, & Archangelos: Cherubim interpretatur plenitudo scientiæ, quæ est caritas; quia plenitudo legis est dilectio: hoc est caritas Christi super hoc ascendit, sicut in Euangelio ipse Dominus dicit, Maiorem caritatem nemo habet, quam vt animam suā ponat quis pro amicis suis, Quod ita Christus fecit, qui animam suam pro amicis dedit. *Io.15. 13.*

Nicephorus in cat. græca. Qui ascendit super Cherubim: Hoc vaticinium de Christi ascensione affertur.

SEDET AD DEXTERAM PATRIS SEMPER VIVENS AD INTERPELLANDVM PRO NOBIS.

Mar. 16. 19. *Heb.7.25.*

§. LXXXXII.

1 *Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis ps. 109. 1.*
2 *Parata sedes tua Deus, ex tunc à sæculo tu es ps. 92. 2.*
3 *Exaltauit caput meum super inimicos meos ps. 26. 6.*
4 *In sole posuit tabernaculum suum ps. 18. 6.*
5 *Apud te propitiatio est ps. 129. 4.*

1 D. *Ambros. serm.* 60. Ait ergo propheticus psalmorum, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. Secūdum consuetudinem nostram illi consessus offertur, qui aliquo opere perfecto victor adueniens honoris gratia promeretur, vt sedeat: Ita ergo & homo Iesus Christus passione sua diabolum superans, resurrectione sua inferna referans tamquam perfecto opere ad cælos victor adueniens audit à Deo Patre, Sede ad dexteram meam. Nec mirum si vnius sedis offertur Filio consessus à Patre, quia vnius est substantiæ, & naturæ cum Patre. Cur autem ad dexteram filius esse dicatur, moueat aliquem fortasse: licet enim dignitatis gradus non sit, vbi plenitudo diuinitatis est; tamen ideo

ideo ad dexteram sedet Filius, non quò præferatur Patri, sed ne inferior esse credatur: Et ideo ad dexteram Filius, quia secundùm
Matt. 25. 33 Euangelistam ad dexteram oues, ad sinistram verò constituentur hædi; necesse est ergo partem ouium primis agnus obtineat, & securuto immaculato gregi locum dux immaculatus anticipet, si-
Ap. 14. 4. cut ait Ioannes in Apoc. dicens, Hi sunt, qui sequuntur agnum quocumque vadit, qui se cum mulieribus non coinquinauerunt. Refert ergo Propheta Dauid, Dixit dominus domino meo, sede ad dexteram meam, Hoc est Dominus Pater Domino Deo Christo Filio throni sui offert sublimem consessum, & honoris gratia ad dexteram suam illum æterna sede constituit.

D. August. Nouimus Christum sedere ad dexteram Patris post resurrectionem à mortuis, & in cælos ascensionem. Factum est is; nec vidimus, sed credimus, in libris legimus, prædicatum audimus, fide retinemus. Vnde & eo ipso quod erat filius Dauid Christus, factus est dominus Dauid: illud enim quod natum est ex semine Dauid, ita honoratum est, vt esset dominus Dauid. Ita admiraris hoc, quasi & in rebus humanis ista non fiant? si contingat, filium cuiuspiam Regem fieri, patre priuato, nonne erit dominus Patris? Admirabilius est, quod potest contingere, vt non solum Rex factus priuati filius dominus sit patris sui, sed & Episcopus factus Laici filius sit pater patris sui. Ergo et eo ipso quod carnem accepit Christus, quod in carne mortuus est, quod in eadẽ carne ascendit in cælum, & sedet ad dexteram Patris, & in eadem carne sic honorata, sic clarificata, sic in cælestem habitum commutata, & Filius est Dauid, & Dominus est Dauid.

D. Bernardus serm. 6. in Cant. Pater ad Filium Sede, inquit, à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum; hoc est donec omnes, qui te contemnunt, tuæ voluntati subijciam, siue inuitos & miseros, siue voluntarios, & beatos.

D. Leo P.P. serm. 5 de Natiu. Domini: c. 5. Adam præcepta Dei negligens peccati induxit damnationem; Iesus factus sub lege reddidit iustitiæ libertatem: ille Diabolo obtemperans vsque ad præuaricationem meruit, vt in ipso omnes morerentur; hic Patri obediens vsque ad Crucem fecit, vt in ipso omnes viuificarẽtur: ille cupidus honoris angelici naturæ suæ perdidit dignitatem; hic infirmitatis nostræ suscipiens conditionem, propter quos ad inferna descendit, eosdem in cælestibus collocauit: postremo illi per
Gen. 3. 19 elationem lapso dictum est, Terra es, & in terram ibis; huic per subiectionem exaltato dictum est, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Mar. 16. 19. *Theoph. Ceram. hom. 30. prope finem.* Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dex-

tis Dei: Hic rursus & locum, vnde assumptus est, & modum, quo id factum est, prætermisit; quæ sanè diuinus Lucas expressius enarrauit. Cum verò audis, eum in dextera Dei consedisse, sedem aliquam corpoream ne concipias, & ad cogitationes Deo dignas animum erige. Dicitur sanè de Deo status, & sessio; etenim propheta ille pecoris custos Dominum in adamantino muro stantē vidit, & diuinus Stephanus Spiritu S. plenus vidit gloriam Dei, & Filium stantem à dextris. Marcus verò diuiniloquus, & magnus Paulus, & ante hos Propheta Dauid sedisse Christum ait in dextera Dei; nam Dauid dixit, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Et Paulus Sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis; & hoc itidem loco Euangelista cum his concinit: At non vti corporeis in rebus, sic & de excellente natura statum, & sessionem cogitare debemus; neque enim vel eum statum, qui erecto poplite, neque eam sessionem, quæ positis fit coxēdicibus pium est reputare; sed per statum quidem stabilitatem in omni bono; per sessionem verò diuinum Numen in omni itidem bono immobiliter collocatum, & stabilem in eo firmitatem obtinere sentiamus. *Amos. 7. 7.* *Act. 7. 55.* *Heb. 1. 3.* *Eph. 4. 8.*

2 *D. Cyprianus in expos. symboli Ascēdit in cælos, sedet ad dexterā Patris.* Sedere quoque ad dexteram Patris carnis assumptæ mysterium est, neque enim incorporeæ illius naturæ conuenienter ista absque assumptione carnis aptantur: neque sedis cælestis profectum diuina natura, sed humana conquirit. Vnde & dicitur de eo, Parata sedes tua, Domine, ex tunc à sæculo tu es. Parata ergo à sæculo sedes est, in qua sessurus erat is, in cuius nomine omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confitebitur ei, quia Dominus Iesus Christus in gloria Dei Patris est: de quo & Dauid ita refert, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *Phil. 2. 10*

3 *D. Greg. in expos. ps. 5 pœnit. ad v. 1. Domine exaudi orationē meā* Pater enim Filium, qui est caput Ecclesiæ, super inimicos eius exaltauit, cū destructo mortis imperio in suæ illum maiestatis æqualitate constituit, cui & dixit, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

4 *Innoc. III. ser. 1 in Ascens. Domini.* Tabernaculū est Corpus Christi assūptū, in quo sub humanitate latet diuinitas, de quo dicit psalmista, In sole posuit tabernaculum suum: Hoc vtique tabernaculum Christus in carne mortali nō figebat, quoniā exultauit vt gigas ad currendam viam discurrens de loco in locum, vt susceptum ministerium adimpleret: sed tunc fixit tabernaculum suum, cum assumptus in cælum sedet ad dexteram Dei requiescens in patrimonialibus bonis Patris, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum. *ps. 18. 6.*

D. Greg.

5 *D. Greg. in ps. 6. pœnit.* Quia apud te propitiatio est: Quis
Tit. 2. 14. est propitiatio, nisi Christus Iesus, qui se obtulit sacrificiũ Deo, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum? Denique Ioannes
1. Io. 2. 20. ait, Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, qui est apud Deum, quia sedet ad dexteram Dei, sicut dicit propheta, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: Apostolus quoque perhibet, quod ad dexteram Patris sedens pro nobis interpellet.
Heb. 7. 25. *Innoc. III. in expos. ps. 6 pœnit* Idem est propitiator, & propitiatio, medicus, & medicina, Sacerdos & sacrificium, videlicet vnigenitus Dei filius Iesus Christus, Verbum in principio apud Deum, de quo Ioannes Apostolus ait, Aduocatum habemus apud Deum Patrem Iesum Christum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Ergo apud te, Pater Omnipotens, est propitiatio nostra, viuens semper ad interpellandum pro nobis. Nec dubito, quin obtineat quod implorat; quoniam, vt inquit Apostolus, Pro sua reuerentia exauditur, quemadmodum ipse dicit ad Patrem, Ego autem sciebam, quia semper me audis, nam idem postulat, & exaudit, Postulat quidem vt homo, & exaudit, vt Deus; quia Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.
Rupertus lib. 4. in Exodum c. 14. Propitiatorium illic est Iesus
Rom. 8. 34 Christus, qui mortuus est, imo qui & resurrexit, & qui est à dextris Dei; qui etiam interpellat pro nobis: vnde propheta in psalmo, Quia apud te propitiatio est.

Act. 1. 26.

MATTHIAS IN APOSTOLORVM NVMERVM SVBROGATVR.

§. LXXXXIII.

1 *Fiant dies eius pauci, & episcopatũ eius accipiat alter psal. 108. 8.*

2 *Affert hunc locum de præuaricatione Iudæ, & in eius locum Matthiæ subrogatione D. Petrus Act. 1. 20.*

D. August. Psalmum istum de Christo habere prophetiam quisquis Actus Apostolorum fideliter legerit, agnoscit: vbi de Christi traditore Iuda prophetatum est, quod hic scriptum est, Fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter, quando Matthias in locum Iudæ ordinatus numero Apostolorum duodecimus adiunctus esse euidenter apparet.

Idem August. Fiant dies eius pauci, &c. Dies eius dixit dies Apostolatus eius, qui pauci fuerunt, quoniam ante passionem Domi-

mihi scelera ipsius, & morte consumpti fuit. Et si quis dice-
retur, Quid ergo fieret de sacratissimo numero duodenario, in quo
non frustra Dominus duodecim habere primos Apostolos voluit? Io. 14. 32.
continuo subiecit, Et episcopatum eius accipiat alter, tamquam Act. 1. 20.
dicens, Et ipse pro suo merito puniatur, & ille numerus supple-
atur: quod si quis quemadmodum factum sit, scire desiderat, Ac-
tus Apostolorum legat.

Alb. M. Fiant dies eius pauci per accelerationem, sicut debe-
tur malis: Iob. 15. 32. Antequam impleantur dies eius, peribit: &
ps. 54. 24. Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos:
Et Episcopatum eius, dignitatem scilicet Apostolatus, in qua
erat Iudas à Deo positus, accipiat alter; Mathias scilicet; sicut
& factum est Act. 1. 26. Et cecidit sors super Matthiam.

D. Bruno Carthus. Ne gradus Apostolatus eius propter eius
reatum videretur sic esse dehonestatus, vt nullus in eius loco de-
beret substitui, addit, Et episcopatum eius accipiat alter, scilicet
Matthias.

D. Chrysost. tract. adu. Gentiles, quod Christus sit Deus Post il-
lum (*Iudam*) factus est Apostolus quidam Matthias: & isthuc
ipsum etiam præcinuit dicens, Et episcopatum eius accipiat alter.

D. Hieron. Fiant, &c. Dies eius pauci facti sunt; noctes verò
creuerunt; receptus est enim in dimidio dierum suorum: sol ab ip-
so recessit, et ecce tenebræ ei multiplicatæ sunt. Et episcopatum,
&c. Hoc & in actibus Apostolorum manifestius interpretatum est.
Non solum autem in illo tempore de Iuda dictum est, sed vsque
hodie dicitur, & vsque in diem iudicij a si ipse Iudas apostolatum
perdidit, custodiant se Sacerdotes, & Episcopi, vt non & ipsi
suum sacerdotium perdant: si Apostolus cecidit, facilius monachus
potest cadere.

*Theodorus Heracleota in comment. apud Corderium Constitue su-
per eum peccatorem, &c.* Hæc non sunt imprecationis, sed rerum
euenturarum declaratio: peccatorem autem diabolum vocat, vtpo-
te peccatorum amatorem: Illud autem Constitue dixit pro Con-
stitues; diabolus enim erat ipsum cõstituturus proditorem, quin Io. 13. 27.
& Euangelista tradit, Satanam post buccellam in eum intrasse.
Porro reipsa facti sunt dies eius pauci, vti liber Actuum declarat;
siquidem ipse sibi laqueo vitam conciuit; Matthias verò Episcopa- Act. 1. 18.
tum eius sortitò accepit. Filij autem orphani sunt eius cogitati-
ones diuina gratia orbatæ; vidua verò anima; siquidem Deo vi-
duata erat.

Io.14.26. Act. 2.2. MITTIT SPIRITVM S. FACTO REPENTE DE CAELO SONV TAMQVAM ADVENIENTIS SPIRITVS VEHEMENTIS.

§. LXXXXIV.

1. *Emittes spiritum tuum, & creabuntur ps. 103.30.*
2. *Dedit dona hominibus iuxta lectionem Apostoli ps. 97.19.*
3. *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis ps. 47.8.*

1 D. *Bruno Episc.* Nullus hominum esset, qui in hunc talem puluerem non reuerteretur, & qui non omni tempore miser, & contemptibilis esset; nisi spiritum suum Dominus mitteret, qui homines crearet, & renouaret. Rogat itaque propheta, vt spiritum Dominus mittere dignetur, quo facies terræ creetur, & renouetur: Benè autem faciem dixit, quia substantia eadem erit, sola facie, & pulchritudine renouata.

D. Greg. in expos. ps. 7. panit. ad illa verba, Velociter exaudi me Domine: Hinc namque propheta Dominum exorans ait, Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur: Emitte spiritum tuum, & creabuntur. Non enim receptaculum Dei quisquam efficitur, nisi spiritu suo primitus euacuetur; nam
Is. 66.2. nec requiescit spiritus Dei, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones Dei. Denique qui tremit, deficit; hinc pro-
ps. 118.81. pheta ait, Defecit in salutari tuo anima mea: nisi enim quis à semetipso deficiat, ad eum, qui supra ipsum est, non appropinquat. Hinc de Regina Saba scriptum est, quod audita sapientia Salomonis, & visis ministris domus eius, non habebat vltra spiritum,
3. Reg. 10. 5. quia Electorum Ecclesia de gentibus congregata, cognita Christi gratia, & Euangelicæ doctrinæ inuentis magistris, abiecto superbiæ spiritu, omnique elationis fastu deposito, didicit de seipsa diffidere, & in Regis sui misericordia magna sperare.

Hesychius in cat. apud Corderium: Illud de mortuorum resurrectione dici potuisset, tamquam de humano spiritu in terram emisso, vt humana natura renouaretur, nisi propheta dixisset, Spiritum tuum, manifestè Dei Spiritum Sanctum declarans, cuius missione omnis terra, idest omnes gentes creatæ sunt, & renouatæ, scilicet per prædicationem Apostolorum; nam in omnem
ps. 18.5. terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

2 *D. Ambros. serm. 62.* Quod autem ait, Dedit dona hominibus, Hoc victoris insigne est: post triumphum enim Victor semper dona largitur, & proprio regno residens seruulorum gaudia mu-

muneratur. Sic Christus dominus victor diabolicum post triumphum residens ad dexteram Patris discipulis dona largitus est, nó auri talenta, non argentei metalla, sed spiritus S. cælestia muneras, vt inter cetera Apostoli etiam linguis varijs loquerentur.

D. August. serm. 43. de verb. Domini; Dedit dona hominibus: quæ dona? Spiritum Sanctum: qui tale dat donum, qualis ipse est? Magna est autem misericordia Dei; donum dat æquale sibi; quia donum eius Spiritus S. est; & vnus Deus tota Trinitas Pater, & Filius, & Spiritus S.

D Leo P P. serm. de natali suo in anniuersario die assumptionis sua ad Pontificatum. Ascendens Dominus in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus, fidem scilicet, & spem, & caritatem: quæ inde magna sunt, inde fortia, inde pretiosa, quia quod carnis oculis non attingitur, id miro mentis affectu, & creditur, & speratur, & amatur.

B. Petr. Damiani opusc. 3. hoc est in dialogo inter Iudæum, & Christianum, Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus: ascendens quippe Christus in cælum captiuam duxit captiuitatem, quia corruptionem nostram virtute suæ incorruptionis absorbuit; dedit verò dona hominibus; quia effuso desuper Spiritu diuersa discipulis suis cælestium charismatum dona concessit.

Rupertus lib. 3. in Exod. c. 44. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona: quæ dona? Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas; alios verò Euangelistas; alios autem Pastores, & Doctores. *Eph. 4. 11.*

Tertull. lib. 4. aduer. Marcionem c. 8. Accipe nunc, quomodo & à Christo in cælum recepto charismata obuentura pronunciauit: Ascendit in sublimitatem, idest in cælum: captiuam duxit captiuitatem, idest mortem, vel humanam seruitutem; dedit data filijs hominum, idest donatiua, quæ charismata dicimus. Eleganter filijs hominum, ait, non passim hominibus, nos ostendens filios hominum, idest verè hominum, Apostolorum. In Euangelio enim, inquit, ego vos generaui, & Filij mei, quos parturio rursus. *1. Co. 4. 15.* *Gal. 4. 19.*

3 *Albertus M.* In spiritu vehementi, hoc est in Spiritu Sancto, qui vehementer irruit in animam, Factus est repente de cælo sonus aduenientis Spiritus vehementis: Côteres Naues Tharsis, idest superbiam Gentilium euertes. Naues autem Tharsis vocat superbiam Gentilium, quia mundus mare est; Hoc mare magnum, & spatiosum manibus: Et Tharsis idem est quod mare, Naues ergo Tharsis sunt naues mundi, qui est mare, scilicet infideles, qui sunt in mundo, sicut naues in mari, quæ omni vento feruntur, *Ps. 103. 25.*

contra quos ad Ephes. 4. 14. Non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ. Tharsis etiam exploratio gaudij interpretatur: Naues ergo Tharsis sunt gentes in mundo diuersa, & vana explorantes: sed tales Spiritus S. felici frangit naufragio, quando tribuit, quod conterantur de peccatis.

D. Gregorius Nyssenus orat. 14. in Cant. Magnus ille Dauides ait, nauigia Tharsis à Spiritu violento conteri, quibus in verbis spiritum violentum, vt equidem arbitror, appellat eum, qui discipulis in cænaculo collectis apparuit: ac primò quidem auditu est cognitus, quasi ruens flatus violentus; deinde verò etiam oculis patefactus est, linguarum in figuram effictus, ac splendenti ignis naturæ similis factus. Ac per hunc quidem flatum multipliciter humana in natura velut innatans vitiositas conteritur, quam vates hic naues Tharsis appellauit.

Theoph. Cerameus hom. 40. in fine. Vt Spiritus refrigerat, irrorat eos, qui ipsum excipiunt; vehemens autem, vt qui violentiæ dæmonum aduersus nos exsertæ resistat. Et fortasse de hoc spiritu loquitur Dauid, In spiritu vehementi conteres naues Tharsis: sic

Ion. 1. 3. enim conterit naues, quæ fugitiuos vehunt, fugiens enim propheta quidam quærebat nauem, quæ nauigaret in Tharsis.

ANNOTATIONES.

1 EMittes spiritum tuum, & creabuntur: Per sancti spiritus illapsum, & infusionem gratiæ iustificatur homo; iustificatio autem ipsius creatio quædam est. Quemadmodum enim is per creationem ex nihilo vocatur ad esse naturæ, ita per iustificationé, quæ Spiritui Sancto ascribitur, è statu peccati, quod nihil est, itéque ex nihilo meritorum ad vitam gratiæ supernaturalem venit. Vnde Apostolus, *Iustificati*, inquit, *gratis per gratiam ipsius.* Et

Rom. 3. 24 Dauid *Pro nihilo saluos facies illos*, hoc est, vt interpretatur D. Au-

ps. 55. 8. gustinus, *Nullis præcedentibus meritis saluos facies eos:* Vbi Apostoli ipsius vocationem adducit in medium, qui de se ad Timo-

2. Tim. 1. 13. theum scribens, *Qui prius*, inquit, *fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum. Nulla ergo eius bona merita præcesserant, de quibus saluaretur*, Infert idé August. *imò talia præcesserant, de quibus damnaretur.* Addit & latronis exemplum subijciens. *Quid ille latro attulerat ad Crucem? De fauce venit ad iudicium, de iudicio in lignum, de ligno in paradisum.* Quandoquidem ergo ex nihilo meritorum, vel etiam ex nihilo præcedentium criminum vocat hominem Deus ad statum gratiæ, ac nouitatem vitæ, in qua ambulet, meritò per iustificationé iterum is quodammodo creari censetur; estque noua quædam

crea-

creatura iuxta sensum Apostoli dicentis, *Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt.* Et Dauid in gratiam cum Deo redire percupiens, cor sibi mundum non quomodolibet effingi, sed creari efflagitat. *Cor mundum*, inquit, *crea in me Deus!* 2. Cor. 5. 17. ps. 50. 12.

3. *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* Quid Tharsis vocabulo significetur, variæ sũt opiniones interpretũ, Nã Pineda l. 4. de rebus Salomonis, c. 15. n. 6. Tharsum idem quod Tartessum, Bęticã, seu quædam loca Hispaniæ ad litora Gaditana, & oras Hispalenses interpretatur S. Athanasius q. 69. ad Antiochum Tharsim quamdam Indiæ prouinciam esse affirmat. Nonnulli cum Iosepho lib. 1. antiquit. c. 7. Tharsum vrbem Ciliciæ volunt esse ad radicem Tauri montis sitam, à quo Paulus Gentium Doctor oriundus dictus est Tharsensis. Alij Theodoretum, & Theophylactum secuti Tharsim Didonis Carthaginem, Turnetum hodie dictam, esse arbitrantur. Sed verè Tharsis idem est quod mare à depauperando sic dicta, vt radix hebraica, Rasas, indicat; nihil est enim, quod magis quempiam depauperet, quam mare naufragos. Quare Dauidicum hoc, *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis* plerique sic interpretantur, vt generatim de omnibus maris nauibus sermonem esse autument. Nam quod de Iona legimus, Vt fugeret in Tharsis, Chaldæus Paraphrastes vertit, Vt fugeret ad mare; Isaiæ autem cap. 2. 16. quo loco habemus, Et super omnes naues Tharsis, LXX. vertunt, Et super omne nauigium maris. Contra vero vbi textus vulgatus habet, Vlulate naues maris, Aquila, Symmachus, & Theodotion ex Hæbreo retinent naues Tharsis. Porrò Is. 23. 1. conterere naues Tharsis idem valet, quod humiliare superbiam gẽtium; nauigijs enim rectè comparantur ex D. Hieronymo, quicũq; in huius seculi fluctibus circumferuntur omni vento luxuriæ, atque vanitatis.

INDVVNTVR APOSTOLI VIRTVTE EX ALTO AD EVANGELIZANDVM.

§. LXXXXV.

1 *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum ps. 32. 6.*

2 *Liquefacta est terra, & omnes, qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius ps. 74. 4.*

3 *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa ps. 67. 12.*

1 D. *Greg. in ps. 4. pænit. ad illa verba, Et spiritu principali con-*

confirma me De Apostolis dictum est; Verbo domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quid enim cælorum nomine, nisi Sancti Apostoli designantur? qui nimirum verborum imbribus terram cordis nostri inebriant, venturi iudicij minis, & terroribus intonant, miraculorum signis, & operum sanctitate coruscant: denique ipsi sunt, qui enarrat gloriam Dei, quibus profecto tunc Spiritus virtutem tribuit, cum in igneis linguis apparens in cordibus eorum diuini flammas amoris accendit: quod quidem cognoscere possumus, si quales ante, quales post aduentum Spiritus fuerunt, perpendamus: qui enim ad passionem tendentem magistrum fugientes reliquerant, postmodum per adiunctam Sācti Spiritus gratiam roborati constanter, & publicè nomen Christi prædicabant. Nam vt reliquos prætermittamus, ipse Apostolorum Princeps, qui mori metuens vitam negauerat, cum facto conuentu, cæsis Apostolis, Sacerdotes, & Scribæ, ne in nomine Christi loquerentur, prohiberent, aiebat, Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Cælorum virtus de Spiritu S. est, quia per infusam Sancti Spiritus gratiam facti sunt in Christi confessione fortes Apostoli, qui prius fuerant ex fragilitate carnis infirmi.

Act.5.29.

Idem. Greg. hom. 30. in Euang. Verbo Domini cæli firmati sunt: Verbum enim Domini filius est Patris; sed eosdem cælos, videlicet S. Apostolos, vt tota simul Sancta Trinitas ostendatur operata, repente de S. Spiritus diuinitate adiungitur, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Cælorum ergo virtus de spiritu sumpta est, quia mundi huius potestatibus contraire non præsumerent, nisi eos Sācti Spiritus fortitudo solidasset. Quales namque Doctores S. Ecclesiæ ante aduentum huius Spiritus fuerint, scimus, & post aduentum illius cuius fortitudinis facti sunt, conspicimus. Certè ipse Pastor Ecclesiæ quantę debilitatis, quantæque formidinis ante aduentum Spiritus fuerit, ancilla ostiaria requisita dicat: vna enim mulieris voce percussus dum mori timuit, vitam negauit. Et pensandum, quia cum comprehensum Petrus negauit, quem suspensum latro confessus est in cruce: sed vir iste tantæ formidinis qualis post aduentum Spiritus existat, audiamus. Fit conuentus magistratus atque seniorum, cæsis denunciatur Apostolis, ne in nomine Iesu loqui debeant: Petrus magna auctoritate respondet, Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Et rursus: Si iustum in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate: non enim possumus quę vidimus, & audiuimus non loqui. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu Concilij; quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Ecce gaudet Petrus in verberibus, qui ante in verbis timebat; & qui prius ancillæ

Act.5.29.
Act.4.19.
Act.5.41.

vocem requisitus timuit, post aduentum Sancti Spiritus vires Principum cæsus spreuit.

32. *Innoc. III. serm. 1. in festu Pentec.* Ne terra tota liquefacta periret, Deus confirmauit columnas eius, quando quinquagesima die post resurrectionem suam Apostolos induit virtute Spiritus Sancti ex alto, qui designantur nomine columnarum, quia per eos Ecclesia substentatur, secundum quod & Paulus Apostolus ait, quia Petrus, Iacobus, & Ioannes videbantur columnæ esse: nisi enim dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. Liquefacta est ergo terra, & omnes habitantes in ea, sed Dominus confirmauit columnas eius. Pro hac confirmatione orant ipsę columnæ dicentes, Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis à templo sancto tuo, quod est in Hierusalem. Nam postquā impleti sunt dies Pentecostes, factus est de cælo sonus tamquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes &c. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cæperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Antequam Apostoli Spiritum Sanctum accepissent, quasi timore liquefacti, relicto Christo, fugerunt: sed vbi Spiritum Paracletum acceperunt, quasi confirmati virtute Spiritus S. ex alto Ibant gaudetes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sūt pro nomine Iesu contumeliam pati: Vnde Petrus, qui prius ad vocem ancillæ negauerat, postea coram Regibus, & Principibus nomen Christi portauit constanter affirmans, Quoniam magis oportet Deo, quam hominibus, obedire.

Luc. 24. 49 *Gal. 2. 9.* *Is. 1. 9.* *ps. 67. 26.* *Act. 2. 1.* *Act. 5. 41.* *Mat. 26. 7.* *Act. 5. 29.*

33. *D. Chrysost. adu. Gent. quod Christus sit Deus* Dominus dabit Verbum Euangelizantibus, &c. Non enim mouerunt arma, neque expenderunt pecunias, neque robore corporis, neque exercituum multitudine, neque aliquo tali vsi sunt, sed verbo simplici, & multam habente virtutem, ac miraculorum ostensionem, Crucifixum enim prædicantes, & miracula facientes totum orbē sibi subiecerunt; et propterea dicit, Dabit verbum Euangelizantibus virtute multa, miracula significans. Etenim mira virtus erat, piscatorem, publicanum, pellionem nudis præceptis mortuos suscitare, dæmones expellere, mortem abigere, philosophorum linguam mutam facere, rethorum ora constringere, apud Principes, ac Reges versari, Barbaris, Græcis, & omni hominum generi imperare. Nam omnia hæc verbo illi perfecerunt, & virtute multa mortuos in viuos mutauerunt, peccatores in iustos, cæcos in videntes, & mortuos naturæ, ac malitiam animæ expulerunt.

D. Bern. serm. 27. in Cant. præter cælos hosce visibiles, & corporeos, alios quosdam intellectuales & spirituales agnoscit iuxta illud psalmi 135. 5. Qui fecit cælos in intellectu. *Est ergo cælum*, inquit, *Sancta aliqua anima habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes*: peculiari vero ratione cælos docet esse prædicatores, seu apostolicos viros, de quibus ibidem sic loquitur. *Exemplo illius, quæ sursum est mater nostra, hæc quoque quæ adhuc peregrinatur, habet cælos suos, homines spirituales vita, & opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, latos caritate, contẽplatione suspensos: & hi pluentes pluuiam verbi salutarem tonant increpationibus, coruscant miraculis. Hi enarrant gloriam Dei;*
ps. 18, 1. *hi extenti sicut pelles super omnem terram legem vitæ, & disciplinæ*
ps. 103. 2. *digito quidem Dei scriptam in semetipsis ostendunt ad dandam sci-*
Luc. 1. 77. *entiam salutis plebi eius; ostendunt & Euangelium pacis, quoniam*
Can. 1. 4. *Salomonis sunt pelles*. D. verò Greg. in expos. ps. 5. pœnit. ad illa verba Opera manuum tuarum sunt cæli in eamdem sententiam sic scribit; *Quid per cælos, nisi prædicatores Sanctos accipimus? qui terram istam*, (idest Ecclesiam) *de qua dictum est, verborum imbribus prædicantes inebriant, subiectis fidelium perpetuæ damnationis exitium comminantes intonant, ad astruendam verborum fidem miracula facientes coruscant. Nam quod prædicantis verba pluuiæ*
Is. 55. 10. *sint, testatur Dominus, cum per prophetam dicit, Quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: Sic erit verbum, quod egredietur de ore meo. Quid apertius? Ecce sicut de cælo descendunt pluuiæ, ita de prædicatoribus verbum emanat doctrinæ: Isti sunt nimirum, qui enarrant gloriam Dei, de quibus etiam hic dicitur, quia opera manuum eius sunt cæli: In præcedentibus dicit propheta, Videbo cælos*
ps. 8. 4. *tuos opera digitorum tuorum; hic verò Opera manuum tuarum sunt*
ps. 101. 26. *cæli. Quid est hoc, quod ibi vocantur opera digitorum, hic verò manuum, nisi quod diuersa ibi dona Sancti spiritus Doctorum infundenda cordibus intelliguntur; hic verò ipsa virtutum opera ex eisdem tamen donis in hominum prodeuntia notitiam vocantur? quia enim per manus omne opus agitur, ipsæ virtutum operationes per manuũ opera signãtur: primũ namque humanis mentibus gratia spiritualis infunditur, postmodum verò in mente, quid Spiritus egerit, in operibus demonstratur. Cæli etiam Doctores Ecclesiæ dicti sũt, quia Dominus in eis præsidet, dum per eos sua iudicia exercet: quibus namque regni cælorum claues tribuit, eis ligandi atque soluendi pote-*

potestatem dedit. Per eos ergo iudicat; quia quodcumque ab eis ligatū fuerit, ligat. Scimus autem quia sedere iudicantis est; & ipse Dominus per prophetam dicit, Cælum mihi sedes est: Si ergo sedes Dei cælum est, & in Rectoribus Ecclesiæ Dominus iudicat, cum sedere iudicantis sit, necessariò consequitur, quod Ecclesiæ Rectores cæli dicuntur. Qui profectò cæli opera manuum sunt Dei, quia hoc ipso quod cæli sunt, ex gratia virtutis acceperunt, sicut scriptum est, Verbo domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum; Denique Rupertus lib. 2. de honore, & gloria filij hominis initio Apostolos cælos vocales, cælos eloquentes appellat; quia non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Is. 66. 1.

ps. 32. 6.

CONFIRMATI IAM AD PRAEDICANDVM VBIQVE EVANGELIVM PROFICISCVNTVR.

Matt. 16. 20.

§. LXXXXVI.

1 *Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes ps. 76. 28.*
2 *In omnem terram exiuit sonus eorum ps. 18. 5.*
3 *Eleuauerunt flumina, Domine, eleuauerunt flumina vocem suā ps. 92. 3.*
4 *Transferentur montes in cor maris ps. 45. 3.*
5 *Sagitta tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis ps. 44. 6.*
6 *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam ps. 103. 23.*
7 *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, &c. ps. 8. 3.*

1 D. *August. Multitudo sonitus aquarum*; In laudibus Dei, in confessionibus peccatorum, in hymnis, & canticis, Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes. Vnde isti sonitus aquarum, vnde abyssorum perturbatio? quia vocem dederunt nubes: quæ nubes? de quibus minatur cuidam vineæ Deus, quæ pro vua fecit spinas, & dicit, Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem. Denique Apostoli relinquentes Iudæos ierunt ad gentes: In omnibus gentibus vocem dederunt nubes prædicando Christum: Vocem dederunt nubes; etenim sagittæ tuæ pertranseunt. Easdem voces nubium rursus sagittas dixit; similitudines enim sunt; nam propriè, nec sagitta est pluuia, nec pluuia sagitta: at verò Verbum Dei, & sagitta est, quæ percutit; &

Is. 5. 7.

 plu-

pluuia, quia rigat. Nemo ergo iam miretur abyssorum conturbationem, quando sagittæ tuæ pertransierunt: quid est pertransierunt? non in auribus permanserunt, sed corda transfixerunt.

2 *Idem August.* Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum &c. Quorum, nisi cælorum illorũ, qui enarrant gloriam Dei? Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Legite Actus Apostolorũ, quomodo veniente super eos Spiritu S. omnes impleti sunt illo, & loquebantur linguis omnium gentium, sicut Spiritus dabat eis pronunciare. Ecce non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum; sed non ibi tantum, vbi impleti sunt, sonuerunt: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Rupertus lib. 4. in psalmos c. 5. Cæli enarrant gloriam Dei &c. Nam cæli isti Apostoli sunt, qui cum prius fuissent terreni, atque infirmi, post passionem eius accepto Spiritu S. tales effecti sunt, vt rectè dicantur cæli, rectè vocentur firmamentum. Non sunt, ait, loquelę, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum: Hoc enim illa die Spiritus S. fecit miraculum, vt in ore eorum omnia genera nascerentur linguarum. Talium calorum enarratio non in vna tantum regione remansit. Sed quid? in omnem terrã exiuit sonus eorum &c. Et quam Dei gloriam cæli isti enarrauerunt? In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam spõsus procedens de thalamo suo; Exultauit vt gigas ad currendam viam: A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad sũmum eius; nec est, qui se abscondat à calore eius.

ps. 8. à v. 6

3 *D. August.* Misit dominus Spiritum S. suum, impleuit Apostolos; ipse Spiritus magnum flumen, vnde impleta sunt multa flumina, quia fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Ergo facta sunt flumina currentia de ventre Apostolorum, cum acceperunt Spiritum S. & ipsa flumina accepto Spiritu S. eleuauerunt vocem suam, quando accersierunt eos Iudæi, & præceperunt eis, ne omnino loquerẽtur, neque docerent in nomine Iesu. Petrus autem & Ioannes dixerunt ad eos, Obedire oportet Deo magis, quã hominibus, non enim possumus, quæ audiuimus, & vidimus nõ loqui. Eleuauerunt ergo flumina voces suas à vocibus aquarum multarum annunciantes Dominum Iesum cum multa fiducia. Mirabiles elationes maris: Cum enim eleuassent voces suas discipuli illi, crediderunt multi, & acceperunt multi Spiritum S. & cæperunt multa flumina clamare de paucis, quia cum cæpisset Christus tantis vocibus prędicari, cæpit irasci mare, creuerunt persecutiones, quia quando irascitur mare, eleuantur fluctus. Fremat mare quantum vult; mirabiles minæ, sed mirabilis

ps. 45. 5.

Act. 5. 29.
Act. 4. 19.

bilis in excelsis Dominus, Potestates enim, & Reges ceciderunt, & subiugati sunt Christo, & in ipso pacem habuerunt Apostoli.

D. Cyrill. Alex. lib. 4. in Is. Orat. 2. Rursus scriptum est, Sustulerunt flumina voces suas: flumina enim hic nominari dicimus S. Apostolos, quorum voces, idest doctrinæ factæ, sunt passim omnibus conspicuæ.

D. Hieron. Eleuauerunt flumina, Apostoli, quorum fluenta prædicationum ariditates gentium irrigauerunt. A vocibus aquarum multarum, detrahentium populorum.

4 *D. Greg. lib. 18. Mor. c. 19. in illud Iobi 28. c. 4. Diuidit torrens à populo peregrinãte eos, quos oblitus est pes egentis hominis, & inuios.* Quis hoc loco alius accipitur egens homo, nisi ille, de quo per Paulũ dicitur, Qui propter nos egenus factus est, cũ diues esset? 2. Cor. 8. 9.
Cuius videlicet egentis hominis pedes sancti prædicatores fuerũt, per quorum præsentiam gentilitatem circuiens mundum perambulauit vniuersum, de quibus per prophetam dicitur, Et inambulabo in eis. An pes eius non erat, qui tentus in compedibus dicebat, Pro quo legatione fungor in catena? Sed eorum, qui vmbra mortis, & lapis caliginis extiterunt, pes hominis egentis oblitus est; quia in ipso initio nascentis Ecclesiæ dum sancti Apostoli cælorum regnum prædicare voluissent, videntes quod eis nihil omnino proficerent ad prędicandum gentibus deflexerunt, sicut ipsi in suis actibus dicunt, Vobis oportebat primum loqui regnum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternę vitæ, ecce cõuertimur ad gentes. De quibus & per Psalmistam dicitur, Transferentur montes in cor maris; quia repulsi sunt à Iudæis Apostoli, & in hoc gentilitatis solum translati sunt. Qui sunt ergo, qui immensa duritia pro obscuritate cordis quasi quidam lapis caliginis, & vmbra mortis à peregrinante Sanctorum populo diuiduntur, nisi hi, quos pes egentis hominis est oblitus, idest quos prædicatores Domini, videlicet per humilitatem pauperis pro superbiæ suæ tumore reliquerunt, eorumque omnino obliti sunt, dũ prędicationis suę semina ad solam fructificationem gentium transtulerunt? quos rectè quoque & inuios vocat, quia dũ in infidelitate sua obdurati sunt, verbis vitæ ad eos viam præbere noluerunt.

2. Cor. 6. 16.
Ep. 6. 20.
Act. 13. 46.

5 *D. Basilius in cat. apud Corderium, Sagitta tua acuta:* Intelligere etiã possis sagittas acutas eos, qui per vniuersũ orbẽ missi sũt ad semen Euangelij disseminandum: Hi, quod sese exacuissent, operibus iustitiæ fulgebant, & subtiliter in eorum, quos erudiebant, animos influebant: hæ igitur sagittæ quaque versum emissę populos, vt se Christi iugo submitterent, præparabant.

D. Greg. lib. 7. moral. c. 2. in fine. Sagittarum nomine aliquan-

 do

do prædicationis verba, aliquando animaduerfionis fententiæ defignantur: prædicationis namque eloquia fagittis exprimuntur; quia in eo quod vitia feriunt, male viuentium corda transfigunt.

6 *D. Bruno Epifc.* Ortus eft fol, & congregati funt, & in cubilibus fuis collocabuntur: & exibit homo ad opus fuum &c. Ortus eft fol, quia Saluator nofter die tertia à mortuis refurrexit, & tunc catuli leonum (*maligni fpiritus*) congregati funt, & in cubilibus fuis collocati Saluatorem noftrum terrore nimio perterriti dolentes expectabant, quem illuc effe venturum non dubitabant. Exibit homo ad opus fuum &c. Hoc autem tunc completum eft, quando poft refurrectionem fuam Saluator nofter difcipulis ait, Ite in vniuerfum mundum prædicate euangelium omni creaturæ: tûc
Marc. 16. 15. enim Apoftoli, qui per hunc hominem fignificantur, ad opus fuum exierunt, & euangelicam prædicationem cunctis gentibus nunciare cæperunt. Et vfque ad vefperam, ideft finem vitæ fuæ, conftanter, & fideliter operationem fibi iniunctam operati funt.

7 *Laurentius Iuftin. in folem. SS. Apoft. Petri, & Pauli non longe ab initio.* Dum ad prædicationem Euangelij peccatores vocantur, & rudes, cæleftis in illis commendatur gratia, Dei celfitudo, Euangelij veritas, diuinæque virtutis auctoritas; illeque meritò honoratur, qui per inftrumenta tam vilia præcelfam Ecclefiæ fuæ potuit conftruere domum. Hoc
Pf. 8. 3. propheta contemplatus in fpiritu dicebat, Ex ore infantium & lactentium perfecifti laudem propter inimicos tuos, vt deftruas inimicum, & vltorem: Optimè laudem fuam perfecit Deus, vt diabolum debellaret, & feculum, quando fimplices, & peruerfos erudiuit in fpiritu, atque præcipuos regni cæleftis voluit effe præcones.

ANNOTATIONES.

V*Ocem dederunt nubes:* Nubes dici Apoftolos, omnefque diuini verbi præcones fusè docet D. Greg. pluribus in locis, Nam lib. 17. Moral. c. 12. ad illud Iobi 26. Qui ligat aquas in nubibus fuis. *Quid hoc loco aquam, inquit, nifi fcientiam; quid nubes, nifi prædicatores appellat? Nam quia in facro eloquio aliquando aqua fcientia dicitur, Salomone atteftante didicimus, qui ait, Aqua*
Prou. 18. 4. *profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons fapientiæ: Aquam fignari fcientiam, Dauid propheta teftatur dicens, Tene-*
Pf. 17. 12. *brofa aqua in nubibus aeris, ideft occulta fcientia in prophetis, qui antè aduentum Domini dum occultis Sacramentis grauidi myfteria immenfa geftarent, intuentium oculi eorum intelligentia caligabât. Nubium verò nomine quid hoc in loco aliud, quam prædicatores Sã-*

tis, idest Apostoli, designantur, qui per mundi partes circumquaque transmissi, & verbis nouerant pluere, & miraculis coruscare? quos Isaias propheta ante longe intuens dixit, Qui sunt isti, qui vt nubes volant? Et post multa concludit in fine capitis. *Aqua itaque ligatur in nubibus, quia prædicatorum scientia infirmorum mentibus loquens, quantum sentire valet, docere prohibetur.* Et lib. 27. mor. c. 6. *Per nubes quoque Apostoli designantur, sicut per Isaiam dicitur, Mandabo nubibus, ne pluant super eam imbrem: Ipsi igitur stellæ, quia vitæ meritis lucent; ipsi nubes, qui arentem nostri pectoris terram calestis intelligentiæ fluentis rigant; si enim nubes non essent, nequaquam eos intuens propheta dixisset, Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Et capite sequenti ad illa Iobi verba cap. 36. 29. si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, *Extendit nubes Dominus, dum ministris suis viam prædicationis aperiens eos in mundi latitudine circumquaque diffundit. Bene autem dictum est, quasi tentorium suum: tentorium quippe in itinere poni solet, & cũ prædicatores sancti in mũdo mittuntur, iter Deo faciunt: vnde scriptum est, Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam ante te; & vnde rursum per psalmum dicitur Iter facite ei, qui ascendit super occasum; & rursum Deus dum egredereris coram populo tuo, dum transgredereris per desertum, terra mota est: Deus enim, qui per semetipsum non localiter vbique est, per prædicatores suos in mundi partes localiter ambulat; vnde etiam per prophetam dicitur, Et inambulabo in eis: Iter quippe per eos agit, dum humanis cordibus eorum se eloquio infundit; atque in hoc itinere tentoria Dei sunt hæc eadem corda sanctorum, quibus quasi in via quiescendo tegitur, cum per hæc ad mentes hominum veniens agit, quæ disposuit, & non videtur.* Denique lib. 2. in Ezech. hom. 18. afferens illud Isaiæ, Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? *Rectè,* inquit, *prædicatores sancti nubes appellati sunt, quia verbis pluunt, miraculis coruscant: qui volare quoque vt nubes dicuntur; quia in terra viuentes extra terram fuit omne, quod egerunt. Vnde & per quamdam nubem dicitur, In carne enim ambulantes non secundum carnem viuamus. Priores enim patres coniugijs vtebantur, filios procreabant, substantias possidebant, curis rei familiaris intendebant: istos autem propheta iam spiritu præuidens substantias deserere, nihil in terra quærere, nihil possidere, non eos vel homines per terras ambulantes, sed nubes volantes nominat, volant enim, qui terram quasi non tangunt, quia in ipsa nil appetunt: qui & ad fenestras suas quasi columbæ sunt, quia pro mansuetudinis suæ spiritu in hoc mundo per oculos nil concupiscunt.*

Is. 60. 8.
Is. 5. 7.
Is. 60. 8.
Mal. 3. 1. & Mat. 11. 10.
ps. 67. 5.
Ibid. 8. 9.
Leuit. 26. 12. et 1. Cor. 10. 16
Isa. 60. 8.
2. Cor. 10. 3.

3 *Eleuauerunt flumina vocem suam &c.* Rectè flumina dicti

sunt

sunt Apostoli, quo tempore Spiritu Sancto repleti, qui flume n est magnum, nec vmquam deficiens, eiusdemque Spiritus donis imbuti, quæ flumina sunt aquæ viuæ, eleuauerunt in prædicatione vocem suam. Audi Ambros. lib. 1. de Spiritu S. c. 20. vbi allegans illud Ioannis 7. 38. Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ; hoc autem dicebat de Spiritu &c. *Ergo flumen*, inquit, *est Spiritus S. magnum hoc flumen, quod fluit semper, & numquam deficit: nec solum flumen, sed etiam profusi impetus, & magnitudinis redūdantis, sicut etiam Dauid dixit, Fluminis impetus latificat ciuitatē Dei; neque enim ciuitas Dei illa Hierusalem meatu alicuius fluminis terrestris abluitur, sed ille ex vitæ fonte procedens Spiritus S. cuius nos breui satiamur haustu, in illis cælestibus Thronis, Dominationibus, & Potestatibus, Angelis, & Archangelis redundantius videtur effluere pleno semper virtutum feruens meatu*: Et post pauca: *Nec moueat quod vel hic dixit flumina, vel alibi septem spiritus; his enim sanctificationibus septem spiritualium, sicut Isaias dixit, significatur plenitudo virtutum, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, spiritus timoris Domini.* Preclarè Albertus M. à flumine Spiritus Sancti fluminis ipsius nomen ad Apostolos in euangelizādo voces eleuantes deriuatum scribit his verbis ad psalmum 92. *Apostoli flumina vocantur, quia Spiritu S. repleti, & quasi toti spiritus effecti sunt in die Pentecostes, sicut legitur Act. 2. 4. Spiritus autē Sāctus fluuius est secūdū illud ps. 45. 5. Fluminis impetus latificat ciuitatē Dei: de donis etiā Spiritus S. quibus erāt repleti quilibet per se dicitur Io. 7. 38. Qui crediderit in me, sicut dicit Scriptura, Flumina de vētre eius fluent aqua viua: Hac flumina, de quibus Eccl. 24. 40. Ego sapiētia effudi flumina, idest Apostoli per mundum dispersi. Hac ergo flumina eleuauerunt vocem suam, nolentes propter Summum Sacerdotem, & Iudaorum concilium silere Act. 4. 20. Non possumus, quod vidimus, & audiuimus non loqui. Isaia 58. 1. Clama ne cesses, exalta quasi tuba vocem tuam tu, qui euangelizas Sion; exalta, noli timere. Eleuauerunt: Monstratur hic feruor maximus in pradicatione, quasi diceret; Eleuauerunt vocem in simplici pradicatione flumina, & etiam Spiritu S. intumescentes, flumina ista eleuauernut fluctus suos contra omnes resistentes impetuosas pradicationes Act. 6. 10. Non poterant resistere sapientia, & Spiritui, qui loquebatur, Luc. 21. 15. Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri. Eleuauerunt fluctus maiores, facto clamore magno à vocibus aquarum multarum, minorum scilicet cum ipsis pradicantium, & veritati attestantium Act. 4. 24. Qui cum audissent omnes eleuauerūt vocem vnanimiter dicentes; Domine, tu qui fecisti cælum, & terram*

ram, mare & omnia quæ in eis sunt &c. Mirabiles elationes maris: subiungitur inundatio aquarum amararum, scilicet tribulationum; Ait enim sic; Apostoli, qui erant flumina dulcem aquam ministrantia, leuauerunt vocem; eleuauerunt fluctus, & tunc factæ sunt mirabiles elationes maris, idest tribulationes ex mundo, qui mare dicitur, surgentes, ps. 103. 25. Hoc mare magnum, & spatiosum manibus. Hoc mare contra Prædicatores, & Apostolos inundauit, sed sustinuerunt patienter, imo libenter, Act. 5. 41. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti, sunt pro nomine Iesu contumeliam pati: Deuter. 33. v. 19. Inundationẽ maris quasi lac sugent. Mirabilis in altis Dominus: Aquæ marinæ non desunt, scilicet persecutiones, & amaritudines mundanæ; verumtamen Dominus in altis existens, scilicet in Sanctis; tamquã in turribus, mirabilis est; mirabilis siquidem Deus in Sanctis suis ps. 67. 36 elationes illas reprimendo, sedando, mitigando, Tu dominaris potestati maris; motum autem fluctuum eius tu mitigas ps. 88. 10.

4 *Trãsferẽtur mõtes, &c.* Apostolos à Iudæis ad euãgelizãdũ gẽtibus conuersos eadem, quã Dauid, ratione prædixit quoque Iob. c. 9. 5. vbi ait, *Qui trãstulit mõtes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo.* Quem locum interpretãs Greg. lib. 9. mor. c. 2. *In scriptura*, inquit, *sacra sæpe montium nomine prædicantium altitudo designatur, de quibus per psalmistam dicitur, Suscipiant montes pacem populo tuo: Electi quippe prædicatores æternæ patriæ non immerito mõtes vocantur, quia per vitæ suæ celsitudinem ima terrenorum deserunt, & cælo propinqui fiunt: sed montes veritas transtulit, cum prædicatores sanctos à Iudææ obduratione subtraxit; vnde rectè iterum per Psalmistam dicitur, Tranferentur montes in cor maris; In cor enim maris montes translati sunt, cum prædicantes Apostoli à Iudææ perfidia repulsi ad intellectum gentilium venerunt: vnde ipsi quoque in suis actibus dicunt, Vobis oportebat primum loqui Verbum Dei; sed quia repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sed hanc eamdẽ trãslationem montium hi ipsi nescierunt, qui in furore Domini subuersi sunt, quia cum de suis finibus Hebræi Apostolos expulerũt, lucrũ se fecisse arbitrati sunt, quòd prædicationis lumen amiserunt:* Exigentibus *quippe meritis iusta animaduersione percussi tanto intelligentiæ errore cæcati sunt, vt quod lucem perderent, hoc esse gaudium putarent. Sed repulsis Apostolis à Romano protinus principe Tito Iudæa destruitur, atque in cunctis gentibus sparsa dissipatur: Vnde & translatis montibus rectè subiungitur, Qui commouit terram de loco suo, & columnæ eius concutientur. De loco quippe suo terra commota est, cum plebs Israelitica de Iudææ finibus est auulsa; nimirum colla gentibus subdidit, quia subdi Auctori recusauit: quæ scilicet*

Ps 71. 3.

Act. 13. 46.

Iob. 9. 6.

licet terra columnas habuit; quia in Sacerdotes, & Principes, Legis Doctores, atque Pharisaeos ruitura eius fabrica structura surrexit; in ipsis namque literae aedificium tenuit, & tranquillitatis suae tempore sacrificiorum carnalium, quasi superimpositae fabricae onera portauit. Sed translatis montibus columnae concussae sunt, quia subductis à Iudea Apostolis nec ipsi viuere in illa permissi sunt, qui ab illa vita praedicatores expulerunt. Dignum quippe erat, vt terrenam patriam subacti perderent, cuius amore nequaquam veriti sunt caelestis patriae milites impugnare. Sed expulsis Sanctis Doctoribus Iudaea funditus corruit, & iusto iudicantis examine in erroris sui tenebras mentis oculos clausit.

VENIENTIS ITERVM IN GLORIA PATRIS SVI CVM ANGELIS SVIS AD IVDICIVM APPARATVS.

Mat. 16. 27.

§. LXXXXVII.

1 *Ignis ante ipsum praecedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius: Illuxerunt fulgura eius orbi terrae ps. 96. 3. & 4.*

2 *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida ps. 49. 3.*

3 *Vidit, & commota est terra: Montes, sicut cera, fluxerunt à facie domini; à facie domini omnis terra: Annunciauerunt caeli iustitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius ps. 96. 4. 5. & 6.*

4 *Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus Sanctorum ps. 109. 3.*

1 A*Vctor imperfecti in Matth. hom. 9. explicans verba illa capitis 24. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vsque ad occidentem, ita erit aduentus filij hominis*, Manifestum, *inquit*, & velocem aduentum Christi ostendere volens fulguris similitudinē introducit affertque in testimoniū locū hunc psalmi *69.* Ignis ante ipsū praecedet, & inflāmabit in circuitu inimicos eius: Illuxerunt fulgura eius orbi terrae.

Theodoretus Ignis ante ipsum praecedet. Haec secūdi aduentus vaticinationes sunt, & diuinus Daniel perspexit; Thronus eius flammae ignis, inquit, & rotae eius ignis accensus: fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie eius; millia millium ministrabant ei; & decies millies centena millia assistebant ei: Iudicium sedit, & libri aperti sunt. *Dan. 7. 9. 10.*

2 *D. August. Ignis ante ipsum præibit &c.* Timeamus, mutemur, & non timebimus: ignem palea timeat; auro quid facit? Est autem nunc in potestate quid facias, ne illud, quod & te nolente venturum est, non correctus experiaris: si enim possemus facere fratres vt dies iudicij non veniret, puta, quia nec sic erat malè viuendum: si non veniret dies iudicij, & sola peccatoribus imminerer separatio à facie Dei, in qualibet essent affluentia deliciarum, non videntes, à quo creati sunt, & separati ab illa dulcedine ineffabili vultus eius in qualibet æternitate, & impunitate peccati plangere se deberent: sed quid loquar? aut quibus loquar? hęc amantibus pæna est, non contemnentibus; qui dulcedinem sapientiæ, & veritatis vtcumque sentire cæperunt, nouerint quod dico, quanta pæna est tantummodo à facie Dei separari: qui autem illam dulcedinem non gustauerunt, si non dum desiderant Dei faciem, timeant vel ignem; timeant supplicia, quem præmia non inuitant: vile tibi est, quod Deus pollicetur, contremisce quod minatur *Infra*: Et in circuitu eius tempestas valida: Valida tempestas ventilatura tam magnam aream; hac tempestate erit illa ventilatio, qua separabitur à Sanctis omne immundum, à fidelibus omnis simulatio, à pijs, & trementibus Verbum Dei omnis contemptor, & superbus; modo enim mixtura quædam iacet à solis ortu vsque ad occasum. Videmus ergo, quomodo faciet qui venturus est tempestate illa? quid facturus? procul dubio ista tempestas quamdam separationem factura est: ista est illa separatio, quam non expectauerunt, qui antequam ad litus venirent, retia diruperunt; in illa verò separatione fit quædam malorum, & bonorum distinctio. *Luc. 5. 6.*

Idem August. tract. 4. in Euang. Ioannis. Ignis ante eũ præibit, & in circuitu eius tempestas valida tollere habet totam paleam de area, quæ modo trituratur, & ignis accendere, quod tempestas abstulerit.

D. Cypr. de bono patientiæ afferens illud Malachiæ, Ecce dies domini venit ardens, velut clibanus, eruntque omnes alienigenæ, & omnes iniqui stipula, & succendet illos adueniens dies, dicit Dominus, subiungit, Quod item legimus in psalmis, vbi Dei iudicis prædicatur aduentus censuræ suæ maiestate venerandus, Deus manifestus veniet, Deus noster & non silebit; ignis ante eum ardebit, & in circuitu eius procella nimia, aduocabit cælum desursum, & terram deorsum, vt separet populum suum: colligite illi iustos in sacrificijs, & annunciabant cæli iustitiam eius, quoniam Deus iudex est. *Mal. 4. 1.*

D. Eligius Nouiomensis Episc. in die cenæ domini hom. 8. habetur to. 2. bibl. PP. Duo iudicia in sanctis Scripturis legimus, vnum per aquam in diluuio, quod præfigurauit baptismum, in quo ab

 omni-

omnibus peccatis mundati ſumus : & aliud, quod futurum eſt per ignem, quando veniet dominus ad iudicium, de quo Pſalmiſta ait, Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit: ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida, vt tempeſtas examinet, quos ignis exuret.

D. Greg. hom. 1. in Euang. in fine. Diſtrictionem venturi iudicis Pſalmiſta exprimit dicens, Deus manifeſtè veniet, & non ſilebit; ignis in conſpectu eius exardeſcet &c. Diſtrictionem quippe tanti iudicis tempeſtas ignisque comitabuntur, quia tempeſtas examinat, quos ignis exurit.

Denique Greg. lib 2. in caput 3. libri 1. Regum in fine. Deus Moyſi non ſemper in igne apparuit, ſed aliquando in igne, aliquando in nube: in igne quippe terror iudicij eſt: vnde & de ſecundo Redemptoris noſtri aduentu per Pſalmiſtam dicitur, Ignis ante eum præibit, & in circuitu eius tempeſtas valida: in nube autem protectio miſerationis exprimitur; quia eiuſdem ſuæ protectionis blandi-
Luc. 21. 27. mentum electis ſuis promittens Dominus ait, Tunc videbunt filium hominis venientem in nube.

D. Petrus Damiani ſer. 54. Ad terrificandum reprobos coruſcatio, & tempeſtas erupit, quibus videlicet comitantibus ſupernus arbiter ad iudicium veniet, ſicut per prophetam dicitur, Ignis ante eum præibit, & in circuitu eius tempeſtas valida.

3 *Albertus M.* Montes fluxerunt, id eſt fluent, à facie id eſt præſentia Domini venientis ad iudicium, ſicut cera à facie ignis, cito, & vehementer. Vidit, & commota eſt terra: Vidit Dominum ad iudicium venientem maieſtatem ipſius ſentiendo, ac ſi videret terra: ad literam, & commota eſt Luc. 21. 11. Erunt terræmotus per loca. Annunciauerunt cæli iuſtitiam eius, hoc eſt annunciabũt, qui ante ſilere videbantur, per mirabilia ſigna, quæ in ipſis apparebunt, Erunt ſigna in ſole, luna, & ſtellis, Luc. 21. 25. Et infra, Virtutes cælorum mouebuntur: v. 26. Ioel. 2. 31. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem: Apoc. 6. 12. Sol factus eſt niger quaſi ſaccus cilicinus. Et viderunt omnes populi gloriam eius, ipſum inquam in humanitate glorificatum Apoc. 1. 7. videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt; Luc. 21. 27. Tunc videbunt filium hominis venientem in nube.

4 *Anonymus in paraphraſi apud Corderium.* Tecum principium in die virtutis tuæ &c. Tempus iudicij per hæc declarat, in quo virtute diuina omnes iudicabit veniens cum Sanctis Angelis.

Cyrillus in cat. apud eumdem Corderium. Diem virtutis Dei
Mat. 16. 27. appellat illam, qua vniuerſum orbem iudicabit, & reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Veniet autem omnino etiã tũ ipſe qui eſt in Patre, & habet in ſemetipſo Patrẽ, qui propriæ naturæ quo-

dam-

dammodo principij expers principium existit secundum illud, Ex quo, eo quod ex Patre existit.

Theodoretus in cat. apud eumdem. Diem virtutis secundum Saluatoris aduentum vocauit, in quo veniet cum Angelis in gloria Patris: tunc autem & sancti, sicut Sol, fulgebunt secundum ipsius Domini vocem. *Mat. 13. 43.*

Theodorus Heracleota in comment. psalmi eiusdem 109. apud eumdem Corderium. Tecum principium: sic ait, sicut Isaias de Cruce, cuius principatus super humerum eius, fortitudinem designãs: *Is. 9. 6.* Crux enim Symbolum est regni Christi; diem vero virtutis appellat secundum aduentum. Cum itaque Crux tunc Saluatorem comitatura sit, meritò dicitur, Tecum principium, idest cum Rege: tunc etiam, inquit, regni initium, & principatus, & imperium tuum demonstrabitur, quando sancti quoque, sicut sol, fulgebunt, quodmodo splendorem dixit: Vel tecum principium, *Mat. 13. 43.* idem est ac si dicat, Imperium habes incorruptum, quod auferri nequeat.

SEDET IVDEX PRO TRIBVNALI, ASSIDENTIBVS VNAQVE SECVM IVDICANTIBVS APOSTOLIS. *Matt. 19. 28.*

§. LXXXXVIII.

1 *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis. psm. 71. 1:*
2 *Deus manifestè veniet, & non silebit. ps. 49. 3.*
3 *Aduocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum. ps 49. 4.*
4 *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus &c. ps. 149. à v. 6.*
5 *Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum. ps. 140. 6.*
6 *Surge Domine iudica causam tuam. ps. 81 8.*
7 *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. ps. 1*[illegible]*3.*
8 *Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua ps. 95. 13. Et iterum.*
Iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iustitia psm. 9. 9.
9 *Iustitia, & iudicium correctio sedis eius. ps. 96. 2.*
10 *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis ps. 67. 35.*
11 *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis mon-*

tibus, quoniam Deus iudex est. ps. 74. 7.

12 *De cælo auditum fecisti iudicium; terra tremuit, & quieuit, cum exurgeret in iudicium Deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ. ps. 75. 9. & 10.*

Io. 5. 27. 1 D. *Bernardus serm. 35. in cant.* Ipse Pater Deus dedit filio iudicij potestatem, & non quia suus, sed quia filius hominis est. O vere Patrem misericordiarum! vult per hominem homines iudicari, quò in tanta trepidatione, & perturbatione malorum electis fiduciam præstet naturæ similitudo. Prædixerat hoc quondam S. Dauid inquiens, Iudicium tuum Regi da, & iustitiā tuām filio Regis. Sed neque huic dissonat promissio facta per Angelos, qui eo assumpto, ita ad Apostolos loquebantur, Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum, hoc est in hac ipsa corporis forma, atque substantia.

Act. 1. 11.

D. August. Deus ipse in Euangelio dicit, Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio: Hoc est ergo, Deus iudicium tuum Regi da: qui Rex etiam filius est Regis; quia & Deus Pater vtique rex est; *Infra*: Rex Pater regi filio ad quam rem dedit iudicium suum, & iustitiam, satis ostenditur, cum dicit, Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio. Quod autem ait prius Populum tuum, hoc ait posterius Pauperes: & quod ait prius In iustitia, hoc posterius In iudicio: Vbi sanè demonstrat, populum Dei pauperem esse debere, idest non superbum, sed humilem; Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorū est regnum cælorum.

Io. 5. 22.

D. Bruno Episc. Deus iudicium tuum regi da &c. Hoc de Saluatore nostro dicit propheta, qui de seipso loquitur dicens, Pater non iudicat quemquam sed omne iudicium dedit filio: ipse enim Rex est, & filius Regis, qui iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in iustitia.

Io 5. 22.

2 *Auctor imperfecti hom. 54. in Matt. Deus manifestè veniet, & non silebit.* Manifestus, *inquit*, & non celatus in corpore, sicut antea, vt vix eum etiam boni cognoscerent; sed manifestus in gloria, vt etiā mali eum confiteantur inuiti; vt, qui contempserunt eum in humilitate, cognoscant etiam in potestate; & qui scire noluerunt, quam dulcis est misericordia eius, sentiant, quam grauis est ira ipsius.

D. August. Deus ipse veniet, sed manifestus, non adhuc illudendus, non adhuc alapandus, non adhuc flagellandus; veniet, sed manifestus, non adhuc calamo in capite percutiendus, non adhuc crucifigendus, occidendus, sepeliendus; quia hæc omnia occultus

Deus pati voluit; Veniet manifestus, & non filebit; quia verò ad iudicium veniet, sequentia docent, Ignis ante ipsum præcedet.

Idem August. tract. 4. in Euang. Ioannis. Audistis modo psalmum, Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit; siluit, vt iudicaretur; non silebit, cum cœperit iudicare. Non diceretur manifestus veniet, nisi primò venisset occultus: nec diceretur, non silebit, nisi quia primò siluit. Quomodo ergo siluit? Interroga Isaiam, sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram eo, qui se tondat, fuit sine voce, sic non aperuit os suum. *Is. 53. 7.*

Idem serm. 174. de tempore initio. Pretium nostrum dedit, cum penderet in ligno; collegit, quod emit, cum esset in cælo: cum enim omnes collegerit, quos vtique per tempora collegit, in fine temporis veniet, & quomodo scriptum est, Deus manifestus veniet, non quemadmodum primitus venit occultus, sed sicut dictū est, manifestus, occultum enim oportebat eum venire, vt iudicaretur; manifestus autem veniet, vt iudicet: si enim prius manifestus venisset, iudicare manifestum quis auderet? quandoquidem dicit Apostolus Paulus, Si enim cognouissent, numquam dominum gloriæ crucifixissent: sed si ille non occideretur, mors non moreretur. Trophæo suo diabolus victus est; exultauit enim diabolus, quando hominem primum seducendo deiecit in mortem; seducendo primum hominem occidit, occidendo nouissimum, primum de laqueis perdidit. *Matt. 24. 31.*

D. Bruno Episc. Deus manifestus veniet: Venit enim in primo aduentu suo occultus, & in forma serui, & ideo cognitus nō est; si enim, vt Apostolus ait, eum cognouissent, numquam Dominum crucifixissent. Veniet autem manifestus, non iudicandus, sed iudicaturus; vnde & ipse ait, Cum venerit filius hominis in maiestate sua, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes: vnde & hic dicitur, Congregate illi omnes sanctos eius. Et tunc quidē non silebit, qui prius quidem tamquam ouis ad occisionem ductus est, & non aperuit os suum: tacuit enim, sicut scriptum est, sed non semper tacebit; tacere enim, & iudicare inconuenientia sūt. *1. Cor. 2. 8.* *Matt. 25. 31. & 32.* *Is. 53. 7.*

D. Hieron. Deus manifestè veniet, non occultus; vel Deus manifestè veniet, hoc est in iudicio; quia omnis homo eum videbit, vt in Apoc. ait, Et videbit eum omnis oculus. *Ap. 1. 7.*

Theodoretus Deus manifestè veniet: Ne enim arbitremini secūdum aduentum priori similem fore; siquidem tunc propriam maiestatem humilitate, & pauperie obtexit; nunc autem manifestam omnibus ostendet imperando, & regnando non amplius æquitate vtens, sed iustè iudicans; hoc namque significat, non silebit.

3 *D. August.* Aduocabit cælum sursum, Cælum, omnes sanctos perfectos, aduocabit eos sursum sessuros, secum iudicaturos

duo-

duodecim tribus Israel: quomodo enim aduocabit cælum sursum, cum semper sursum sit cælum? Sed quos hic cælum dicit, eosdem
ps. 18. 1. v. 3. cælos alibi appellat: quos cælos? qui enarrant gloriam Dei; cæli enim enarrant gloriam Dei, de quibus dicitur, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Videte enim discernentem dominum in iudicio. Aduocabit cælum sursum, & terram discernere populum suum, à quibus, nisi à malis? de quibus hic postea non fit mentio, iam tamquam dejudicatis ad pœnam. Istos bonos vide, & distingue. Aduocabit cælum sursum, & terram discernere populum suum: Vocat & terram, non tamen conterendam, sed discernendam; prius enim cum com-
ps. 49. 1. mixtos vocauit, quando locutus est Deus Deorum, & vocauit, terram à solis ortu vsque ad occasum, nondum discreuerant serui illi, qui missi erant inuitare ad nuptias, qui congregauerunt bo-
Matt. 22. 9. & 10. nos & malos: cum vero Deus deorum manifestè veniet, & non silebit, sic aduocabit cælum sursum, vt iudicet cum illo: iam cũ cælo terram discernit, idest cælum cum illo terram descernit: quomodo discernit terram? vt alios ponat ad dexteram, alios ad sinistram: terræ autem discretæ quid dicit? Venite benedicite Pa-
Matt. 25. 34. tris mei &c.

D. Greg. lib. 15. *Mor. c.* 15. Aduocabit cælos sursum, & terram deorsum discernere populum suum: cælos quippe sursum aduocat, cum hi, qui sua omnia relinquentes conuersionem cælestis vitæ tenuerunt, ad consedendum in iudicio vocantur, atque cum eo Iudices veniunt. Terra autem deorsum vocatur, cum hi, qui terrenis actibus obligati fuerant, in eis tamen plus cælestia, quam terrena lucra quæsierunt, quibus dicitur, Hospes eram, & collegistis
Matt. 25. 35. me; nudus, & operuistis me.

4 *D. Bruno Episc.* Exaltationes Dei in faucibus eorum, & gladij ancipites in manibus eorum &c. Hoc autem erit in iudicio, quãdo in magna lætitia, & exultatione mundum iudicabunt, & gladijs æternæ damnationis impiorum corda vulnerabunt dicentes eis: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Et hoc est quod dicit, Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: Tales erunt illi gladij, quibus in populis, & nationibus vniuersalis vindicta, & increpatio fiet; vnde & ancipites dicuntur, quia nullo ingenio euitari poterunt. Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum &c. Illi, inquam, gladij vulnerabunt, & iugulabunt, damnabunt, & increpabunt; & ipsos reges, & principes ferreis durisque vinculis alligabunt. Vt faciant in eis iudicium conscriptum; Iudicium firmum, & immutabile, & quale in diuinis voluminibus scriptum inuenitur. Gloria hæc est omnibus sanctis eius: Gloria, inquit,

hæc communis erit omnium, & non solum Apostoli, verum etiã omnes Sancti in illo iudicio iudicabunt.

5. *D. Bern serm. 8 in psalmum Qui habitat.* Oportet impleri quod dictum est, Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum. Absorpti planè in affectum iustitiæ, & petræ soliditatem, cui iuncti sunt, imitantes: iuncti inquit, petræ, quam profecto solam vt sequerentur, cetera omnia reliquerunt. Nempe hoc est, quod interroganti Petro, quodnam accepturi essent, Petra ipsa respondit, Cũ sederit filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Hæc quoque propheta ait, Dominus ad iudicium venerit cum senioribus populi sui. Tu ne putes flexibile quippiam inueniendum in iudicibus iunctis petræ: Qui adhæret Deo, Apostolus ait, vnus spiritus est, qui & petræ iungitur, lapis vnus: ad quod sanè propheta non immerito suspirans, Mihi, inquit, adhærere Deo bonum est. Ita ergo absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum. O familiaritatis gratiam! O honoris culmen! O fiduciæ priuilegium! O prærogatiuam securitatis perfectæ! *Matt. 19. 28.* *Is. 3. 14.* *1. Cor. 6. 17.* *ps. 72. 28.*

6 *D. August tract. 9 in Ioannem.* Surge Deus iudica terram: Cui enim Deo dicitur, Surge, nisi ei, qui dormiuit? Surge Deus iudica terram: tamquam diceretur: dormisti iudicatus à terra; surge, vt iudices terram.

7 *D. August.* Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Quando iudicabit iustitias? cum acceperit tempus. Nondum est ipsum tempus? Gratias misericordiæ eius: prius prædicet iustitiam, & sic iudicet iustitias; nam si ante velit iudicare, quam prædicare, quis absoluendus occurreret? Modo ergo prædicationis tempus est, Narrabo, inquit, omnia mirabilia tua: Audi narrantem, audi prædicantem; nam si contempseris, Cum accepero tempus, inquit, ego iustitias iudicabo. Dono, inquit, nunc peccata confitenti, non parcam postea contemnenti. Misericordiam, & iudicium cantabo tibi domine, dicitur in psalmo: Misericordiam & iudicium: modo misericordia, postea iudicium: in qua misericordia peccata donantur, in quo iudicio peccata puniuntur. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Accepit tempus Filius Dei? Filius Dei non accepit tempus; sed filius hominis accepit tẽpus; idẽ autẽ ipse, & filius Dei, per quẽ facti sumus, & filius hominis per quẽ refecti sumus: homine assũpto ipse nõ assumptus; homine mutato in melius, nullo modo ipse in deterius cõmutatus: non destitit esse quod erat, sed accepit quod non erat: quid erat? Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, Apostoli verba sunt: Et quid accepit? Sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens: Sicut formam serui accepit, ita *ps. 9. 2.* *ps. 100.* *Phil. 2. 6. v. 7.*

& tẽpus accepit. Exinanisse se dictus est accipiendo inferiorem, nõ degenerando ab æquali. Ergo quid est hoc, Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo? accepit tempus vt filius hominis, gubernat tempora vt filius Dei. Audi, quia vt filius hominis accepit tẽ-
Io. 5. 27. pus iudicandi: dicit in Euangelio, Dedit ei potestatem iudicij faciendi, quia filius hominis est: secundum quod filius Dei numquam accepit potestatem iudicandi, quia numquam caruit potestate iudicandi: secundum quod filius hominis accepit tempus, sicut nascendi, & patiendi, sicut & moriendi, & resurgendi, & ascendendi; ita veniendi, & iudicandi.

Idem August. tract. 28. *in Io.* Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo: Modo enim non est tempus iudicandi, sed iniquos tolerandi,

D. Bern. serm. 55. *in Cant. post med.* Cum accepero tempus &c. Vias iustorum ni fallor, & actus eorum discussurum se, & examinaturum dicit. Verendum valdè, cum ad hoc ventum fuerit, ne sub tam subtili examine multæ nostræ iustitiæ, vt putantur, peccata appareant.

D. Laurent. Iustin. lib. de humilitate cap. 7. Cum accepero tempus &c. Sanè cum tempus iudicij erit, iustitias discutiet, & imperfectiones humanarum actionum æqua lance pensabit, reddetq; vnicuique quod gesserit in corpore, siue bonum, siue malum.

2. *Cor.* 5. 10. 8 *D. August.* Iudicabit orbem terrarum, non partem, quia nõ partem emit: totum iudicare habet, quia pro toto pretium dedit. Audistis Euangelium, quia Cum venerit, inquit, congregabit
Matt. 24. 31. electos suos à quatuor ventis cæli, ergo de toto orbe terrarum: *Et infra*: Iudicabit orbem terrarum in æquitate, & populos in veritate sua: quæ est æquitas, & veritas? Congregabit secum electos suos ad iudicandum, ceteros autem separabit ab inuicem. Quid autem æquius, quid verius, quam vt non expectent misericordiam, qui noluerunt facere misericordiam, antequam veniret Iudex? qui autem voluerunt facere misericordiã, cũ misericordia
Matt. 25. 34. iudicabuntur: dicetur enim eis ad dexteram positis, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab o-
v. 35. rigine mundi; & imputat opera misericordiæ, Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & potastis me &c. Rursus ad sinistram positis quid imputabitur? quia noluerunt facere misericordiam: & quò ibunt? in ignem æternum. Iste auditus malus
v. 41. magnum gemitum faciet, sed quid dicit alius psalmus? in memoria æterna erit iustus, ab auditu malo non timebit: quid est au-
ps. 111. 7. ditus malus? Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Qui gaudebit auditu bono, non timebit ab auditu malo: quomodo gaudebunt ad auditum bonum? Venite benedicti

ti Patris mei? Et à quo auditu non timebunt? Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius: Hæc est æquitas: hæc est veritas. Iudicabit enim orbem terrarum in æquitate, & populos in veritate sua.

Idem August. lib. medit. c. 16. Ipse quidem constitutus est iudex viuorum, & mortuorum: Tu verò non iudicas quemquam, sed omne iudicium tuum dedisti filio tuo, in cuius pectore reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ. Ipse autem testis, & iudex est; iudex, & testis, quem nulla peccatrix conscientia effugere potest; omnia enim nuda, & aperta sunt oculis eius: ipse sanè, qui iniustè iudicatus est, iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in iustitia. *Io. 5. 22.* *Col. 2. 3.* *Heb. 4. 13.*

D. Brunus Episc. Iustitia, & iudicium correctio sedis eius, Totus mundus ab hac sede iudiciaria iudicabitur, & corrigetur: sed quomodo? non iniustè, non temerè, sed iustitia, & iudicio Et tũc quidem ignis ante eum præibit, & inflammabit in circuitu inimicos eius, postquam, inquit, hæc sedes suæ correctionis sententiam dederit.

10 *D. August. postquam explicauit verba illa, Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli ad orientem*, Et quoniam, *inquit*, inde venturus est ad iudicandos viuos, & mortuos, attende quod sequitur, Ecce dabit voci suæ vocem virtutis: Ille, qui sicut agnus coram tondente se fuit sine voce, Ecce dabit vocem suã, nec vocem infirmitatis tamquam iudicandus, sed vocem virtutis tamquam iudicaturus: Non enim Deus occultus, sicut prius, & in hominum iudicio non aperiens os suũ, sed Deus manifestè veniet, Deus noster & non silebit. *Is. 53. 7.*

Beda, Ille, qui iudicandus dedit voci suæ vocem infirmitatis, veniens iudicaturus dabit voci suæ vocem virtutis: & qui venit vt agnus humilis, rugiet vt leo terribilis, cum dicet suis, Venite benedicti Patris mei; alienis verò, Discedite à me maledicti.

11 *Rupertus lib. 4. in psalmos c. 5.* Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus, subauditur, patet locus effugij, quoniam Deus iudex est, quem effugere nemo potest. Sanè capitis nostri Christi principaliter voces istæ sunt; nec enim alius præter ipsum dicere potest, Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo, & Ego confirmaui columnas eius, & omnia cornua peccatorum confringam. *ps. 74. 3.* *Ibid. v. 11*

12 *Rupertus lib. 4. in psal. c. 5.* De cælo auditum fecisti iudicium &c. Fecisti, prophetice dicit pro eo vt diceret, Facies: sed præterito vtitur pro futuro tempore. Sanè in eo quod dicit, De cælo auditum fecisti iudicium; terra tremuit, & quieuit, ingentis metus causa est: Idem enim est, ac si diceret, Terra, scilicet

 im-

impij, terræ amatores, trement, & quiescent, quia malè operari desinent; compescet enim illos Iudex magnus dicendo. Ite maledicti &c. In eo verò quod ait, Vt saluos faciat omnes mansuetos terræ, plurimùm mansuetorum armatur spes, idem est, ac si diceret, Exurgens in iudicio mansuetos, qui peccata sua non defendunt, sed eleemosinis redimunt, saluabit dicendo, Venite benedicti. *Eadem repetit lib. 7. in Matt. c. 8.*

ANNOTATIONES.

2 D*Eus manifestè veniet, & non silebit: Ignis in conspectu eius exardescet &c.* Locum hunc omnes communiter de secũdo Christi iudicis aduentu interpretantur; vnum inuenio Brunonẽ Carthusiæ Patriarcham, qui de primo eiusdem Christi redemptoris intelligit; quod ideo notatum volui, vt appareret, quam fertilis sit diuinarum litterarum ager, in quo verba eadem tam multos, tamque varios sensus pariunt. *Ergo*, inquit Bruno, *Deus manifestè veniet, idest manifestus, & visibilis secundum quod homo: Deus noster: Dico, Deus, non recens, sed noster, quem nos, & Patres nostri coluimus: Et non silebit, se esse Deum, quod est dicere, Et voce, & opere se ostendet esse Deum: & postquam venerit, Ignis in conspectu eius exardescet: Idest feruor dilectionis augmentabitur ad modum ignis exardescentis in conspicientibus eum speciali aspectu, in fidelibus scilicet. Et tempestas valida: idest excæcatio vehementissima, quæ ideo dicitur tempestas, quia eos ad modum tempestatis deijciet, & per illicita rapiet: Erit in circuitu eius, idest in infidelibus, qui neglexerint ei appropinquare; Et erunt in circuitu eius, idest in elongatione eius: Vel sic, Valida tempestas, idest excæcatio erit in conspicientibus, non in diuinitatem, sed in circuitu eius, idest in humanitate solummodo: quod est dicere, In illis tempestas erit, qui eum simplicem hominem esse opinabantur: Humanitas autem per similitudinem circuitus dicitur, non quòd in se diuinitatem localiter comprehendat, sed quòd in ea occultè, & spiritualiter ipsa diuinitas habitet: cum enim intra rem aliquam habitamus, eadem re circumdamur.*

3 *Aduocabit cælum desursum &c.* Quod Christus Iudex extremo iudicij die, hoc est in porta, ipsoque regni aditu (nam vt ait Greg. lib. 6. mor. c. 3. *Sicut vrbis aditus porta dicitur, ita est dies iudicij porta regni, quia per eam ab electis omnibus ad cælestis patria gloriam intratur*) vnà cum iustis iudicet reprobos, & in eosdem sententiam damnationis ferat, multo ante pronunciauit Salomon Prou. 31. 23. vbi ait, *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ: Vir quippe est Ecclesiæ*

humani generis Redemptor, inquit Greg. lib. 6. Mor. cit. c. 4. *qui in portis se nobilem ostendit, quia despectus prius in contumelijs extitit, sed ingressu regni sublimis apparebit, qui cum terræ senatoribus residet, quia iudicij sententiam cum sanctis eiusdem Ecclesiæ prædicatoribus decernit, sicut & ipse in Euangelio dicit, Vos, qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Quod Isaias quoque longe ante pronuncians ait, Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui.* Iob quoque idem videtur prædixisse verbis illis, *Qui ponit humiles in sublimi,* eodem interprete Greg. ibid. c. 8. *In sublimi humiles ponuntur,* ait Greg. *quia hi, qui nunc pro Dei amore despecti sunt, tunc cum Deo iudices veniunt, sicut hoc, quod paulo ante diximus, eisdem humilibus veritas pollicetur dicendo, Vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis &c.* Infra: *Videamus humilē Paulum, Ecce discipulis dicit; Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem seruos vestros per Christum: Videamus nunc humilem in sublimi iam positum, dicentem, An nescitis, quia Angelos iudicabimus?* Quomodo autem Iusti reprobos iudicent, damnentque, eleganter idem ipse Gregorius lib. 14. Mor. c. 9. vbi. *Non immerito,* inquit, *Iusti in sacro eloquio libri nominantur, sicut scriptum est, Libri aperti sunt, & alius liber apertus est qui est vitæ, & iudicati sunt ex his, quæ scripta erant in libris: Liber namque vitæ est ipsa visio aduenientis Iudicis, in quo quasi scriptum est omne mandatum; quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia, quidquid non fecit, intelligit: Libri etiam aperti referuntur, quia Iustorum tunc vita conspicitur, in quibus mandata cælestia opere impressa cernuntur. Et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, quia in ostensa vita iustorū; quasi in expansione librorum, legunt bonum, quod agere ipsi noluerunt, atque ex eorum, quæ fecerunt, comparatione damnantur.* Et D. Ambros. lib. 10. in Lucam. *Sicut,* inquit, *secundum diuinam similitudinem iudicat Christus cognitione cordium, non interrogatione factorum, virtutem remunerans, impietatemque condemnās: ita & Apostoli in iudicium spirituale formantur remuneratione fidei, & execratione perfidiæ, virtute errorem redarguentes, sacrilegos odio persequentes.*

Matt. 19. 28.
Is. 3. 14.
Iob. 5. 11.
2. Cor. 4. 5.
1. Cor. 6. 3.
Ap. 20. 12
Ibid.

Denique D. Hilarius ad illud ps. 2. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. *Sancti quique,* inquit, *intelligendi sunt esse iudices terræ, quorum vita atque fides infidelium iniquorumque iudicij vice fit, & hoc Dominus in Euangelijs ostendit dicens, Viri Niniuitæ surgent in iudicio, & iudicabunt generationem hanc, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce maior,* Matt. 12.

quam Ionas hic: Regina Austri surget in iudicio, & iudicabit generationem hanc, quia venit ab vltimis partibus terræ exaudire sapientiã Salomonis, & ecce maior hic Salomone: Tales erunt Iudices terræ quorum comparatio fidei ac timoris impænitentes impiosque comdemnet. Et post pauca. *Absolutè autem hos esse iudices terræ Apostolus demonstrat dicens, An nescitis, quia sancti mundum iudicabunt & in vobis iudicabitur mundus, cum per meritum adepta beatitudinis criminosorum vitam sanctitas comparata condemnet?*

10 *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.* D. Hilarius vocem in Christo virtutis agnoscit, qua per imperium sanitatem vitamq; siue corporalem siue spiritualem conferebat; præsertim verò eam, quam in die nouissimo audient mortui, ac resurgent: Audiatur. *In omnibus quidem, quæcumque in corpore manens gessit, virtutis vocem dedit, Cum Paralytico dicit, Surge; & ambula, cum Lazarum vocat è sepulcro, cum Petro, ceterisque Apostolis ait, Quacũque ligaueritis super terram, ligata erunt & in cælis, & quæcumque solueritis super terram, soluta erunt & in cælis: vox planè est ista virtutis humanæ infirmitati tantum posse concedere: sed scimus adhuc aliam vocem superesse virtutis, de qua ipse testatus est dicens. Amen, amen dico vobis, quoniam venit hora, & nunc est, in qua audient mortui vocem Dei, & qui audierint, viuent. Numquid vlla vox potest maior esse virtutis, quam dissolutorum corporum puluerem in formam cogere, soliditatemque membrorum, & vitam rursum in homines animasque reuocare, & corruptionem naturæ imbecillis naturæ cælestis incorruptione mutare?*

Matt. 25. 41.

DAMNAT REPROBOS, EOSDEMQVE DEPASCENDOS A MORTE, AETERNVMQVE AB IGNE DEVORANDOS A SE REIICIT.

§. LXXXXIX.

1 *Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges: iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.* *ps.* 109. 5.6.

2 *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.* *psal.* 2. 9.

3 *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* *ps.* 48. 15.

4 *Pones eos vt clibanum ignis in tẽpore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis* *ps.* 20.10.

5 *Labo-*

5 *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem ps. 48. 10.*
6 *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros libani, & comminuet eas. ps. 28. 4. 5. & 6.*

1 D. *Bruno Episc.* Dominus à dextris tuis &c. Filius, *inquit*, tuus, *Dominus meus*, quem superius à dextris tuis sedere iussisti, confringet in die iræ suæ reges: hic est enim ille lapis abscissus de monte sine manibus, qui in Daniele illam statuam cōminuit, per quam omnia regna mundi significabantur. Hæc autem magna confractio erit in iudicio, quando dicetur aduersarijs potestatibus, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Vnde & subditur: Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita multa in terra copiosa: tunc enim iudicabit Dominus omnes gentes, tunc adimplebit ruinas; quia post illam ruinam nulla vmquam amplius ruina fiet: tūc multa capita conquassabit, multos elatos, diuites, & superbos humiliabit, & hoc in terra copiosa, imo copiosissima: ibi enim erunt omnes Angeli boni & mali; ibi erunt omnes homines, quicumque fuerunt, & sunt, & erunt, & ipse Iudex omnium Dominus, & Saluator noster, qui iudicabit populos in æquitate, & gentes in ira sua. *Dan. 2. 34* *Matt. 25. 41.*

D. Bruno Carth. Tu ò Domine Pater, dixisti domino meo Christo, filio tuo, Sede à dextris meis &c. Et ipse Dominus à dextris tuis sedens confringet, idest æternæ damnationis confractione cōfringet, non solum minores, sed & reges tibi hic aduersantes, in die iræ, idest vindictæ suæ, scilicet in die iudicij: in quo vindicta sua manifesta erit: & tunc iudicabit in nationibus, idest iudicium faciet æquum in omnibus fidelium, & infidelium gentibus, & per iudicium illud implebit ruinas, idest suos, qui se hic diruunt, & humiliant, non extollunt, implebit exaltatione: quod est dicere humiles suos exaltabit; & conquassabit capita multorum in terra, idest conteret superbias multorū, quas habent in terreno flore, quæ per capita denotantur, eo quòd hæc pars in corpore sublimior sit. *ps. 109. 1.*

3 *D. Greg. in expos. ps. 5. penit. ad illa verba Respexit in orationem humilium &c.* Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos. Patet ergo, quia iudicium suum illi dedit, cui & bonorum regnum, & inconuertibilium tradidit comminutionem: vas enim figuli, postquam semel confringitur, nullo modo postmodum reparatur: quid ergo per confractionem vasorum figuli, nisi extrema damnatio designatur? ibi enim per iudicij seueritatem quicumque confringitur, nequaquam vlterius per pænitentiæ remedium reparabitur: quod profectò iudicium per Dei

Io. 5. 22 & hominum mediatorem fiet, quia scriptum est, Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.

2 *Albertus M.* Sicut oues in inferno positi sunt, idest ponentur post mortem in inferno, sicut oues, à quibus etsi auferatur lana, manet tamen substantia: sic & iis infligatur pœna, manet tamen natura. Mors depascet eos, mors secunda deorsum pascet, vt semper renascantur, & renouentur ad pœnam, sicut herba ad pastum. Consumpta est caro eius à supplicijs, reuertatur ad dies adolescẽtiæ suæ. Iob. 33. 25. Vel mors, idest diabolus, depascet eos, idest de pœna ad pœnam, quasi de pascuis ad pascua ducet: transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium Iob. 24. 19.

3 *D. Bernardus ser. 2. de verb. Apost. Non est regnum Dei esca, & potus* Sicut oues in inferno positi sunt &c. Quam bene sicut oues! quia detracto vellere mundalium diuitiarum durè pressèque detonsi sempiternis nudi deputabũtur incẽdijs. Mors depascet eos: quia semper morientur ad vitam, & semper viuent ad mortem.

D. Hier. Mors depascet eos: Merito à morte depascuntur, qui Christum noluerunt habere pastorem.

Petr. Dam. lib. 8. epist. 12. ante med. Pabulum Diaboli sunt omnes reprobi, quibus ille tamquã lupus ouibus vescitur, eorumque pernicie veluti epulis saginatur, de quibus etiã per Dauid dicitur, Sicut oues in inferno positi sunt; mors depascet eos. *Ibidem in fine, Sicut oues in inferno:* Oues habet Christus, quas ad amœna virentia caulis cœlestibus introducat: oues habet leo rugiens, quas insatiabili cruentus ore deglutiat: qui bene mors dicitur, quia cum sit auctor mortis ad inferendum nobis interitum efferatur: vnde Ioãnes (Ap. 6.) Et ecce equus pallidus, & sedebat super eum, nomen illi Mors.

4 *D. August.* Pones eos vt clibanum ignis, Constitues eos ardentes intrinsecus conscientia impietatis suæ. In tempore vultus tui, In tempore manifestationis tuæ. Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis, Deinde conturbati vindictæ Domini post accusationem conscientiæ dabuntur igni æterno deuorandi.

D. Greg. lib. 6. Mor. c. 16. vel 20. initio. Bene retributionem interius exteriusque recipiunt; quia & cogitando miseri, & operãdo deliquerunt: vnde bene per psalmistam dicitur, Pones eos, vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis. Qui enim ab igne deuoratur, ab exteriori parte accenditur; clibanus verò interius inflammatur: in tempore ergo vultus Domini iniusti omnes vt clibanus ponuntur, & ab igne deuorantur, quia apparente iudice cum à visione illius eorum multitudo repellitur, & intus per desiderium ardet con-

conscientia, & foris carnem cruciat gehenna.

Idem lib. 15. *Mor. c.* 14. *vel* 17. Sciendum est, quod omnes reprobi, quia ex anima simul, & carne peccauernnt, illic in anima pariter, & carne cruciantur: vnde per psalmistam dicitur, Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui &c. Clibanus namque intrinsecus ardet, is vero, qui ab igne deuoratur, ab exteriori incipit parte concremari. Vt ergo sacra eloquia ardere & exterius, & interius reprobos demonstrarent, eos & ab igne deuorari, & sicut clibanum poni testantur, vt per ignem crucientur in corpore, & per dolorem ardeant in mente.

Guerricus Abbas Igniacensis serm. in die Purificat. habetur inter opera D. Bernardi, Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui, hoc est iudicij, vt intus ardeant, sicut clibanus accensus, in conscientia: Dominus in ira sua conturbabit eos dicens, Discedite à me operarij iniquitatis: Et deuorabit eos ignis externus, infernalis, quem accenderunt per luxuriæ fœda opera. *Luc.* 13. 27

5 *D. Hieron.* Laborabit in tormentis perpetuis positus, & viuet adhuc in finem, quia non interficitur, sed semper reparatur ad pœnam.

6 *D. Laur. Iustin. de triumph. Christi agone c.* 11. Venit Dominus in aduentu primo, cum inter homines visibilis homo apparuit in humilitate: propterea iudicium eius sublatum est: veniet autem in secundo in eadem hominis forma, sed in virtute, sicut propheta ait, Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, & confringet Dominus cedros Libani, superbos videlicet, & scelestos, comminuetque vsque ad fundamentum, ita vt eorum non videantur vestigia.

ANNOTATIONES.

2 **T**Amquam *vas figuli confringes eos.* Simile quippiã habetur Hieremiæ 19. 10. vbi ad ostendendam calamitatem remedij vllius expertem, hoc est Iudæos cum ciuitate extremis præter spem euadendi supplicijs tradendos, præcipit Deus prophetæ, vt vas fictile coram multitudine infringat, quod semel infractum ad figurã pristinã nulla artificis reformare possit industria: *Et conteres*, inquit, *lagunculã in oculis virorum, qui ibunt tecum, & dices ad eos. Hæc dicit dominus: Sic conteram populum istum, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra instaurari.*

4 *Deuorabit eos ignis.* Eodem modo de igne inferno loquitur Iob c. 20. 26. *Deuorabit*, inquit, *eum ignis* statimque subijcit, *qui non succendetur*: In quem locum D. Greg. lib. 15. mor. cap. 14. *Miro valde modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ: Ignis nam-*

namque corporeus vt esse valeat, corporeis indiget fomentis, qui, cū necesse est, vt seruetur, per congesta ligna proculdubio nutritur; nec valet, nisi succensus, esse; & nisi refotus, subsistere: At contra gehenna ignis, cum sit corporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore non caret. Bene ergo de hoc iniquo dicitur, Deuorabit eum ignis, qui non succenditur; quia omnipotentis iustitia futurorum præscia ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creauit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet; sed ardorem suum etiam sine lignis numquam finiret.

IVSTOS AD GLORIAM VOCAT, VT SECVM REGNENT, SEQVE SVVM IPSORVM DEVM, AC DOMINVM LAVDENT IN SECVLA.

§. C.

1 *In memoria æterna erit iustus ab auditione mala non timebit ps. 111. 7.*
2 *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam ps. 142. 8.*
3 *Ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion ps. 83. 8.*
4 *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis ps. 149. 5.*
5 *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te ps. 83. 5.*

1 D. *August.* In memoria æterna erit iustus &c. quia ad dexteram segregatus audiet, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi: Et ab auditu malo non timebit, quod dici audient ijs, qui à sinistris erunt, Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis eius.

Matt. 25. 34.
Ibid 41.

Idem August. in expos. ps. 95. Quid est auditus malus? Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Qui gaudebit auditu bono, non timebit ab auditu malo: quomodo gaudebit ad auditum bonum? Venite benedicti Patris mei: & à quo auditu non timebunt? Ite in ignē æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: Hæc est æquitas, hæc est veritas; iudicabit enim orbem terrarum in æquitate, & populos in veritate sua.

2 *D. Greg. in expos. ps. 7. panit.* Auditam fac mihi mane misericordiam tuam. Quid est mane, nisi sequentis diei initium? quæ au-

autem dies, nisi illa de qua propheta dicit, Melior est dies vna in atrijs tuis super millia? illa est enim dies, quam verus ille sol illuminat, qui nescit occasum, quam non obtenebrat nubes, non obscurat nebula, non obumbrat turbo: quæ rectè vna dicitur, quia nullius finis termino angustatur: Huius diei mane est futura resurrectio, iuxta quod scriptum est, Mane astabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es; neque habitabit iuxta te malignus: in illo autem mane auditam faciet Dominus misericordiam suam, cum segregatis iustis ab impijs, ouibus scilicet ab hœdis, dicet his, qui à dextris erunt, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Ibi nota fiet misericordia Dei, quam in præsenti vita mens humana capere non potest: præparauit enim Dominus diligentibus se, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit. Quod si illa sanctorum felicitas misericordia est, & non meritis acquiritur, vbi erit, quod scriptum est, Et tu reddes vnicuique secundum opera sua? si secundum opera redditur, quomodo misericordia æstimabitur? Sed aliud est secundum opera reddere, & aliud propter ipsa opera reddere: In eo enim quod secundũ opera dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur, vt cuius apparuerint bona opera, eius sit & retributio gloriosa: illi namque beatæ vitæ, in qua cum Deo, & de Deo viuitur, nullus potest æquari labor, nulla opera comparari; præsertim cum Apostolus dicat, Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: Quamquam & ex hoc quoque misericordia iure possit nominari, quia pro illis operibus datur, quæ sine præuentu misericordiæ Dei nemo assequitur: vnde in psalmis dicitur, Deus meus misericordia eius præueniet me; nisi enim vasa iræ fecisset vasa misericordiæ, neminem ab illa perditionis massa conuersatio sancta discerneret; neminem à pœna perpetuæ mortis iustitia propria liberaret. Constat ergo, quia quibus misericorditer tribuit, vt in hac vita bene operentur, eis misericordius largitur, vt in æterna beatitudine centuplicato fructu remunerentur.

Ps. 83. 11.
Ps. 5. 4.
1. Cor. 2. 9.
Matt. 16. 27.
Ro. 8. 18.
Ps. 58. 11.
Ro. 9. 22. & 23.

Innoc. III. in expos. ps. 5. pænit. Mane resurrectionis post finem seculi fac me audire misericordiam tuam, videlicet verbum illud misericordia tua plenum, Venite benedicti Patris mei percipite regnum &c.

3 *Albertus M.* Ibunt de virtute in virtutem, quantum ad virtutum actus, non quantum ad habitus, Iustorum semita quasi lux splendens proficit, & crescit vsque ad perfectum diem: sic ibunt de virtute in virtutem, donec videbitur Deus Deorum Dominus, quacumque ratione Dij dicantur: In Sion, in altitudine, & speculatione æternæ vitæ: In Sion, In Ecclesia triumphante.

Prou. 4. 18.

D. Bruno Episcopus. Videbitur Deus Deorum in Sion, in illa videlicet Sion, quæ dignè satis speculatio interpretatur. Sed à quibus videbitur? ab illis, qui ambulant de virtute in virtutem. Pulchra via est de virtute in virtutem ambulare, de fide in spem, de spe in caritatem, de caritate in humilitatem, de humilitate in patientiam, de patientia in obedientiam, de obedientia in continentiam, & sic transire de virtute in virtutem, donec veniatur ad summam virtutem, idest ad Saluatorem nostrum, qui est Dei virtus, & Dei sapientia.

1. *Cor.* 1. 24. *D. Bruno Carth.* Ibunt de virtute in virtutem, ascendendo: & in futuro in Sion cælesti videbitur Christus Deus deorum, qui cum Deus sit, deificabit quoque suos.

D. Hieron. Ibunt de virtute in virtutem. Ergo nisi hìc habuerimus virtutem, ibi virtutem maiorem habere non possumus: neque enim dixit, Ibunt de imbecillitate in virtutem, sed ibunt de virtute in virtutem. Vis ibi esse fortis? ante hic esto fortis: Vis ibi coronari? ante hic pugna; ibunt de virtute in virtutem. Possumus & aliter dicere: Christus Dei virtus, & Dei sapientia: qui hic habuerit virtutem, & ibi habebit ipsam virtutem. Ibunt de virtute in virtutem. Quid habebunt lucri, cum ierint de virtute in virtutem? quid habebunt præmij? Videbitur &c. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: sufficit victoribus, sufficit eis, qui pugnauerunt, facies Christi, Deum videre infinita corona est. Videbitur *Deus* deorum in Sion: quanta lætitia est, quanta felicitas ire de virtute in virtutem, & hoc ipsum habere præmium, vt Christum videre mereamur!

1. *Cor.* 1. 24.

Mat. 5. 8.

4 *D. Bruno Carthus.* Exultabunt Sancti in gloria, idest in perceptione illius gloriæ. Ne verò putarentur participaturi gloriam æqualiter, ostendit, quod inæqualiter participabunt, alij plus, & alij minus, Exultabunt, inquam, Sancti in gloria, & lætabuntur in cubilibus suis, idest sibi congruis, scilicet in diuersis participationibus illius gloriosæ quietis, quæ per cubilia designatur, eo quòd cubilia ad quietis vsus idonea sunt; ac si dicat: Ita de ea gloria lætabuntur, vt vnusquisque, prout sibi congruum erit, & meritus fuerit, diuerso modo participet, vnus plus, & alius minus

Io. 14. 2. iuxta illud dominicum In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

5 *D. August.* Beati qui habitant in domo tua: Vnde beati? quid habituri? quid acturi? Omnes, qui beati dicuntur in terra, habét aliquid, & agunt aliquid: beatus est homo ille, qui tot prædijs, tanta familia, tanto auro & argento habendo beatus dicitur: beatus est, qui ad illos honores peruenit, ad proconsulatum, ad præfecturam agendam: beatus ergo dicitur, aut habendo, aut agendo. Vnde autem ibi beati? Quid habituri? quid acturi? Quid habitu-

bituri? iam dixi, Beati, qui habitant in domo tua. Domum tuam si habueris, pauper es; domum Dei si habueris, diues es: in domo tua timebis latrones; domui Dei murus ipse Deus est. Beati ergo, qui habitant in domo tua: possident Hierusalem cælestem sine angustia, sine pressura, sine diuersitate, & diuisione limitū; omnes habent eam, & singuli habent totam. Magnæ illæ diuitiæ; non angustat frater fratrem; nulla ibi indigentia est. Quid ergo ibi acturi? omnium enim actionum humanarum mater necessitas est. Currite animo per quaslibet actiones, videte si eas parit, nisi necessitas: ipsæ memorabiles artes, quæ magnæ videntur in subueniendo, patrocinia linguæ, & adiutoria medicinæ ipsæ sunt enim in hoc seculo excellētes actiones. Tolle litigatores, quibus opitulatur aduocatus? Tolle vulnera, & morbos, quid curat medicus? Et omnes istæ actiones nostræ, ad quotidianam vitam quæ exiguntur, & fiunt, ex necessitate veniunt, Arare, Seminare, Nouellare, Nauigare: talia omnia opera quæ parit, nisi necessitas, & indigentia? Tolle famem, sitim, nuditatem, cui opus sunt ista omnia: *& infra*: Quid ergo? iam dixisti, quid habituri sumus? Qui habitant in domo tua, beati sunt: dic etiam, quid acturi sint; quia non video ibi aliquas necessitates, quæ me impellant ad agendum: Ecce modo quod loquor & disputo, necessitas parit: numquid ibi talis disputatio erit, quæ quasi doceat ignaros, quæ quasi commemoret obliuiosos? aut vero in illa patria Euangelium recitabitur, vbi ipsius Dei Verbum contemplabitur? Ergo quia dixit iste desiderans, & suspirans ex voce nostra, quid habituri sumus in illa patria, cui suspiratur, & ait, Beati qui habitant in domo tua; dicat, & quid acturi sumus: In secula seculorum laudabunt te. Hoc erit totum negotium nostrum, Alleluia: Non vobis videatur quasi fastidium ibi futurum: quia si modo hoc dicatis, non duratis; ab illo gaudio necessitas vos auertit, & quia nō tantum delectat, quod non videtur: si tanta alacritate in ipsa pressura, & fragilitate carnis laudabimus, quod credimus; quomodo laudabimus, quod videbimus? securi ergo simus: non nos satiabit, nisi laus Dei, amor Dei: si deficias ab amore, deficies à laude: si autem amor sempiternus erit, quia illa insatiabilis pulchritudo erit, noli timere, ne non possis semper laudare, quem semper poteris amare.

Idem August. serm. 151. de temp. Festinemus ad domum æternam? Beati qui habitant in domo tua Domine in secula seculorum laudabunt te. lex dicit, scriptura dicit, Veritas dicit. Venturi sumus ad domum Dei, quæ est in cælis: ibi non quinquaginta diebus Deum laudabimus; sed quemadmodum scriptum est, In secula seculorum videbimus, amabimus, laudabimus. Nec quod

videbimus, deficiet; nec quod amabimus, peribit; nec quod laudabimus, tacebit: sempiternum totum erit, sine fine erit.

Beda Beati, qui habitant &c. Beati vere, & ineffabiliter Beati ô Domine, sunt pertingentes in atria tua, vbi nulla pressura, nulla miseria. Et notat duplicem beatitudinem illorum, scilicet in habendo, & in agendo. In habendo quidem, cum dicit, Qui habitant in domo tua supercælesti, in qua scilicet, & mansio æterna, & lætitia sine tristitia; quia nullus ibi pauper, nullus miser, infirmus, nullus egenus, denique nullus nisi sūma felicitate repletus. Agendi vero beatitudinem notat, cum dicit, Laudabunt te in secula seculorum, idest æternaliter: Ne dubites, ne possis illum laudare, quem non poteris non amare: insatiabilis est pulchritudo, & ideo amor sine tædio.

D. Bernardus serm. 4. in vig. Natalis Domini: Beati qui habitant in domo tua Domine &c. Oculus enim non vidit, auris non
1. Cor. 2. 9. audiuit, & in cor hominis non ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se: lux est enim inaccessibilis, & pax est, quæ exuperat
Phil. 4. 7. omnem sensum; fons est, qui ascensum nescit, sed descensum: Nō vidit oculus lucem inaccessibilem, non audiuit auris pacem incomprehensibilem: *Et post pauca* Et quidem pax nunc est etiam in terra hominibus bonæ voluntatis: sed quid est pax ista ad illius ple-
Io. 14. 27. nitudinem, & supereminentiam pacis? vnde & ipse dominus ait, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, meam siquidem, quæ exuperat omnem sensum, & est pax super pacem. Sed quid est quod diximus, in cor hominis non ascendit? vtique quia fons est, & ascensum nescit; scimus enim quia fontium natura est riuos sectari conuallium, montium ardua declinare, sicut scriptum est, Qui
Ps. 103. 10 emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ: hoc autem est, vnde admonere sæpius studeo vestram
Prou. 3. 34. caritatem, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Nisi conuersi fueritis, inquit, & efficiamini sicut paruulus
Mat. 18. 3. iste (se autem dicit, qui est fons vitæ, in quo habitat, vnde ma-
Mat. 18. 3. & 4. nat plenitudo omnium gratiarum) non intrabitis in regnum cælorum. Para proinde riuulos, aggeres terrenæ, & elatæ cogitationis disperge, conformare Filio hominis, non primo homini; quia fons gratiæ in cor hominis, carnalis scilicet, & terreni non ascendit. Oculum quoque purga, vt videre possis merissimam lucē; & aurem tuā inclina ad obediendum, vt quandoque peruenias ad quietem perpetuam, & pacem super pacem. Lux enim est propter serenitatem, pax propter tranquillitatem, fons propter affluentiam, & æternitatem. Fontem assigna Patri, ex quo nascitur Filius
Sap. 7. 16. & procedit Spiritus S. lucem Filio, qui est vtique candor vitę
Io. 1. 9. æternæ, & lux vera illuminans omnē hominem venientem in hunc

mundum pacem Spiritui S. qui nimirum super humilẽ, & quietũ requiescit. Nec hoc dico, tanquam propria ista sint singulorũ. Nã & Pater lux est, vt sit Filius lumen de lumine; & Filius pax est, pax nostra, qui fecit vtraque vnum; & Spiritus S. fons est aquæ salientis in vitam æternam. *Eph. 2. 14.* *Io. 4. 14.*

Idem Bern. serm. 1. de dedicat. Ecclesiæ sub finem; Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Quanto enim plus vident, plus intelligunt, plus agnoscunt; tanto plus diligunt, tanto magis laudant, tanto amplius admirantur. *Et post pauca*: Ad hanc domum si peruenire desideras, sic concupiscat, & deficiat anima tua in atria domini, sicut propheta clamat, Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ. Ipsum nihilominus imitare prophetam, qui sicut iurauit domino, votum vouit Deo Iacob, si introiero in tabernaculum domus meæ &c. *ps. 26. 4.* *ps. 131. 2.*

ANNOTATIONES.

5 Consultò vocationi iustorum ad gloriam præmisimus impiorum damnationem ad pœnam, ne tristem infaustumq; nostro huic operi finem imponeremus Ceterum si ordinem in iudicando ferendaque sententia attenderimus, prius electi inuitabuntur ad regnum, quam improbi ad inferos deturbentur, vt cōstat ex Matt. 25. v. 23. vbi dicitur, *Et statuet oues quidem à dextris suis; hœdos autem à sinistris*. Et statim v. 34. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt, Venite benedicti Patris mei possidete regnum &c.* postea verò v. 41. *Tunc dicet & his, qui à sinistris eius erunt, Discedite à me maledicti in ignem æternum &c.* Idipsum aperte declarat parabola, quam idem Matt. ibidem refert, decem illarum virginum, quarũ prius prudentes introducuntur ad nuptias, quam fatuæ, obseratis iam foribus, ab iisdem excludantur. Ratio autem, cur talis ordo in extremo iudicio seruandus sit, peti debet à diuinæ benignitate naturæ, quæ multo ad conferenda beneficia, quam ad pœnas irrogandas procliuior est; ea verò, ad quæ proni sumus, facilius citiusque operamur. Aliam quoque rationem affert D. Bern. serm. 8. in ps. Qui habitat, vbi *Prius*, inquit, *benedicti vocabuntur ad regnum, quam maledicti in caminũ deijciantur ignis æterni, quò videlicet acrius doleant, videntes, quid amiserint*. Huc pertinet elegans sanè aurei oratoris obseruatio hom. 1. de diuite, & Lazaro: Ea est, diuiti illi, tametsi totus arderet in flammis, quippe sepultus in inferno, liberos tamen ad videndum relictos fuisse oculos, quò pauperem, despectũque à se olim Lazarum in sinu Abrahæ placidè quiescentem suspiceret. *Matt. 25. 10.* *Ibid. v. 11. & 12.*

Vi-

Videbat Abraham, inquit Chrysost. *à longe, & respiciebat, tantummodò vt torqueretur, & Lazarum in sinu eius: in tormentis erat, oculos solos liberos habebat, vt alterius lætitiam posset aspicere: propterea dimittuntur oculi liberi, vt magis torqueretur, quia non habebat, quod alius habuit:* Pulchrè omnino Psalmista postquam iusti cuiusque merita exercendis præsertim misericordiæ operibus, præmiumque eisdem debitum memorauit dicens *Dispersit; dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, cornu eius exaltabitur in gloria,* statim subiecit, *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet; desiderium peccatorum peribit.* Re enim vera videbit peccator, coactus & inuitus, Iusti felicitatem, & gloriam: *Et irascetur,* sera & infructuosa pænitentia: Vel *irascetur* hoc est commouebitur, côturbabitur siue de aliena salute, siue de propria perditione, & miseria: *Videntes enim* vt dicitur Sap. 5.2. *turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis dicentes intra se pænitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes, Hi sunt, quos habuimus aliquando in decisum, &c.* Vel *irascetur* propterea quod nihil habeat, quod contra iustum infensum sibi infestumque obloqui possit: vel sibimet *irascetur*, ac indignabitur, quod sua ipsius culpa eamdem, quam iustus beatitudinem, ad quam & ipse creatus à Deo fuerat, non sit assecutus: *Dentibus suis fremet* præ nimio furore ac rabie instar rabidi canis: *Et tabescet* vehementia ipsa tabescentis inuidiæ: Nec quidquã boni sperare in posterum audebit; votis siquidem optatisque suis frustrabitur: *Desiderium peccatorum peribit*. Nec verò de iustorum gloria dolebit peccator magis, quam iustus de peccatorum interitu, & vindicta de ijsdem sumpta lætabitur. *Et retributionem*, inquit psalmista, *peccatorum videbis, Ne videlicet,* subdit. D. Bern. serm. 8. cit. *tanti periculi ingratus aliquando posse fieri videaris: Non solum autem; sed & securitas perfecta iustorum erit visa retributio peccatorum, quò videlicet nec humanam aliquando, nec diabolicam vereri malitiam possint, qui nimirum, cadentibus à latere suo mille, & decem millia à dextris suis, non modo eos cadere viderint, sed cadere in gehennam. Tertiũ quoque hoc nihilominus peccatorum tibi consideratio ipsa præstabit, vt ex comparatione deformitatis eorum eminentius gloriosiusque resplendeas. Lætabitur, ait, iustus, cum viderit vindictam: Vt quid ita? manus suas lauabit in sanguine peccatoris; planè non inquinabit in sanguine, sed lauabit; vt vnde ille cruentus magis, inde ille nitidior videatur; vnde ille plus sordet, inde iste pulchrius elucescat.* Hæc disertè Bernardus: Nec minus eleganter Hilarius ad eadem ps. 57. verba hanc ipsam iusti lætitiam, manuumque suarum ablutionem in sanguine peccatoris exponit. *Lætabitur Iustus cum viderit vindictam &c.*

Margin notes: ps. 111. 10. — ps. 90. 8. — ps. 57. 11.

&c. Lætitia iusti est (inquit) cum viderit vindictam, quia peccatoribus puniendis deductum se per Angelos in æternam requiem lætatur, manus suas non peccatorum sanguine abluens, sed, cum peccatores in sanguine sint, quia rei sanguinum sunt, manus ille ab omni reatu sanguinis ablutas continebit. Idipsum alio psalmo contestatus est, cum dicit, *Lauabo inter innocentes manus meas, & commemoratis innocentiæ officijs adiecit, Ne perdas cum impijs Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meã: In peccatorum scilicet sanguine manus ille abluet inter innocentes: Adeo autem hi viri sanguinum sunt, vt omnium ab Abel vsque ad Zacchariam interfectorum ab his sanguis sit reposcendus; & ab abluente manus suas Pilato super se suosque esse iusti sanguinem sint professi.* Ps. 25. 1. Matt. 23. 35. Matt. 27. 24. & 25.

Hanc quoque vniuscuiusque iusti lætitiam de reproborum damnatione, & interitu prædixit Iob verbis illis. *In vastitate & fame ridebis. Tunc quippe reprobi vastitatem, famemque passuri sunt* inquit D. Greg. lib. 6. Mor. c. 20. *cum damnati extremo iudicio ab æterni panis visione separantur: scriptum quippe est, Tollatur impius ne videat gloriam Dei, & per semetipsum Dominus dicit Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: simul ergo eos vastitas, famesque cruciat, qui non solum foris tormenta sentiunt, sed intus etiam inedia peste moriuntur: vastat gehenna, quia concremat: fames interficit, quia suam illis faciem Redemptor abscondit: bene namque retributionem interius exteriusque recipiunt, quia & cogitando miseri, & operando deliquerunt:* Infra: *In vastitate ergo, & in fame iustus ridebit, quia cum iniquos omnes extrema vltio percutit, ipse de gloria digna retributionis hilarescit: Nam damnatis iam tunc ex humanitate non compatitur, quia diuinæ iustitiæ per speciem inhærens inconcusso districtionis intimæ vigore solidatur; erectas namque in claritate supernæ rectitudinis electorum mẽtes nulla miseria afficit, quia has à miserijs altitudo beatitudinis alienas facit: Vnde bene per psalmistam dicitur, Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent, Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum: Quos enim iusti nunc vident, & metuunt; tunc visuri sunt, & ridebunt: quia enim modo ad eorum labi imitationẽ possunt, hic habent formidinem; quia vero damnatis tunc prodesse nequeunt, illic non habent compassionem.* c. 5. 22. Io. 6. 51. Ps. 51. 8.

1 *Ab auditione mala non timebit.* Idipsum alijs verbis expressit Iob dicens, *A flagello linguæ absconderis: Potest namque*, vt ait D. Greg. lib: 6. Mor. c. 20. *Flagellum linguæ sententia vltimæ aduersionis intelligi, qua districtus Iudex reprobis dicit, Discedite à me maledecti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & ange-* c. 5. 21.

lis

lis eius. Iustus ergo à flagello linguæ atque à calamitate veniente absconditur; quia in tanta districtione sententiæ blanda tunc iudicis
Matt. 25. 35. *voce refouetur, cum dicitur, Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & operuistis me; infirmus, & visitastis me; in carcere eram, & venistis ad me: quibus promittitur, Venite benedi-*
Ibid. 34. *cti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi.*

5 *Beati qui habitant in domo tua, Domine.* Multa de hac domo Dei, hoc est de cælesti Hierusalem, præclarè dicuntur ab Alberto M. in expos. ps. 38. *Beati*, inquit, *propterea sunt, qui habitant in domo illa. Primo quia habitant in domo clara Apoc. 21. 23. Non eget sole, & luna, vt luceant in ea, sed claritas Dei illuminabit eam. Secundo quia in magna, & ampla, Baruch. 3. 24. O Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius, excelsus, & immensus! Tertio quia in munda. Apoc. 21. 27. Non intrabit in illam quid coinquinatum, aut immundum, aut faciens iniquitatem. Quarto quia in opulenta, & omni bono referta, ps. 35. 9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quinto quia in Societate plena; non habitat ibi solus, qui ibi est, Ap. 7. 9. Post hac vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. Sexto quia in pacifica, & tranquilla, Isaiæ 32. 18. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis: Qui posuit fines tuos pacem ps. 147. 14. Septimo quia in iucunda; statim enim subiungitur, In secula seculorum laudabunt te, & Tobiæ 13. 22. Per omnes vicos eius cantabitur Alleluia.*

FINIS.

INDEX
RERVM NOTABILIVM

Paginam tres in partes diuisimus: A priorem partem significat. B. mediam. C. postremam.

Chri-

tus.

Chri-

gau-

D

H

H

I

 tiæ

Mun-

mi-

V

ERRATA CORRIGE

Quæ sensum obscurant, vel sententiam immutant.

Pag. Lin.

9 16 librum Patris: Filium Patris

10 33 propugngnator: propugnator

13 in istarum: in istorum

11 vlt. in inferno, qui: in inferno in illis, qui.

34 13 Holocaustomata sacrificia: Holocaustomata, & sacrificia.

30 Vt sequens statuat, hoc est Euangelium: Vt sequens statuat, idest primum testamentum, quod Moysi datũ est in Mõte Sinai, vt sequẽs statuat, hoc est euangeliũ &c.

15 38 Exprobrauit: reprobauit.

18 37 corrumperat: corruperat

19 35 condonationẽ: condonatione

20 40 mixtionis: missionis.

42 Secunda paradiso: secunda in paradiso.

Do-

Pag. Lin.

21 31 Domini à Deo: hominis à Deo

37 subdita ipse igitur: *subditque*; ipse igitur

22 24 circumscriptus: incircumscriptus.

24 28 à summo cæli: à summo cælo

26 10 lapis Angularis; lapis angularis, quem vnxit Iacob &c.

27 2 vbique: vtique

36 Propheta: profectò

28 10 vt filium Dei in suo ad terras aduentu medicum attendamus.

29 19 At hanc similitudinem: Ad hanc similitudinem

31 27 conficiendi: conficiendo

32 21 testimoniam. testimonium

37 paralyticam: paralyticum

34 6 quibus completis erit veræ sanctitati: quibus completis requies erit verè sanctis.

35 13 operatas: operatus

38 30 fait: fuit

40 20 insensibibilem: insensibilem

42 19 vnitum; iam tum

44 20 circumstans: circumdans

45 29 sanctitatem: sanitatem

49 23 Hæc ergo: Hoc ergo.

52 19 3. mor. cit.: 4. mor. cit.

31 Tertio Angelis: Tertio Angeli

55 8 Corrigiam calceaméti, cuius: Corrigiam calceamenti cuius

58 10 Affluit: affuit

33 impetus quidam; impetus cuiusdam.

40 nascentur de ipsis: nascentur ab ipsis.

62 6 Ibidem nos, edimus: *Ibidem*: nos edimus

65 15 & 16 quodam-modo: qnodam modo

65 3 Sancta erit: Tanta erit

24 cõsumatione: consũmatione

Pag. Lin.

36 contingerat: contigerat

67 38 cum eus: cum eius

70 10 bona: dona

79 32 insistat: insistit

80 83 ite: ita

91 5 conculcans: conculcas

7 carnalis non sentit, vnde & subdit: carnalis non sentit, à quo fit; vnde & subdit

30 sinum autem fluctuum: sonũ autem fluctuum

92 31 vocem, quia: vocem qua

93 5 D. *B*run.: D. *B*ern.

94 12 renunciante: renunciate

25 ac fuso vigore: refuso vigore

95 25 poterit: potuit

97 33 quot tot seculis: quos tot seculis

98 1 aferre: afferre.

29 perimescant: pertimescant

99 4 & 5 dixerunt, Conueniunt: dicunt, Conuenerunt

100 7 mors enim bene: mors enim tunc.

101 16 quod autem hic mortuus: quod autem cum hic mortuus

102 37 quod mos corruptè: quod nos corruptè

103 19 demum Patris: domũ Patris

37 aperuit: operuit

107 17 Tu es sacerdos in æternũ? Tu es sacerdos in æternum

108 38 quem conspicio: quam cõspicio

109 26 conturnices: coturnices

42 considerare: considerate

110 2 efficitor: efficitur

19 populum: populo

112 38 in communionem: in communione

114 3 cũ prophetico testimonio: cũ prophetico quoque testimonio

4 non respexit dominus: non respicit dominus

114 11 sacrificium cordis: sacrificium laudis

es-

Pag. Lin.
23 esset, genere, & oblatione: esset dignitate, genere, & oblatione
30 superueniet : supereminet
39 in sanguino alieno: in sanguine alieno
115 2 Fecit in consũmatione: fecit semel in consummatione
12 cumque : eumque
20 in cuius patibulo : in crucis patipulo
117 28 Hos enim adiuit hic ipse Theologus, quæ de Iuda dicuntur: Hoc autem adiecit hic ipse Theologus ijs, quæ de Iuda dicuntur.
39 aduersum me: aduersum eũ
123 20 quæritur: queritur
41 noc: non
20 & 36. traditore: proditore
124 6 quæ ad Israel est: quæ ad Israel lata est
126 2 timentes: torrentes & 3
127 33 non sit potens: nõ sic potens
128 17 qui eum: qui cum
129 20 manoratum: minoratum
130 12 sed enim: sed iam
15 Huic est enim: Hinc est enim
133 14 gentilium: concilium
136 10 Eius, quod supra retulimus: eius, quam supra retulimus
16 & reuertantur: & reuerebantur.
32 sic omni : sic enim
138 8 qui cum: qui tum
139 17 deficiunt oculi mei: deficiunt oculi
25 In te defixi. in te Deo fixi
2 D. Greg. in ps. pænit.: D. Greg in ps. 3. pænit.
144 17 vt sunt: vt sint
18 vt his, qui tentando dicebant: vt hi qui tentando &c.

Pag. Lin.
37 quoniam autem : quænam autem
177 28 at illum imitetur: vt illum imitetur
150 38 in sermonibus suis: in sermonibus tuis
11 & propterea vt alibi dicit: & propterea tacendo, vt alibi dicit
151 29 experiẽtiam est dicere: experientiam, quod est dicere
155 24 venisse: venisset
156 37 & conscientia eius: & concupiscentia eius
159 48 veni in altitudinem : venit in altitudinem
160 5 primam; ponam
164 23 ostendit: ostendũt. & ibid. lin. 42. iuncturis pedum: iuncturis extensis pedum
165 23 regiones: regione
39 desperant: despexerant
169 10 corporis suis: corporis sui
174 22 oblata: ablata
176 43 queri: quin
179 15 factus suam: factus sum
186 20 in quam: in qua
187 2 cubitorum latitudinem: cubitorum altitudinem
6 attentum : attextum.
188 4 mediator Dei hominum : mediator Dei & hominum
189 26 in tenebris: in tenebrosis
202 5 ego dormio: ego dormiui
231 13 14 ex operatione eis inspirata: operatione eis importata
244 31 Cum templo gloriæ: cum triumpho gloriæ.
255 30 multam habent virtutem: multam habente virtutem
257 41 quaque versum: quaqua versum.

Nonnulla præterea, quæ siue ad scribendi, siue ad interpungendi rationẽ pertinent prudentis Lectoris corrigenda iudicio committimus.

LAVS DEO.